S. 643.

ANNALES

ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLIII—CIↃIↃCCCLIV.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO
VIDUAE LA LAU.

PROSTAT APUD
E. J. BRILL.

1857.

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

Pag.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 3.
Oratio Rect. Magn. . . . . . 5.
Acta in Senatu . . . . . 38.
Oratio inauguralis Professoris A. KUENEN . . . . . 41.
Oratio inauguralis Professoris A. NIERMEYER . . . . . 73.
Inwijdingsrede van den Hoogleeraar M. DE VRIES . . . . . 91.
Series Lectionum . . . . . 123.
Programma certaminis literarii . . . . . 131.
Numerus Studiosorum . . . . . 134.
Doctores creati . . . . . 135.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 141.
Oratio Rect. Magn. . . . . . 143.
Acta in Senatu . . . . . 164.
Series Lectionum . . . . . 167.
Numerus Studiosorum . . . . . 175.
Doctores creati . . . . . 176.

ACADEMIA GRONINGANA.

Pag.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 183.
Oratio Rect. Magn. . . . . . 185.
Inwijdingsrede van den Hoogleeraar Dr. W. J. A. Jonckbloet . . . . . 211.
Ordo Lectionum . . . . . 247.
Numerus Studiosorum . . . . . 253.
Doctores creati . . . . . 254.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

Nomina Professorum . . . . . 259.
Acta et gesta in Conventibus, caet. . . . . . 260.
Series Lectionum . . . . . 261.
Numerus Studiosorum . . . . . 266.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 269.
Ordo Lectionum . . . . . 270.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A. D. IX FEBR. CIↃIↃCCCLIII AD VIII FEBR. CIↃIↃCCCLIV

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

THEODORUS GUILIELMUS JOHANNES JUYNBOLL.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

GIDEON JANUS VERDAM.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

T. G. J. JUYNBOLL.
M. SIEGENBEEK, Prof. emeritus.
J. BAKE.
J. M. SCHRANT, die 2° Maji 1853 rude donatus.
A. RUTGERS.
J. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY, Prof. extraord.
M. DE VRIES, qui die 29° Oct. 1853 munus auspicatus est.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. W. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, Prof. extraord.
H. HALBERTSMA JUST. FIL., Prof. extraord.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. G. TYDEMAN, Prof. emeritus.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.
J. DE WAL.
S. VISSERING.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, Prof. emeritus.
N. C. KIST.
J. H. SCHOLTEN.
A. NIERMEYER, Prof. ordin., qui 28° Maji 1853 munus auspicatus est.
A. KUENEN, Prof. extraord., qui 12° Martii ejusd. anni munus auspicatus est.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT, Prof. emeritus.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. J. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE, Prof. extraord.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Literarum.
J. A. BOOGAARD, in Theatro anatomico Prosector.
J. A. C. OUDEMANS, in Observatorio astronomico Observator (inde a die 22° Febr. 1853).

ORATIO

DE

CODICUM ORIENTALIUM, QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SERVANTUR, BIBLIOTHECA,

QUAM HABUIT

THEODORUS GUILIELMUS JOHANNES JUYNBOLL,

DIE VIII° FEBRUARII MDCCCLIV,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

QUICUNQUE CETERUM DOCTRINAE LAUDE HONORUMVE DIGNITATE CONSPICUI, HIC ADESTIS, VIRI SPECTATISSIMI!

ACADEMIAE CIVES, JUVENES ORNATISSIMI!

Multis et splendidis studiorum subsidiis Academia nostra instructa est. In his sunt, quibuscum arctissima mihi intercedit necessitudo, et quorum auxiliis quotidie fruor. Partem dico Bibliothecae publicae, quae Codicibus Orientalibus continetur. Saepe audivistis magnis laudibus hanc celebrari, neque ignoratis, Viros doctos haud paucos ex variis terris urbem nostram hoc solo consilio non raro adire, ut hos Codices perlustrent, excerpant, describant, et in suos usus convertant.

Haec licet notissima sint, multi tamen nondum perspiciunt, quas ii Libri Disciplinis *nostrâ* etiam *aetate* illustrandis praestent utilitates, quin nescientes prorsus, *quae* Disciplinae, *quae*ve Disciplinarum *partes* ex iis solis recte cognoscantur demum, eo audaciae procedunt, ut clamare non dubitent: *quid tandem emolumenti post Libros jam editos ex istis Codicibus in communem usum* adhuc *redundare possit!*

Ut perversas istiusmodi opiniones ex eorum animis evellerem, de his Bibliothecae thesauris datâ opportunitate dicendi consilium jamdudum agitabam. Haec opportunitas nunc mihi ultro offertur, Rectoris Munus Veterum more Oratione habendâ deposituro. Dicam ergo *de Codicum Orientalium, qui in Academiâ Leydensi servantur, Bibliothecâ.* Non spero fore

ut hoc argumentum aliquem deterreat; ita enim de eo exponere mihi proposui, ut quisque dicta capiat [1]). Vos omnes, Auditores! animo benigno me audiatis.

Hujus Bibliothecae *historiam* quam brevissime tradam. Fusior enim harum rerum expositio non est hujus loci aut temporis. Et quid multis omnia repetam, quae alii bene jam et copiose enarrarunt [2])? Pauca ergo sufficiant.

In *primo* Bibliothecae Catalogo, a PETRO BERTIO anno 1595 edito, de nullo Codice MS. Orientali sermo fit. A legato enim JOSEPHI JUSTI SCALIGERI, anno 1609 mortui, haec Codicum OO. collectio initium ducit, quo tempore praeter 21 *Hebraeos*, 56 Codices *Arabici*, *Persici*, *alii*que *Orientales* in Bibliothecam delati sunt [3]).

His Libris varii argumenti, et suo in genere utilissimis, eminent tamen *Erpeniani* et *Goliani*, ex quibus 212 hodie supersunt. Ex *illis* nimirum multi, ex *his* nonnulli hodie desiderantur, ac latent; alii iique pretiosissimi in Bibliothecâ Cantabrigiensi et Oxoniensi jamdudum servantur, quorsum quo casu translati sint, certo dici nequit. Majorem partem GOLIUS coëmit in itineribus anno 1622—1624 *Marochium*, et anno 1625, postquam ERPENIO, pestilentiâ exstincto, successerat, in *Orientem* susceptis, unde post quatuor annos in patriam rediit [4]).

Quartam eamque amplissimam collectionem Bibliotheca acceptam refert liberalitati Viri amplissimi LEVINI WARNERI, Golii discipuli, qui quo melius in Linguas Orientales incumberet, Magistro auctore, anno 1644 Constantinopolin abiit, Consul deinde Halebensis creatus [5]), et ab anno 1655 *Ordinum Generalium*, qui dicuntur, Legati munere in Aulâ Turcicâ functus est. Tempore, quod in Oriente degit, diligenter usus est ad magnificum *mille* fere Codicum thesaurum sibi comparandum, quem totum Bibliothecae legavit [6]). Donum splendidissimum exeunte anno 1668 huc allatum est, quo facto intra 50 annorum spatium 1183 Codices OO. ad nos pervenerant.

Hisce initiis, Auditores! utinam sequens tempus non dissimile fuisset! Sed eheu! per seculum et quod excurrit, id est ad annum 1780, Codi-

ces 22 tantum accesserunt. Tum vero ex Libris Joh. Jac. Schultensii 81 coëmti sunt; quibus si accessisset Everardi Scheidii Bibliotheca, Schultensianâ multo amplior, nostra collectio magna sane incrementa cepisset. Sed proh dolor! haec divendita est anno hujus seculi 6°, tempore ergo, quo Patria haud prosperâ fruebatur conditione, adeo ut non nisi unus Codex Arabicus, is vero gravissimus, reliquis tunc adderetur [7]).

Felicior actas alluxit ex quo Hamakerus Literas OO. in hac Academiâ docere coepit. Hic enim non modo ardorem has Literas colendi mirifice excitavit, sed hoc etiam studuit, ut MSStorum copia insignem in modum augeretur. Idem deinde egit Weijersius, quo factum est, ut horum Duumvirorum operâ per 25 circiter annos *trecenti* Codices Bibliothecae adjungerentur [8]). His *triginta tres* hisce 8 annis accesserunt, adeo ut universa collectio una cum 84 Hebraeis, 1720 Libros hodie complectatur.

Hic numerus quamvis insignis, si ipsum solum spectas, minime tamen ut videtis, spei respondet, quam Proavi ante hos 186 annos jure concipere potuerunt. Quod vulgo dictitant, ut recentiorum temporum segnitiem excusent, quis nescit? *Bonorum*, ajunt, *et eorum maxime, qui vulgo optantur, Codicum emendorum opportunitas nunc vix ulla datur!* — Nostrâ aetate hanc *rariorem* esse, quam antea, concedo, sed et hodie eamdem patere iis, qui Orientem ipsi adeant, rebusque obviis prudenter utantur, neque opibus parcant, ét nostra testatur collectio, ét Bibliothecae *Angliae* ac *Parisiensis*, quae hoc item seculo mirifice ditatae sunt. Ac *Petropolitana*, cui anno hujus seculi 18°, Codices OO. prorsus deësse Fraehnius querebatur [9]), quantopere his 30 annis aucta est! Fateor harum Gentium conditionem a nostrâ quam maxime differre, ac bella feliciter gesta haud parum contulisse ad novos Codices acquirendos, sed non omnes illi vi erepti, non omnes post prolatos imperii fines in terris devictis inventi sunt. *Armis* scilicet nec Bibliotheca *Berolinensis*, nec *Lipsiensis*, exquisitam debet Orientalium Librorum collectionem, quâ *illa* ante biennium, *haec* praecedente anno ornata est. *Publicis sumtibus* hanc acceperunt, a Wetzsteinio, Borussorum Consule Damasceno, in Oriente collectam, et ab interitu servatam.

Harum nempe Literarum studio promovendo nihil sane est efficacius, nihil exoptatius, quam si Viri, earum Literarum periti, ut Golius olim et

NIEBUHRIUS, ac nostrâ aetate SEETZENIUS, BURCKHARDTUS, WALLINUS, LEPSIUS, KREMERUS, alii, itinera ipsi in Orientem suscipiant, quod, quia privatis sumtibus vix fieri potest, Civitatis Sociëtatisve eruditae nomine et impensis peragatur.

Alterum, quod in earum Literarum emolumentum in primis commendandum, hoc est, ut *Consulis Legative* in Oriente provincia iis praesertim mandetur, qui cum aliarum rerum, quae his Muneribus bene gerendis requiritur, notitiâ, Orientalium item Linguarum scientiam studiumque jungant, quibus quo magis excellant, eo aptiores sine dubio his Muneribus habeantur. Quid in variarum Disciplinarum commodum inde sperari liceat, ex BOTTAE et LAYARDI, et ne alios afferam [10]), ex nostri WARNERI exemplo patet.

Aliâ porro ratione Bibliotheca nostra locupletari potest. Multi nempe Codices OO. sine dubio in privatis Bibliothecis latent, nullam praestantes utilitatem possessoribus, quid servent fortasse prorsus ignorantibus. Hi Libri si inveniantur, utinam eâdem, quam hisce annis plus semel experti sumus [11]), liberalitate Bibliothecae donentur!

Ac hujusmodi Libros memorans, silentio praeterire nolo magnum Orientalium Codicum numerum, hodie curae commissum *Sociëtatis Regiae Scientiarum Amstelodamensis*. Codices volo maximam partem a WILLMETO *Instituto Regio Neêrlandico* olim legatos [12]). Qui si hîc *deponerentur* una cum egregio inchoati Catalogi Weijersiani apparatu, et reliquis Codicibus, tum *antiquioribus*, tum *recentioribus*, ét recens condita Academia istâ curâ levaretur, ét vero vota rata fierent a Senatu Academico plus semel jam nuncupata, probe intelligente, aditum ad eos Libros sic non modo faciliorem, sed usum item Librorum ita junctorum Disciplinae multo fore fructuosiorem.

Consideratis Bibliothecae *historiâ* et *amplitudine* ac *modo*, quo in posterum *augeri* possit, jam videamus, quae sit ipsius, quae adeo celebratur, *praestantia*. „Haec enim (ut HAMAKERI verbis utar), licet aliis Biblio„thecis Librorum numero inferior, at Codicum tamen et veterum et raris„simorum et in omni denique Disciplinarum genere summo cum studio

„conquisitorum, varietate, adeo instructa est, ut hac in parte, quae ipsam „superent, nullae, quae aequent, paucae esse videantur [13])." Haec, Auditores! quae Vir summus ante hos 34 annos scribebat, nunc item repetere nobis licet. Paucae enim hodieque sunt apud Exteros Bibliothecae, quae Codicum *pretio* cum nostrâ comparari possunt, nulla, quae ab hac parte palmam ipsi praeripit.

Sed de horum Codicum *praestantiâ* dicturo, campum mihi video apertum, tam late patentem, ut, si vel leviter cuncta perlustrarem, nimium diu mihi foret dicendum. Ne ergo vestrâ patientiâ abutar, res praecipuas modo attingam. Aliis ergo omissis, de *Geographis* tantum et *Historicis*, paucis nunc disseramus, et de subsidiis, quae in hac Bibliothecâ praesto sunt, *Criticae V.* et *N. T.* accuratius tractandae, atque hujus *Interpretationi* juvandae et exornandae. Ab his incipiamus.

Mirantur fortasse nonnulli Theologi *Novi Testamenti* hîc mentionem factam esse, putantes scilicet, ipsius *Criticen* ex his Codicibus non magna incrementa capturam esse. Si *Versiones* ii attendere nolint, facile explicatur, quare sic judicetur. Has vero, *Syriacas* praesertim, maximi esse momenti, germani Theologi jure concedunt; qui si *Arabicas*, ex *Graeco textu* ortas, quia recentiores sunt, merito faciunt minoris, pluris sine dubio aestimant Versiones *Arabicas* ex multo antiquiore textu *Syriaco* translatas, quae nempe haud parvae sunt utilitatis ad pristinam Versionum Syriacarum conditionem melius cognoscendam. Harum Versionum in nostris thesauris Codices exstant, digni qui accuratius conferantur [14]).

Qui deinde *Historiam* Interpretationis N. T. pervestigare velit, nullam is non modo Versionem sive Arabicam, sive aliam negligat, sed *Arabicos* etiam *Commentarios* attendat, quos et hîc reperiet [15]). Qui si quando edentur, videbitis, Christianae in Oriente *Dogmatices* et *Apologetices Historiam*, cujus expositio vix inchoata est, mirifice inde illustratum iri, et in primis ex *Scriptis polemicis Arabicis*, hoc consilio a Christianis exaratis, ut Libros Sacros sanctosque Viros ac placita contra Moslimorum impetum defenderent.

In *Vetus* tamen longe plura quam in *Novum Testamentum* ex illis fontibus beneficia redundant. Haec vero contendens, Veteris Testamenti Codices *Hebraeos*, quia juniores sunt, minus ob oculos habeo [16]), sed potius Codicem *Pentateuchi Samaritani* [17]), et *Versiones*, tum *Arabicam Pentateuchi*,

ab Erpenio editam [18]), tum *Psalterii* Versionem *Arabicam* et *Aethiopicam* [19]), et, quibus Interpretationis *Historia* cordi est, permagnum *Commentariorum Judaïcorum* numerum [20]), *veterumque Christianorum Graecorum* et *Syrorum Commentarios* selectos *Arabice versos* [21]); ne de *Talmude Hierosolymitano*, *Lexicis Hebraïcis*, *Scriptisve Judaeorum philosophis* loquar. Haec licet *partim* jam edita, at nunc a multis prorsus neglecta, omnia aliquando publici juris facienda, et quae jam quodammodo innotuerunt, iterum pertractanda sunt, ut vitia emendentur, accuratius singula perpendantur, neque amplius, ut antea, pluris aestimentur, sed suum quaeque in hac Disciplinâ locum in posterum teneant.

Haec Scripta ut *Historiae Interpretationis*, ita alia rebus tam *Christianorum* quam *Judaeorum* in Oriente novam lucem affundunt. Christianorum v. c. *Cultum publicum* considerantibus operae pretium est *Homilias Syriacas* legere [22]); in *Festa sacra* inquirentibus tum alia, tum *Lectionum series* consulere, et Scriptores adire de his Festis exponentes.

Universa porro Christianorum in Oriente conditio *sacra*, *civilis*, *domestica*, quae omnium studia adeo commovet, ex quibus aliis fontibus melius cognoscitur, si *pristina* tempora spectas, quam ex ipsis Orientalium Scriptis? Haec consulentes, Christianos, in mediâ Moslimorum societate viventes, videmus non eodem cum iis loco habitos. Suis quidem fruuntur juribus et privilegiis, at non semper iisdem. Tributo soluto, suum profitentur Cultum sacrum, suos habent non modo Patriarcham, sed et Judices, ac Moslimicorum Magistratuum fruuntur clientelâ, verum ut ab horum arbitrio pendent, ita fanatico plebis furori saepius sunt expositi. Peculiari vestitu, ut Judaei, a Moslimis distincti, plerumque incedunt. Variâ utuntur fortunâ. In vili abjectoque statu versantur plerique, nonnulli tantum, mercaturâ feliciter gestâ, laute vivunt, vel ob eximias ingenii dotes, publicis muneribus funguntur, quin ad honores evehuntur interdum. — Alii, iique haud pauci, urbium strepitum effugientes, in Monasteriis abditi latent, *Ritibus sacris* religiose observandis intenti. In *Literis* tamen *sacris* hi etiam operam saepe ponunt, aut agriculturae se tradunt, ac mercaturam faciunt, mercatorumque agmina, singulosve Itineratores lubenter excipiunt. — Sed quid nunc tabulam delineem, quae ut aliquando sigillatim depingatur, sane exoptandum, et cui componendae praeter nostrum *Lexicon*

Geographicum, aliosque Libros jam editos, nonnulli item hîc alibique servati Codices splendidum apparatum exhibent.

Similiter de *Judaeorum* in Orientc sorte ex nostris Codicibus nonnulla edoccmur, quibus Jostii aliorumque de hoc argumento dicta supplentur. Multa etiam de *Karaeis* monenda restant, quorum Scripta inedita ac pretiosissima hîc habentur [23]), ac multo plura quam hujus etiam generis ditissima *Bodlejana*, servat. Idem de Schabbathaeis dicendum, Sectâ seculo 17^{0} ortâ, quae magnas aliquamdiu in Oriente turbas movit [24]); idem denique de aliis Orientalibus Sectis Judaïcis [25]), quarum res ex editis ineditisque Libris, Arabicis maximc, adhuc pervestigandae sunt.

Sed ad *Historiam*, proprie sic dictam, Auditores! nobis properandum est, cujus *Medium Aevum* praesertim, ex Orientalium, ac potissimum ex *Arabicis* monumentis illustrandum esse, omnes nunc uno ore fatentur. Antiquiores modo cogitemus nonnullarum Gentium Historiae periodos. *Russi* e. c., si praeter *Nestorem*, antiquissimum ipsorum Historicum, nulla habuissent Arabum Scripta, quid certi de Gentis *originibus*, quid de antiquissimâ ipsius *conditione*, *rebusque gestis* cognovissent [26])?

In hac autem de nostrâ Bibliothecâ disquisitione *Historiae* nomen appellans, vocem enunciavi, quae animum erigit ac dulci profecto sensu afficit. Nam si cui, huic Disciplinae praesertim fontes ibi fluunt largissime, qui licet jamdudum ac saepe aperti, tantum tamen abest, ut exhausti sint, ut quam plurimos potius invitemus ad hos in communem omnium usum quam primum convertendos. Major horum Librorum est copia, quam ut singulos, ne praecipuos quidem, nunc enumerem. Si nempe *Poëtas* attendis, quorum in Historiâ illustrandâ insignis est usus, quod plerique in dies magis perspiciunt, — apparatus sane est amplissimus [27]). Deinde celebratissimorum *Historicorum* Libros habemus sive *integros*, sive *particulas*, aut *compendia*, quorum haud pauci in nullâ aliâ Bibliothecâ servantur.

Nulli tamen Historiae parti Bibliotheca plura et praestantiora subsidia largitur, quam *Historiae Literariae*, in quibus item multa sunt, quae alibi frustra quaeras [28]). Hanc Librorum classem permagni esse momenti, quisque animadvertet, qui nomina attendit innumerabilia, in Historiâ passim obvia, et de incredibili Scriptorum Arabicorum multitudine vel fando

inaudiverit. Tanta enim haec olim fuit, quanta in nullâ aliâ Gente exstitit unquam. Quae enim Gens majore cum fervore Literas coluit! quae Lingua, ne Graeca quidem olim, et vix Gallica hodie, per tam latam Orbis terrarum partem talem nacta est principatum, qualem Arabica! His si multa addis secula, quibus hae Literae florebant, et varias cogitas ac diversas Disciplinas, de quibus Moslimi Arabice exposuerunt, causa profecto cuique manifesta est, cur Arabicarum Literarum ambitus vere dicatur *immensus*.

In variis his Disciplinis *Geographia*, quam dixi, non ultimum locum obtinet. Magnis quidem multisque defectibus Arabici non minus, quam Graeci et Romani Geographi laborant, permulta ideo Recentiores summo cum jure in illis graviter reprehendunt, fabulasque aniles saepius recurrentes merito perstringunt et deridenf, at nihilominus hi Libri pretiosissimis Arabum monumentis sine dubio annumerandi sunt. His enim ea continentur, quae Moslimi in variis dissitisque Orbis terrarum partibus ipsi observarunt, quibus Geographia tanta, quanta nulla alia ab iis exculta Disciplina, incrementa accepit. Nonne *armis* ii in regiones ante prorsus ignotas penetrarunt? et quas vi non subigebant, ad has ipsorum *Religio*, ab innumeris populis recepta, aditum iis aperuit. Et ubi nec bellum, nec Religio viam ipsis muniebant, *mercatarae* studium eos deduxit, quae causa fuit, ut in remotiores terras pervenirent, quin in portibus Sinensium, postea iterum clausis, nostrâque demum aetate rursus apertis, seculo 9° et 10° emporia jam haberent. In primis vero Geographiae amplificandae profuit praeceptum Qoranicum, quo peregrinatio Meccana semel saltem suscipienda cuivis germano Moslimo praecipiebatur. Sic homines innumerabiles ex variis gentibus dissitisque regionibus ad longinqua itinera suscipienda excitabantur, nec pauci, ubi ex extremo Oriente vel Occidente in urbem sacram pervenerant, ad alias remotiores terras porro adeundas, sive lucrandi, sive Literarum studio ducti, denuo impellebantur. Vix dici potest, Auditores! quantum haec itinera contulerint ad diversissimos populos arctiore vinculo jungendos, ad singulas Disciplinas excolendas, praesertim vero ad terrarum notitiam in dies amplificandam [29]).

Dicta, Auditores! pro nostro instituto sufficiant ad Bibliothecae, eximio Librorum, has Disciplinas egregie illustrantium, apparatu instructae, *praestantiam* quodammodo demonstrandam. Sed quid splendissimae Bibliothecae prosunt, si quae ipsis continentur, ad publicam notitiam non perferuntur! Sapienter ergo pristini hujus Academiae Curatores voluerunt, ut *Catalogi* conscriberentur. Horum enim *quatuor* seculo 17^0^ prodierunt, *unus* seculo praecedente [30]). His vero suo consilio non satisfacientibus, HAMAKERO etiam mandatum est, ut *novum* Catalogum pararet [31]). Quo officio quomodo fungi volucrit Vir summus, *Specimen Catalogi* declarat, quo 21 Codices praestantissimos fuse, erudite, egregie descripsit. Vix inchoati Catalogi laborem deinde suscepit WEIJERSIUS, ac diligentissime persecutus est, sed praematurâ morte ante hos fere decem annos abreptus, absolvere non potuit. Accuratae tamen et eximiae operae, quam in Codicibus quam plurimis posuerat, Specimen is etiam edidit [32]), utilissimumque apparatum, futuro Catalogo collectum, reliquit.

In WEIJERSII locum succedens, Catalogum conscribendum DOZYO nostro commisi, cui quomodo haec res cesserit, *duo* testantur *Volumina*, tertio abhinc anno edita, quibus *nongentos quinque* Libros descripsit, quo Opere, ut aliis multis Scriptis laudes sibi conciliavit quam maximas, quas tamen hîc repetere verecundia vetat, et cujusmodi omnes nostrum KUENENIUM ornaturos esse, auguror, quicunque partem Catalogi difficillimam mox lecturi sunt, quam hic indefesso labore persequitur.

Non tamen solis *Catalogis*, sed etiam alio modo Academiae Curatores Codices nostros ad publicam notitiam proferre studuerunt. Novo nempe *Munere* instituendo, efficere conati sunt, ut Codices *ipsi* ederentur. Munus dico *Interpretis Legati Warneriani*. Primus hoc Munere ornatus est ALBERTUS SCHULTENSIUS, anno 1729 Franequerâ huc vocatus; in quem hunc honorem recte collatum esse, ex *Vitâ Saladini*, quae biennio post, et ex iis, quae deinde prodierunt [33]), cuique compertum est.

Alia Arabum Scripta Scriptorumve Excerpta *quinque* sequentes Interpretes addiderunt, ac multo plura sine dubio addidissent, si nostrâ vixissent aetate. Ipsorum saltem conditio, istaque tempora ei consilio strenue peragendo non valde favebant. Negotia modo cogitate varia, quibus obruti, lites ecclesiasticas, et turbas in rep. ortas, quibus immixti fuerunt; postea

repentinam SCHEIDII mortem, et ne alia addam, summas, quibus Libri Arabici edendi semper subjecti sunt, tunc vero magis etiam premebantur, difficultates. Has tamen magnam partem sustulit HAMAKERUS, cujus alacritati et efficacissimo Curatorum interventui favorem debemus, quo ab anno 1823 *sexcenti floreni* Libris OO. edendis ex publico aerario quotannis attribuuntur.

Alia insuper impetravit WEIJERSIUS. Eos nimirum Literae OO. nostrâ aetate faciebant progressus, ut si Interpretis Munere bene fungeretur, ac Disciplinae votis quodammodo responderet, omnia *solus* non amplius peragere posset. Itaque quarto decimo abhinc anno *duos* nactus est *Adjutores*, quibus postea tamen *unus* tantum suffectus est [34]).

Conditionem ergo, quâ hodie haec Disciplina fruitur, pristinâ conditione multo profecto meliorem, magni facimus, et grato animo celebramus lubenter. Ne tamen putemus a Civitatis auxiliis laetam harum Literarum sortem unice pendere. *Aliorum* etiam quam plurimorum favore ipsarum studium excitandum, alendum, sustentandum est. Semper quidem rara futura sunt SCALIGERI, WARNERI, ac nostrâ aetate ROMANZOFFII [35]) exempla. At quot reperiuntur, quibus, de hac Disciplinâ egregie merendi copia datur, sive Libris MSS. nostro apparatui addendis, sive pretiosissimorum Operum editione provocandâ aut promovendâ, sive praestantium Juvenum studiis juvandis, atque opportunitate iisdem parandâ alias etiam Bibliothecas adeundi, iterve in Orientem suscipiendi! Cujusmodi itinera quantae sint utilitatis ad Linguas OO. penitus cognoscendas, ad priscam Orientis conditionem ex hodierni rerum statûs consideratione illustrandam, ad novos Libros colligendos, GOLIUS olim probavit, ac multi Exteri, Viri celeberrimi, ut vidimus, hodie probant.

Ad Codices deinde legendos et edendos, quam plurimorum postulatur opera. Ab iis haec primum exspectatur, qui eas Literas ipsi docent, sed et in vos, Juvenes praeclari! Disciplina oculos conversos tenet; nec tantum in Theologos, sed in eos etiam, qui in aliis Disciplinis operam ponunt. Nullos a se alienos censet Literarum OO. studium, quin ut metam, in quam tendit, aliquando attingat, omnium Disciplinarum auxiliis indiget. Multa enim licet iam acta sint, multo plura peragenda restant. Non aliam fere haec Disciplina nunc vivit aetatem, quam Graeci et Romani Scriptores

seculo 16⁰ ineunte. In lucem proferendi sunt Libri, qui jam in Bibliothecis latent; iique soli, qui Arabicâ Linguâ scripti sunt, ne Persicos nuncupem, Turcicos, alios, multo plures sunt, quam Graecia umquam et Latium tulit, — Grammatici et Lexicographi, Historici et Geographi, Theologi et Jureconsulti, Mathematici et Astronomi, Medici et Historiae Naturalis Scriptores. Omnes ii suos sibi flagitant patronos, vindices, studiosos, et flagitant suo jure. Nihil tamen postulatur, quod fieri nequit. Ex Mathematicis nostrum cogitate UYLENBROEK*IUM*, Germanorumque decus, WOEPKE*UM*; ex Medicis GREENHILLI*UM*; ex Jureconsultis et Diplomatices peritis WARNER*UM*, D'OHSSON*UM*, alios. His claris Viris utinam alii etiam ex Nostratibus *posthac* annumerentur, ac dignos sic nos praestemus thesauris, quorum non *custodia* tantum nobis commissa est, sed *cura* maxime ipsos in *omnium* usûs tandem et quam primum convertendi.

Ad res, quae me Rectore acciderunt, enarrandas pergo.

Omnes, quos superiore anno salutabamus, *Curatores*, non modo sunt superstites, sed ipsorum numerus rursus est integer. In locum enim Viri de Patriâ et Academiâ meritissimi, VAN DOORN VAN WEST-CAPPELLE [36]), Curator creatus est Vir Nobilissimus DAN. THEOD. GEVERS VAN ENDEGEEST. — Te, Vir Amplissime! a Rege Augustissimo ad gravissimum hocce Munus vocatum esse, omnes gaudemus. Nam si quis dolorem ex Viri illius laudatissimi et desideratissimi morte ortum, lenire, et jacturam, quam Academia exinde passa est, reparare possit, ex te id jure exspectamus. Novimus ardorem, quo singula, quae tibi committuntur, aggrederis, consilium et prudentiam, quibus in his versaris, constantiam, quâ haec ad finem perducis. Multa ideo tibi debet et haec Provincia ac Patria universa. Sed quid res hîc tantum referam *Civitatem* potius, aut *publicam omnium Civium salutem* spectantes! Te *verbis* non minus quam *factis Scriptis*que de his rebus meritissimum, te etiam novimus priscum hujus Academiae Alumnum, hujus Academiae semper amantissimum, et ipsius pariter ac Disciplinarum causam, ut nuper rursus probasti, alacriter strenueque tuentem. Hanc igitur Academiam quam lubentissime tibi commendamus, et

Deum oramus, ut te per longam annorum seriem ipsi servet, tuaque consilia, quae cum Collegis, Viris Amplissimis, in Academiae salutem ineas, fausta et prospera reddat.

Summam felicitatem et tu experiare, Vir Amplissime VAN DER HEIM VAN DUYVENDYKE! in splendido Munere gerendo, quo iterum te ornatum vides. Quid in gravissimâ haccc et florentissimâ Provinciâ administrandâ cupias, Munus suscipiens, publice ac diserte ipse significasti. Haec vota utinam expleantur, et haec Praefectura causa tibi exsistat, ut res item hujus Academiae, quas *Curator* summo cum studio semper agis, *Provinciae Praefectus* magnâ etiam cum efficaciâ, ut optas, datâ opportunitate vindices et promoveas.

Ordinem vestrum, Collegae conjunctissimi! oculis perlustrans, Virum desideramus, Cl.^{um} VERDAM, qui, ut omnia, quae ipsi facienda incumbunt, praeclare agit, ita *Acta Senatús* hocce anno quam diligentissime curavit. Nostis morbum, qui eum prohibet, quominus hîc adsit. Faxit Deus, ut brevi prorsus convalescat, atque Academiam et Disciplinam, quam profitetur, diu ornare pergat!

Gravibus clarorum Virorum cladibus Patria anno praeterlapso alibi afflicta est [37]). In his, quas graviter dolemus, nobis tamen multiplex sane est laetandi causa. Nullum enim ex nobis, Viri clarissimi! morte abreptum lugemus, Ordinem contra videmus tribus Sociis auctum. In summo quidem vitae discrimine hisce diebus versabatur Celeberrimus REINWARDT*IUS*, sed huc usque, quod valde gaudemus, vires Deus confirmavit, quas utinam ét nobis, ét omnibus, quibus est carissimus, diu confirmet. Ac reliqui *Rudedonati* non modo omnes sunt superstites, sed in suis Disciplinis operam collocare, et quantum rerum conditio sinit, Academiae Alumnis bene consulere pergunt. Ac vos cl. TYDEMAN, et VAN HENGEL! ita insuper valetis, ut hunc festum diem etiam rursus celebretis nobiscum. Non opus est, ut vota ante ex hoc loco saepe jam nuncupata, repetam, quae si explentur, futurum est, ut vos cum omnibus Rudedonatis per multos annos hujus Ordinis decus sitis et ornamentum.

In horum numerum ob aetatem septuagenariam nunc etiam relatus est SCHRANT*IUS* noster. Otium post vitam in perpetuo Literarum studio ét hîc ét in Academiâ Gandavensi transactam merito datum, ei gratulamur.

Vitam Deus ipsi producat, ut hanc ei studio continuando sine intermissione impendat.

Quae hoc anno experti sumus, Viri Cl.! varia sunt. Laetos dies tristes exceperunt, sed et anxia sollicitudo, ut aliis evenit, in summam hilaritatem conversa est. Et quis est, qui Deo O. M. gratias non agit quam maximas, pro confirmatâ valetudine, pro corroboratis viribus, pro conatibus, quos Ille felices reddidit! Non exspectatis, ut singula nuncupem, quibus quisque vestrûm de suâ Disciplinâ hocce anno bene meruerit [38]). Pergamus modo alacri animo duplici fungi officio, quod nobis incumbit, ét Discipulis prodesse, ét Disciplinarum fines latius proferre.

Probe scientes, quot quantaque nobis sint mandata, jure profecto dolemus, si locus in nostro consessu aliquamdiu vacet. Vos praesertim Cl. KIST et SCHOLTEN! id persensistis, quum, quarto Facultatis Socio nondum creato, nova calamitas ingruit tristissimo OORDTII obitu, Viri laudatissimi, cujus oblivio nec vos, nec me neminemque, qui eum novit, et nobiscum amavit, umquam capiet. Sed difficultates, quae ex miserâ istâ rerum conditione oriri potuissent, nunc sublatae sunt. Duos alios nacti estis Collegas, quibuscum spero ut Theologiae, quae vobis jam permulta debet, varias partes quam diutissime vindicetis hoc eventu, ut quam plurimi ex vestrâ Disciplinâ prodeant Discipuli Patriae Ecclesiaeque utilissimi.

Quid tibi, Cl. NIERMEIJER! acceptius esse possit, quam si his fructibus laborem tuum cumulatum videas? Quam optatus tu nobis esses, sensisti. Ac fieri aliter non poterat, quin multa accuratae doctrinae Specimina, quae ante edidisti, tui desiderium excitarent. Opportunitatem nunc tibi datam, huic Disciplinae totum te tradendi, et hanc Provinciam laetis auspiciis jam susceptam, ex animo tibi gratulor. Vires Deus alat et sustentet, studiorumque successus tibi contingat, quo fruitur Senex venerandus, in cujus locum successisti!

Te, Cl. KUENEN! in *Theologorum* Ordinem relatum esse, quam plurimi pariter laetantur. Ego, si dicam quod sentio, doleo quam maxime. Minime tamen, quia te Theologiae praeclare colendae et docendae minus aptum censeo; — contrarium augurabar, ac tu factis egregie jam probasti: — sic vero judicabam, quia noveram, quid Literis OO. ex te sperare liceat; quia hae Literae in perpaucorum, qui has aggredi audent, numero,

neminem fere, ipsarum causam strenue agentem, missum facere possunt; quia denique Virorum, Theologiae laude clarorum, non ea videbatur esse penuria, ut necesse esset illi Disciplinae jacturam inferre, quae facile et statim reparari nequit. Sed eo amore in Literas OO. ardes et flagras, ut nullus dubitem, quin et has deinde, quantum fieri possit, cum Theologiâ juncturus sis; quo facto bona quaeque in Theologiam exinde certo redundabunt. Adsit tibi Deus, Amice! ut quae tibi proposuisti, *omnia* peragas, in utriusque Disciplinae emolumentum!

Si *tertium* demum te alloquor, Cl. DE VRIES, ne credas, Duumviris, ad quos modo verba feci, te postponi. Tuum enim adventum nobis item fuisse gratissimum, videbas. Quod quam jucundum *tibi* fuerit, totus *ego* sentio. *Academiam* nempe reliquisti *Groninganam*, quae ut tibi dilecta est, ita mihi carissima mansit, adeo ut suavis ipsius recordatio animo nostro numquam excidere possit. *Haec* tamen loca, non uno nomine mihi amata, te etiam alliciunt et attrahunt. In Urbem reversus es, cujus *Gymnasium* ante ornabas; ad *almam* rediisti *Matrem*, quae te item nutrivit, teque jam vocat ad Disciplinam tibi dilectissimam profitendam. *Aliae* partes, quae nunc, ut ante, insuper tibi mandantur, laborem profecto mirifice augent, sed ex te non plura, nec graviora, quam ex multis nostrûm exigi, multi quidem ignorare videntur, *tu* vero probe intelligis. Spem ergo ne mittamus, ut *pluribus* aliquando *singulae* aut *nonnullae* partes committantur, quae *conjunctae unum* aut *pauciores* premunt, quo nihil pejus Disciplinis bene colendis excogitari potest. Quid ergo tibi jam laetius expetam, quam ut haec vota quam primum rata fiant, utque Disciplinam, quam pulchre et facunde commendasti nuper, plures in dies colant et vindicent. Sic Nostrates ét aliis Gentibus celebrioribus, ét Germanis praesertim, aemulentur; sic futura Disciplinae conditio, quam veluti in *tabulâ* eleganter depinxisti [39], te Auctore et praestantissimorum Discipulorum operâ, aliquando in *rem* convertatur *in facto* positam.

Ad te etiam me converto, Cl. DOZY! Quae tua in Literas OO. sint merita, omnes harum rerum periti norunt. In multis hujus Disciplinae partibus, quas jam ante *Scriptis* editis, ac hisce annis insuper *Scholis* habitis, illustrasti, *res Hispanicae* primum locum tenent. Id ipsos Hispanos perspicere et magni facere ac grato animo agnoscere, quid mirum!

Hujus animi sensûs indicio tibi sint *Ordinis*, a CAROLO III^tio dicti, insignia, quibus Hispaniae Regina te donavit.

Nec te non salutatum transire possum, Cl. KAISER! Huc usque aegre ferebamus, tibi, sine intermissione studiis dedito, studiisque ac vigiliis attrito et fere confecto, non aptiorem fuisse docendi ac Stellas observandi locum. Gratissima ideo nobis verba erant nuper in publico Ordinum Generalium consessu, hodieque non frustra, ut speramus, enunciata [40]). Laetamur quam maxime superesse Disciplinarum Patronos, qui quae *publicis* impensis nondum suscipi posse videntur, *privatis* sumtibus condere student. Et in his *Academiae Cives* non modo non desiderari, sed et omnibus praeivisse, quis vivido applausu non probavit? Brevi jam surgat novum *Observatorium*, consilio aptum, Scientiâ et Academiâ, ac te, de quo Astronomia gloriatur, dignissimum!

Non tamen *futura* tantum te recreant, sed etiam quod nuper impetrasti, animum nunc exhilarat. Per multos annos promtum desiderabas ad Stellas observandas auxilium. Haec vota tandem expleta sunt. Rex *Observatorem* tibi dedit lectissimum Discipulum, Doct.^um J. A. C. OUDEMANS, quo eventu te non minus quam ipsam Disciplinam ac tuum Discipulum felices praedico. Hic enim si jam praeclare meruit de Gymnasio Leydensi, quod omnes testantur, qui eum docentem audiverunt, eoque Praeceptore usi sunt; si porro multa jam sunt ejus de Astronomiâ merita, quae Exteri jure celebrant ac tu magni facis, — quam accepta ipsi et eximia haec est, quae nunc paratur, opportunitas nova adamatae Disciplinae incrementa addendi! Quae res quin egregie ei eventura sit, nemo dubitat.

Ad vos venio, Juvenes dilectissimi! vosque allocuturus, laetor vestras laudes praedicandi copiam mihi esse uberrimam. *Morum* enim si considero *probitatem* et *honestatem*, nescio fere, quem non commendem; si *humanitatem*, hanc ipse, si quis alius, hoc anno expertus sum; si *studiorum fructus*, haud pauci hoc nomine celebrandi sunt. Multi, studiis hîc peractis, sive Doctoris gradum nacti, sive instituto examine probati, vitam Academicam cum publicâ permutarunt. In his non deërant, qui conscriptis Dissertationibus Patriae vel Ecclesiae spem excitarunt pulcherrimam. — Ex iis, qui in mediis nobis adhuc versantur, haud pauci studiorum assiduitate et praestantiâ sunt conspicui, nec *Praeceptoribus* modo ardorem et pro-

gressûs probarunt, sed *publice* etiam *nonnulli* diligentiae Specimina dederunt [41]). *Quatuor* nempe in Academiâ Trajectinâ praemio donati sunt; *aureo* unus, GUILIELMUS NICOLAUS DU RIEU, qui quaestioni respondit, a Facultate Literariâ propositae; tres reliqui *argenteo:* GERARD*US* JAN*US* BERNARD*US* HENNY historicâ, SIMKE*US* HEERTS RINKES juridicâ, HENRICUS WORST theologicâ quaestione susceptâ. Vobis, Juvcnes praestantissimi! hacc laboris praemia novos animos addant, vestrumque exemplum omnes vcstros Sodales impellat!

Hisce, Commilitones! *infausta* apponere utinam ne coactus essem! Sed hicce annus, nullâ clade Academicâ hîc ceterum notatus, vestro Sodalitio, eheu! quam luctuosissimus fuit. *Sex* ex mediis vobis mors sustulit: ARNOLD*UM* VAN TROTSENBURG, ARENT*IUM* JAN*UM* TER WEEME [42]), JACOB*UM* PETRUM HAVELAAR, CORNELIUM JACOBUM EGTER, ELIAM MARIUM CORNELIUM ENDTZ, HENRICUM ANTONIUM BYVOET, quorum primus et penultimus *Theologiae*, secundus *Medicinae*, tres reliqui *Jurisprudentiae* erant destinati, in quâ Facultate EGTER et BYVOET *Candidati* gradu jam erant ornati. Omnes, ut nostis, suis laudibus erant insignes, omnes Praeceptoribus pariter atque Amicis dilectissimi, Parentibus omnes et Cognatis carissimi. Quam vellem, tempus mihi pcrmitteret, de singulis nunc exponere. Nihil profecto mihi esset suavius; — sed susciperem, quod Vobis, ipsorum Amicis integerrimis, melius mandetur! Ac meis verbis vos sane non indigebitis. Nam mortui licet, in vestris animis ii in sempiternum vivent. Placeat Deo, ut post vitam bene peractam, omnes, cum Amicis meliore vitâ fruentibus, aliquando rursus conjungamur.

Quae ceterum memoranda sunt, Auditores! *studiorum subsidia* spectant. Haec tamen ob temporis angustias paucis absolvam. Quid enim multis agam de *Theatro Anatomico*, de *Laboratorio Chemico* et *Physico;* quid multis dicam de *Museis Anatomico*, *Physico*, *Chemico;* de *Collectione*, quae ad *Agriculturam* pertinet, et ad *Antiquitatem*, *imaginibus tabulis*que illustratam; aut de *Horto*, et *duobus* ipsius *Herbariis*, reliquoque *apparatu;* et, quae sane non ultimo loco memorari merentur, de splendidâ *Numorum*

Collectione, et *Bibliothecâ* pretiosissimâ. Omnia ea perlustrans, Praefectorum miratus sum curam et diligentiam, ac rerum magnam copiam, aptamque dispositionem. Multa vidi, quibus singula hocce anno aucta sunt, sed vota etiam audivi, vota urgentia, ut quae desiderantur, — et haec non pauca esse intelligitis, — brevi emendentur, aut deinceps addantur.

Alia porro alii per multos annos frustra petentes exoptant. Desideratur v. c. hucusque *Museum Anatomiae comparatae*, ac Vir Celeberrimus, hanc Disciplinam docens dicam an potius ornans, *Prosectorem* nondum accepit. Ac *Chemia* quot quantaque suo jure postulat! *Laboratorii* spatium minime sufficere videtur iis, qui in hac Disciplinâ operam ponunt; angustior est locus *Chemicis praeparatis* servandis; conclavia porro, an *stabula* dicam, intravi, arcta et humida, quibus instrumenta et insignis suppellex continentur, vel potius *corrumpuntur*. Haec sane, Academiâ nostrâ indigna, praesens poscunt auxilium, non tantum ne haec majoribus in dies detrimentis afficiantur, sed ut haec Disciplina aliaeque, ut alibi, rite excoli possint.

Gaudeo tamen, Auditores! non opus esse, ut *querens* dicendi finem faciam. Jucundiora nempe *Medicorum* Ordini contigerunt. Ad Medicinae institutionem juvandam *rerum Pharmaceuticarum* apparatus hocce anno Academico colligi coeptus est, qui ut sensim augeatur et amplificetur sane optandum est [43]). In primis tamen volo diu jam agitatum consilium *Academiae Urbisque Nosocomia* jungendi. De conditionibus, quibus novum hocce et amplius Nosocomium condendum sit, Academiae Curatores Urbisque Magistratus invicem convenerunt, eaeque conditiones nunc *Lege* sancitae sunt [44]). Dictum ergo consilium nunc peragi *potest*, et quam primum ad eventum perducatur! Urget et hîc necessitas. Quae enim subsidia Disciplina postulet jubeatque, aedificia, et in his splendidissima, tum et in Patriâ condita, manifesta reddunt. Cujusmodi si *alibi* videmus exstructa, quidni *hîc*, et *nunc* praesertim, retardemus? Brevi ergo in hac Urbe *novum* etiam contemplemur *Nosocomium* Academiae, quae Medicinâ colendâ adeo inclaruit, insigne decus et praesidium!

Superest, ut Rectoris Munus Successori tradam. Quod acturus, Deo O. M. gratias ago quam maximas pro auxilio, hocce anno semper praestito. Eodem Deus et tibi adsit perpetuo, Cl. KRIEGER! qui a Rege Augustissimo Rector creatus es! Salve Vir Magnifice, iterumque salve! In hac Provinciâ, quam lubentissime tibi trado, tenendâ et administrandâ omnia tibi feliciter cedant. Sic nullum est dubium, quin futurum sit, ut sub tuo etiam Magistratu floreat et crescat Academia Lugduno-Batava.

ANNOTATIO.

1) Pag. 8 lin. 2. *Quos*, hocce Argumentum eligens, ob oculos habuerim, vix aliquem latebit. Eos enim, qui in Literis OO. operam ponunt, minime respexi. His enim pleraque quae dixi, sine dubio notissima sunt. Eos solos spectavi, qui has Literas ipsi non colunt, sed quibus nihilominus non ingratum est, alios de suâ Disciplinâ, et hac nostrâ Bibliothecâ disserentes audire. His porro quia Libri, quos adii, vulgo desunt, operae pretium esse videbatur, si alibi dicta in *Annotatione* paucis repeterem.

2) Pag. 8 lin. 6. Dicta intelligo 1° H. E. Weijersii in *Commentariis de Codicibus Manuscriptis Orientalibus Bibliothecae Leidensis*, insertis Repertorii, cui titulus est *Orientalia*, Vol^i. I° et II°, ubi de Bibliothecae *historiâ* vid. Vol. I, p. 297 et seqq.; 2° R. P. A. Dozyi in *Prologo*, praemisso Vol^i. I° *Catalogi Codicum Orientalium Bibliothecae Lugduno-Batavae*, p. I et seqq.

3) Pag. 8 lin. 12. In pluteis nostris N. 212—268. De his vidd. Weijers l. l., p. 299, et Dozy l. l., p. II.

4) Pag. 8 lin. 20. Hi Libri in pluteis N^is 1—211 et 1221 signati sunt. De his et multorum sorte, vid. Dozy l. l. p. VII—XV. Praeter Libros, studium spectantes V. et N. T., quos Erpenio maximam partem debemus, aliosque, de Astronomiâ, Arithmeticâ, Medicinâ, Chronologiâ exponentes, quas Disciplinas Golius valde diligebat, inter dictos Libros reperiuntur etiam Philosophi, Medici, alii. Prae ceteris vero memorari merentur Poëtae, Lexicographi, Grammatici, Historici, Traditionis Scriptores, Biographi et Geographi.

5) Pag. 8 lin. 24. Hoc efficio ex dictis A. Schultensii in *Dedicatione*, *Vitae Saladini* praepositâ, p. 2.

6) Pag. 8 lin. 28. Praeter 63 *Hebraeos*, in Catalogo anni 1716, p. 405—408 separatim enumeratos, *Arabicis*, *Persicis* et *Turcicis* accesserunt Codices 930, a Num. 269—1199 in pluteis reperiundi. De his Codd. vidd. dicta Dozyi l. l. p. XV et seq.

Alii Codices postea accesserunt; ad *Hebraeos* Codices *duo*, *unus* ad *Arabicos*. Duos Hebraeos mense Julio anni 1854 emi a Mercatore Fezzāno, cui nomen MOZES HECHT, qui huc iter fecerat. Horum alter exhibet Librum Isaäci ben Samuel Acconensis celeberrimum, cui titulus est מאירת עינים, quo continetur Commentarius in Commentarium Nachmanidis in Pentateuchum. Alter liber est rarissimus, in nullâ, quantum scio, Bibliothecâ Europaeâ obvius, *Rituale* complectens, *in totum annum*, apud Judaeos Fezzanos usitatum, cui *constitutiones*, quae dicuntur, Arabice appositae sunt. Hunc Codicem, quia spem excitat, fore ut Judaeorum ritus, Medio aevo in Africâ vigentes, inde mirifice illustrentur, ad Doct. ZUNZIUM misi, ut Antiquitatem Judaïcam, quam egregie adeo (in Libris *die gottesdienstlichen Vorträge der Juden*, et *die synagogale Poësie des Mittelalters*), jam exposuit, magis etiam amplificet et exornet.

Codice *Arabico* continetur opus Al-Makkarii historicum, quo in Analectis (*Analectes sur l'histoire et la Literature des Arabes d'Espagne*) edendis utuntur Viri cll. et Doctt. R. DOZY, G. DUGAT, L. KREHL, et W. WRIGHT.

Praeter hos 3 Codices nobilissimos, alii 228 Libri MSS., quorum major pars *Semiticis*, minor vero *Persicis* aut *Turcicis* Codicibus constat, mense Februario anni 1856 in Bibliothecam nostram sunt translati ex Bibliothecâ Academiae Regiae Scientiarum, olim Instituti Regii Neerlandici, quo sublato, nihil optabam ardentius, quam ut iis Libris hîc uti possemus. Vota ergo, in Oratione p. 10 nuncupata, Ministro Regio, res Regni internas, ut ajunt, moderanti, significavi. Minister Academiae ea consideranda misit. Rem Academia probavit, et Rex Decreto 18i Novis. 1855 N. 89 sancivit, hac conditione, ut dicti Codices tamdiu in usus Academiae Leyd. traderentur, quamdiu Academia Regia ipsos non reposceret, utque a reliquis Bibl. Leyd. Codicibus, suis notis numerisve distincti haberentur. Res tradita est in Academiae Regiae relationibus: *Proces-verbaal der buitengewone vergaderingen der Afdeeling Letterkunde* 18 Junij 1855, bl. 13 en volg., en van 18 Oct. 1855, bl. 17 en volg.; *Proces-verbaal d. buitengew. vergad. der Afdeeling Natuurkunde* 26 Mei 1855, bl. 2 en volg. en v. 27 Oct. 1855, bl. 9 en 10, et in *Proces-verb. v. d. vereenigde vergad. der beide Afdeelingen* 26 April 1856, bl. 31.

Hi Libri maximam partem oriundi sunt ex Bibliothecâ Cl. J. WILLMET, Professore olim Amstelodamensi, qui Instituto Neerlandico eos testamento legaverat. Breviter jam descripti sunt Codices 222 priores in *Catalogo Bibl. Viri cl. J. Willmet* Amst. 1837, in Cat. Codd. MSS., p. 5—33. Reliqui *sex* constant *Catalogo* horum MSS. auctore WILLMETO, et *tribus Codicibus Arabicis* a cl. N. G. VAN KAMPEN Instituto olim datis, *Codice* porro Al-qoranī, in Bibliothecâ Regiâ reperto, et *apparatu*, quem cl. WEIJERSIUS congesserat *horum* Codicum Catalogo conscribendo, et cujus initium (p. 1—64) ipse typis exprimi jam curaverat. Reliquam et longe majorem partem absolvendam dedi Adjutori, Viro eruditissimo, P. DE JONG, cl. KUENENII in hoc munere Successori, qui hanc rem strenue persequitur.

Hunc Catalogum memorans, de alio item Catalogo, qui hodieque Bibliothecae Leydensi conscribitur, paucis dicam. Catalogum cogito Codicum (de quibus in Oratione p. 12 et 13 disserui) *Hebraïcorum*, qui, quoniam magnam partem constant Libris Hebraïcis *recentioribus*, a Viro

harum rerum peritissimo tantum describi possunt, quo hujus etiam Disciplinae, nostrâ aetate suo jure multo plura quam antea postulantis, votis prorsus satisfiat. Virum ergo, in Literis Hebraïcis recentioribus versatissimum, Curatoribus commendavi, Doct. M. STEINSCHNEIDERUM Berolinensem, cui, quod valde laetor, ac summas Curatoribus gratias agens, lubens trado, mense Majo anni 1854 ea res mandata est hac conditione, ut accepto 500 florenorum honorario, huc se converteret, Catalogum pararet, conscriptique edendi curam in se susciperet. Mense ergo Julio ejusdem anni itinere Leidam facto, apparatum congessit, unde Catalogum componeret, quâ in re nunc eo usque pervenit, ut anno praeterlapso exeunte (1856), Catalogi typis exprimendi initium facere potuerit.

Brevi etiam, ut spero, huic Catalogo accedet pars, quam Cl. KUENEN elaboravit, de quâ in Oratione p. 15 locutus sum. Aliam Codicum Arabicorum partem Adjutori P. DE JONG describendam commisi; quâ absolutâ supererunt Codices, *Juris Moslemici* Doctrinam spectantes, dignissimi sane, qui a Viro describantur, qui in *hac* Literarum Arabicarum parte habitet.

7) Pag. 9 lin. 6. Tria intelligo volumina Lexici Biographici, cui titulus est *Al-Moqaffa*, Al-Maqrīzīi manu exarata, de quibus vid. DOZY *Notices sur quelques Manuscrits Arabes*, p. 9 et seqq., *Cat. Codd. OO. Bibl. Acad. L. B.* II, p. 200 et seq., et, ubi etiam de reliquis Codicibus, ab anno 1668 ad 1806 allatis, idem loquitur, l. l. I, p. XVI et seq.

8) Pag. 9 lin. 12. Ex his Codicibus alii ab HUMBERTO et CHANGUINIO Bibliothecae donati; alii, et 20 quidem ex Bibliothecâ Societatis Indiae Orientalis, quae Amstelodami olim servabatur, huc translati: alii ex Bibliothecis OUSELEYI, N. G. SCHROEDERI, HAMAKERI et PALMII, sive in Oriente emti sunt. In his Ibn Ḳaldūn anno 1828 Tuncti, Ḥagi Ḳalifa Constantinopoli, et 82 anno 1837 et 1839 Ḥalebo advecti, in quibus Libri sunt rarissimi et utilissimi. De his et reliquis Codicibus, qui ab anno inde 1845 accesserunt, vid. DOZY l. l., p. XVII et seq. Praeter Persicam Aṭ-tabarīi versionem, donum Viri plurimum Venerandi J. HOOYKAAS HERDERSCHEE, et alios libros, quos cl. REINWARDTII aliorumque benevolentiae debemus, multi emti sunt ex WEIJERSII Bibliothecâ, et ex Libris Viri amplissimi B. T. NEDERMEYER BOSCH, Culemborgi anno 1848 divenditis, et partim, ut ferunt, oriundis ex spoliis, quae e castris Turcicis in bellis sub finem sec. 17^{i} gestis ablata sunt, ex quibus spoliis major item pars Bibl. Orient. Dresd. constat. (vid. cl. H. O. FLEISCHER *Catal. Codd. MSS. OO. Bibl. Reg. Dresd.*, p. IV et seqq.). — *Tres* ex splendidâ Bibliothecâ *Sacyanâ* tantum coëmtos esse vehementer dolemus, nemo vero mirabitur, qui noverit, quam caro pretio hujus libri fere omnes venditi sint.

9) Pag. 9 lin. 24. Vid. ejus *Ibn Foszlan's und anderer Araber Berichte ueber die Russen älterer Zeit.* Petersb. 1823, p. XXXIII et XXXVII.

Collectionem MSS. Lipsiensem, dictam *Refaïyam* (الرفاعية), postea memoratam, descripsit Cl. FLEISCHER in *Zeitschr. d. Deutsche Morgenl. Gesellsch.* VIII, p. 573 et seqq. Completitur 487 numeros. — Dictis Bibliothecis hîc addere etiam potuissem Bibliothecam orientalem *Gothanam*, quam in Oratione p. 10 de SEETZENIO loquens, ob oculos habebam, cujus viri alacritati 2000 circiter Codices Arabicos, Persicos, Armeniacos, Syriacos et Turcicos

ea debet, quos anno 1803—1809 Halebi, Damasci et Al-qāhirae is ipse coëmit; vid. Ulrich Jasper Seetzen, *Reisen durch Palästina, Phönicien, die Transjordan-Länder, Arabia Petraea und Unter-Aegypten.* Herausgegeben u. commentirt von Prof. Dr. Fr. Kruse. Berl. 1854 I, p. xliii, et J. H. Moelleri *Catal. Librorum tam MSS. quam impressorum Bibl. Goth.* Goth. 1825 I, p. iv.

10) Pag. 10 lin. 11. Fresnel*ium* v. c. cogito, Franco Gallorum olim Consulem Ǧiddae, Arabiae urbe; Mordtmann*um* porro et Blau*um*, quorum *ille* urbium Hanseaticarum res Constantinopoli curat, hic vero Legationi Borussicae est Socius.

11) Pag. 10 lin. 17. Vidd. supra dicta n. 8.

12) Pag. 10 lin. 21. Vid. *Jaarb. van het Kon. Nederl. Instituut voor* 1851, p. 165. Horum Librorum Catalogum conscribendum anno 1841 in se suscepit Weijersius (*Proces-verbaal v. d.* 34e *verg. v. h. Kon. Nederl. Inst., gehouden den* 30cn *Aug.* 1841, p. 21 et seq.), cjusque partem, ut p. 26 vidimus, non modo absolvit, sed et typis expressit. Haec tamen nondum in lucem prodiit. Quanti vero momenti et haec Weijersii scriptio sit, ex iis apparet, quae exinde tradidi anno 1846 in *Commentariis in Historiam Gentis Samaritanae*, p. 58 et seqq.

13) Pag. 11 lin. 2. Vid. *Spec. Catalogi* in Praef. p. i.

14) Pag. 11 lin. 23. Praeter *Apocalypsin Syriacam*, in Catal. anni 1716 memoratam p. 405 n. 18, et a Lud. de Dieu editam, in eo Catalogo conff. in primis p. 410 n. 26 (1198), n. 29 (561), et quae partim ex Peschito fluxit, *Arabica Erpenii*, n. 25 (217), de quâ vid. de Wette *Einl. in's N. T.* 1848, p. 16. De aliis Codd. *vers. Arab.* vid. idem Catal. p. 410 n. 27 (223), 28 (225), 30 (619), 34 (245), 35 (214), 36 (255), 40 (252), 41 (218). *Persicae* Euangeliorum versionis *tres* Codd. hîc habentur, de quibus vid. ibid. p. 410 n. 31, 32 et 33 (291, 675, 701), de quâ versione loquitur de Wette l. l., p. 25 et seq.

15) Pag. 11 lin. 26. Vid. dictus Catal. p. 410 n. 39 (454), 41 (218), et n. 34 (245).

16) Pag. 11 lin. pen. Codex nempe servatur *Levitici* (Cat. p. 405 n. 20), aliorumque librorum V. T. (l. l. p. 409 n. 6 s. 1195), ac partium Cod. Hebr. cum versione latinâ interlineari (l. l. p. 410 n. 42 s. 645), totiusque V. T., additâ Masorâ (l. l. p. 409 n. 9 s. 1197).

17) Pag. 11 lin. ult. Vid. Cat. p. 409 n. 1 (6), de quo exposui in Diss. praemissâ *Chronico Samarit.*, p. 18 et seqq., collatâ tabulâ, p. 40 appositâ.

18) Pag. 12 lin. 1. L. l. p. 409 n. 2 (215), ab Erpenio anno 1622 edita. Deinde attendantur n. 3 (236), et 4 (377).

19) Pag. 12 lin. 2. L. l. p. 409 n. 11 (253), et p. 405 n. 17 Scaligeranus.

20) Pag. 12 lin. 3. L. l. p. 404 n. 1, 7, 13; p. 405—408, n. 1—5, 8, 12, 16, 19, 23, 27, 30—32, 46, 49, 54; p. 409 n. 10 (1099).

21) Pag. 12 lin. 4. L. l. p. 409 n. 7 (230). Deinde de *Talm. Hiëros.* p. 404 n. 3, de *Lexicis Hebr.* ibid. p. 404 n. 5; de *Scriptis Jud. philos.* ex Scaligeranis p. 404, n. 6, 11, 13, 14, et ex Warnerianis p. 405 et seqq., n. 6, 7, 9, 11, 13—15, 17, 18, 20—22,

24—26, 29, 33, 35, 36, 39, 42, 45, 56. Quae Ḥagi Ḳalīfa I, p. 451 de *Commentariis Arabicis* tradit in Euangelium (Šarḥo'l-Ăngīl) scriptis, non magni sunt momenti. De hujusmodi Commentario loquitur etiam Al-Maqrīzī (Wüstenf. *Macrizi's Gesch. d. Copten*, p. o l. 16 et seqq., coll. p. 17), qui locus nonnullas exhibet Moslimorum de J. C. et Apostolis traditiones, quibuscum conff. ibid. p. ٣٩ l. 18, et p. 87; dicta porro Pseudo-Wāqidii *Hist. expugn. Aeg.*, ab Hamak. edit., p. 25, 29, 41 et seq., et in notis p. 55 et seq., et 62 ac seq., et Weil *Bibl. Legenden der Müselm.*, p. 280 et seqq.

22) Pag. 12 lin. 14. Vid. Cat. p. 408 n. 57. De festis iis conf. p. 410 n. 38 (243), et 37 (170).

23) Pag. 13 l. 6. De *Karaeis* vid. Cat., p. 406, n. 25 et 26; p. 407 n. 41; p. 408 n. 60; et (qui libri de Warneri studiis hac in re testantur) p. 409 n. 8 (387), n. 10 (1099), 14 (1113), 15 (1126), 16 (383). Vid. porro Wolfii *Bibl. Hebr.* III, p. 1219.

24) Pag. 13 lin. 8. De *Schabathaeis*, s. *Schabatkianis*, Sectâ, sic dictâ a *Schabathai Zevi*, vid. Cat. p. 407 n. 41 et 45, et conff. dicta mea in *Letterk. Bijdragen*, 2e st., Leid. 1838, p. 2 et seqq., atque *Journ. of the American Oriental Society* II, p. 1—26, coll. *Zeitschr. der Deutsche mörgenl. Gesellsch.*, VII p. 257 et seq. Hanc Sectam in Patriâ nostrâ multos habuisse socios, tum ex scriptis videmus, de eâ hîc editis, quorum nonnulla enumerantur in *Catalogo Bibliothecae Palmianae*, p. 132, tum ex dictis Viri ampl. H. J. Koenen (*Gesch. der Joden in Nederland*, in *Nieuwe Verhandelingen v. h. Prov. Utrechtsche Genootschap*, Tom. XIII, p. 161—164).

25) Pag. 13 lin. 9. Conff. v. c. quae de variis Judaeorum et Samaritanorum Sectis, tradidi ad *Chron. Sam.*, p. 111 et seqq., ubi attendatur in primis p. 116. — Hujusce Samaritani Chronici finis in Cod. Leyd. desideratur; hic vero, ut, Libro edito, comperi in Codice quodam Berolinensi exstat, quem ideo, datâ opportunitate, edam. Alia *Samaritanorum* Opuscula Codex complectitur Amstelod., olim Willmeti, de quibus vidd. dicta in *Commentariis* meis *in Hist. Gentis Samaritanae*, p. 58 et seqq.

26) Pag. 13 lin. 17. Vid. Fraehn *Ibn Foszlan*, p. IX et seqq.

27) Pag. 13 lin. 26. Conf. modo *Cat.* Dozyi, II, p. 1—30, ubi de *Poëtis* est sermo. Sequuntur *Historici* ibid., p. 142—190, ex quibus, ne de editis loquar, splendidum ad edenda Opera *At*-tabarii, Al-Mas:ūdii, Ibno-Ḳaldūni, Al-Maqrīzii, Ibno'l-Ġauzī, *Ad*-dahabii, *An*-nowaīrii, aliorum, apparatum attulisse sufficiat.

Multae porro Historiae partes ex nostris Codicibus novâ luce collustrantur, tum Islāmi primordia, et antiquissimae Moslimorum expeditiones, tum universa Omaijadarum et Abbāsidarum historia. Attendatur modo, ut haec afferam in eorum gratiam, quibus Dozyi Catalogus non est in promptu, Ibn-Hišāmi *Vita Moḥ.* (l. l. p. 155), Ibno'l-Ġauzii *Hist. Moḥ.* (p. 156), Al-Baladorii *Hist. regionum a Moslimis expugnatarum* (p. 157), Ibn-Ḥobaiši *Hist. expeditionum Moslimicarum*, (p. 158), et Libri, qui licet Al-Wāqidii nomen falso gerunt, ad antiquam tamen historiam explicandam, si critice legantur, sunt utilissimi (p. 159 et seq.). De *Ălīo* et *Ălīdis* Libros habemus unicos, 1° scriptum Ibno'l-Ġauzii, 2° quatuor Opuscula de caede al-Ḥosaini, quorum *primum* ejusdem est Scriptoris (p. 163 et seq.),

3° Librum de Alidarum Genealogiâ (p. 168). De Historiâ *Kalifarum* vid. (p. 162 N. 790; p. 189, N. 853; p. 302 et seqq. N. 897. In primis haec etiam illustratur ex *Epistolarum* Syllogis. In his 1° liber est unicus Ibn Halīli, quo res gestae sec° 10° post C. N. egregie explicantur (Cat. I, p. 144 et seqq.); 2° *Epist.* Abū'l-Alā'i (ibid. p. 148 et seqq.), etiam unicae; 3° *Epist.* Al-Ahwāzīi (ibid. p. 151 et seqq.); 4° *Epistolae* Persicae Bahāo'*d*-dīni, Actuarii Principis Nasāe sec° *II.* 6°. (p. 169 et seqq.), et Šamso'*d*-dīni, Al-Monšī An-nakgawāni, Actuarii Sultāni 'Owaisi Bahādūr kān, anno 759 vel 760 (p. 173 et seq.), aliaeque Epistolae Pers. et Turc. (p. 177 et seqq.) Summa sane est earum Epistolarum utilitas. Authentica iis insunt *Edicta* et *Diplomata*, ac res ibi narrantur, Principumque et aliorum Virorum dicta traduntur, quae Annalium Scriptores, ut leviora omittunt, at rebus saepe graviora sunt, quas ii longis verborum ambagibus exponunt. In medias res illae nos transferunt, in abditos ac non fucatos hominum sensus et interiorem animum insinuant, vera consilia patefaciunt, justumque rerum nexum detegunt. — Similia saepe ex Libris novimus, quos ceterum ad *Literas humaniores* referas, cujusmodi sunt Libri Al-Ahwāzīi et Aṯ-ṯaʿālibīi (I, p. 194 et seq., coll. p. 216—224), Al Mobarradi (ibid. p. 204) Abū-*t*-taijibi (p. 205), aliorum.

Ex aliis Libris accuratior peti potest historiae notitia, sive certarum quarumdam *terrarum*, ut *Aegypti* (II, p. 179, et, ubi de Al-Maqrīzīi, Abū'l-maḥāsini, As-Sojūtīi Hist. Aeg. fit sermo, p. 182 et seqq.), et *terrae Jemanensis* (p. 173 et seq., 196 et seqq., 300 et seqq.); sive celebriorum *urbium*, ut *Meccae* et *Al-Medīnae* (II, p. 169 et seqq.), *Hierosolymorum* (p. 175 et seq.), *Halebi* (p. 176), *Damasci* (p. 177, et ubi de vehemente anni 740 incendio, Christianis imputato, mentio fit, I, p. 154 et seqq.), et *Içpahānis* (II, p. 316 et seq.); sive *Numorum* (II, p. 190 et seq.), aut *Sectarum* (II, p. 188), et *clarorum Virorum*, ut Nūro'*d*-dīni et Çalāḥo'd-dīni (II, p. 181 et seq.)

His omnibus ut *Orientis*, ita aliis Libris *Patriae* historia illustratur. Syllogen puto Epistolarum, quas Principes orientales ad Ordines Generales et Principes Arausiacos scripserunt, et ipsorum *responsa* (I, p. 162—168, 182, 185—199); quae, ubi Patrum cum Oriente commercia tradunt, nostrae historiae, ac rei politicae plenius cognoscendae, fontes sunt non spernendi.

28) Pag. 13 lin. antepen. Vidd. Auctores *biographici*. In his Aḍ-ḍahabī (II, p. 191), Ibno'l-qaisarānī, ejusque Libri Appendix (p. 193); majoris Operis As-samʿānīi, quo Al-Ḳaṭībi Historiam Bagdādi continuavit, Excerptum, de Viris *literatis* tantum exponens (p. 199 et seq.); pars Operis Maqrīzīani, Al-moqaffae (p. 200), As-saḵāwīi Operis majoris biographici pars (p. 201 et seqq.), ejusque Epitome (p. 203 et seqq.); As-Sojūtīi Liber de *Viris nobilibus aequalibus* (p. 205).

De vitis *Grammaticorum* vid. p. 205 et seq. De *Poëtarum* vitis, p. 206—288. In his nobilissima Aṯ-ṯaʿālabīi Al-Jatīma, cum Appendice (p. 206 et seq.), et Imādo'*d*-dīni Al-Ḳarīḍa (p. 208 et seqq.) De vitis *Medicorum*, *Mathematicorum*, *Astronomorum* et *Philosophorum* agunt Al-qiftīi Operis Excerptum, et duo Ibn Abī 'Oçaibijae volumina (p. 289 et seqq.), Excerptum compendii Çiwāno'l-ḥikmae (p. 292 et seqq.), et Al-bīrūnīi de vitâ Ar-rāzīi, anti-

quis Medicis, rebusque ad Astronomiam aliaque pertinentibus Libellus (p. 296). In vitis *Prophetarum*, *Virorum sanctorum*, *Theologorum* (p. 298 et seqq.), in primis notandi sunt Liber de Çūfiis Jemanensibus (p. 300 et seqq.), Ibno'ṣ-ṣobkī de Šāfeïtis (p. 302 et seqq.), Ibn Molaqqin (p. 309), alii. De *Aegypti Judicibus* Liber memoratus p. 317 et seqq.

29) Pag. 14 lin. ult. Haec *itinera* multi postea describebant, quibus Opusculis alii porro utebantur Scriptores, *Cosmographias* componentes, quas quo accuratius conscriberent, hi etiam itinera ipsi suscipiebant. Harum conspectus quo facilior redderetur, ipsarum argumentum alii deinde in *Lexicorum* formam redigebant, quorum alia majoris, alia minoris sunt ambitus.

Hujusmodi Itinerariorum, Cosmographiarum, Lexicorumque exempla MSS. nostra Bibl. haud pauca possidet, eximia profecto ejusdem ornamenta. Ex iis tres nobilissimi Scriptores, ne de *Lexico Geographico* loquar, typis expressi sunt, Abū'l-fedā, Al-qazwīnī, Ibn Ǧobair. Alii tamen edendi restant: Ibn Ḥauqal (Cat. II, p. 131), Abū-'Obaid Al-Bekrī (p. 132), Ibn Ijās (p. 134), Ad-dimišqī (p. 134), et Al-Abderī (p. 136) atque Macarii Patriarchae Antiocheni Itineraria (p. 137).

30) Pag. 15 lin. 7. *Primus*, in quo *Libros Orientales* notatos vides, Catalogus est Dan. Heinsii anni 1623, ubi Codices enumerantur *Scaligerani*, ab Erpenio, ut videtur, descripti. *Secundum* anno 1630 separatim editum, Golio debemus, *Golianos* Codices nonnullos exhibentem. *Tertius* exstat in ejusdem Heinsii Catalogo, edito anno 1640, ubi dictus Golii Index repetitus est, et *Scaligerani* Golio auctore melius describuntur. *Quartus* inest Catalogo Frid. Spanhemii anni 1674, qui primus *Warnerianos* complectitur, descriptos a Bootsio, verba de *Scaligeranis* et *Golianis* ex 3° Catalogo repetente, et in *Warnerianis* recensendis, adversariis utente, a Theod. Petraeo, et Armeno Christiano Sahin Candijo in eos ante paratis. *Quintus* in Catalogo Jac. Gronovii anni 1716 receptus est, ubi a p. 404 ad 491 Libri OO. enumerantur ab Heymanno, Caroli Schaafii auxiliis fruente. *Sextum* incepit Cl. Dozy, cujus *duo* volumina prodierunt anno 1851, ubi in *Prologo*, p. xxii et seqq., ut ante Weijers in *Orient.* I, p. 298 et seqq., de his Catalogis multis disseruit.

31) Pag. 15 lin. 8. Vid. Praefatio ad *Specimen Catalogi*, p. iii.

32) Pag. 15 lin. 14. In *Orient.* I, p. 311 et seqq., et II, p. 196 et seqq. De suo apparatu Weijers ipse loquitur ibid. I, p. 304 et seqq., et de eo vid. Dozy in *Prologo*, p. xxvii et seqq. Alium atque Hamakerus, multo nempe breviorem, attamen consilio aptissimum Catalogum conscribere sibi proposuerat. Laborem quomodo aggressus sit, in *Orient.* l. l. I, p. 298 et seqq., ipse narravit. Quibus cognitis, animadvertimus, quo ardore ferretur ad Catalogum aliquando edendum, omnibus, quantum fieri possit, numeris absolutum. Quominus opera celerius procederet, impediverunt tum multa Muneris negotia, et indefessa cura, Discipulorum studiis impensa, tum graves etiam ipsius rei, quam persequebatur, molestiae, de quibus exposuit in Sermone, anno 1841 Amstelodami in conventu Classis 3ae Instituti Regii habito, et mox edito (*Over het Katalogiseren van OO. Handschriften*). Quominus vero hunc laborem absolveret, deinde prohibuit infirma valetudo ac morbus, qui postea accedebat, lethalis, quo confectus diem obiit supremum mense Aprili anni 1844.

33) Pag. 15 lin. 6 a fine. *Monumenta*, v. c. intelligo, *vetustiora Arabiae* L. B. 1740, et *Hist. Imperii vetustissimi Joctanidarum in Arabia felice*, ex variis Scriptis Arab. collecta, edita Harderovici 1786. Ante, ut alia transeam Opera, Linguae *Hebraïcae* studium potius spectantia, *Haririi Specimen* jam scripserat, *tres Consessus* complectens, quod prodiit demum ineunte anno 1731. Warneriani Legati Interpres, *quartum*, *quintum* et *sextum*, anno 1740 editos, illis addidit. Brevi post quam Leydam venerat, ut in Dedicatione *Vitae Saladini* profitetur, ad Haririi editionem parandam accessit.

Warneriani Legati Interpretis munere deinde functi sunt J. J. SCHULTENSIUS, in Patris locum suffectus, ab anno 1752—1778. *Tertius* erat H. A. SCHULTENSIUS ab anno 1779—1793, *quartus* E. SCHEIDIUS per 6 menses; *quintus* S. F. J. RAVIUS, primum ab anno 1794—1796, et postea ab anno 1799—1807. Interea enim *sextus*, J. H. PALMIUS hoc Munus gessit ab anno 1796—1799, deinde ab anno 1807, post RAVII obitum ad annum 1817. *Septimus* huic successit ab hoc inde tempore ad 1835 H. A. HAMAKERUS, post cujus mortem *octavus* sequebatur H. E. WEIJERSIUS ab eo anno ad mortem, in a. 1844 incidentem. De his vid. M. SIEGENBEEK *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool* I, p. 345 et seqq., et p. 364, qui tamen de *hoc Munere*, H. A. SCHULTENSIO et *tribus* proximis successoribus commisso, non loquitur. Hos tamen id gessisse ex *Actis Curatorum* annorum 1779—1799 patet.

Haec Acta ab anno 1725 percurri, ut in hujus Muneris *originem*, *rationem* et *consilium*, tempore quo instituebatur, inquirerem; sed non multa, quae hacc illustrant, inveni; quae tamen deprehendi, tradam. Acta nempe me docuerunt *causam*, quae Curatores incitaverit, ut hoece Munus instituerent, et de eo instituendo *tunc*, nec *ante* cogitaverint. ALB. enim SCHULTENSIUS, ut primus hoece Munere ornabatur, ita etiam ejusdem *auctor* mihi fuisse videtur. Quod ut probem, res paulo altius repetenda est. ALB. SCHULTENSIUS, natus Groningae 21 Augi 1686, edendâ Diss. *de utilitate linguae Arabicae in interpretandâ S. Scripturâ*, quam Acadae Groningae Studiosus anno 1706 scribebat, viam significaverat regiam, quae ad Linguam Hebr. bene tractandam ducit, et quam postea ipse semper tenebat. Quia praeterea Arabicarum Literarum studio flagrabat, non mirum est, eum anno 1709 Leydam adiisse, ubi, ut eum nostrâ Orientali Bibliothecâ notitiam contraheret, per biennium degebat. Hujus Bibliothecae deliciis porro per alios duos annos fruebatur, dum in vicino pago *Wassenaar* habitabat, ubi Verbi Divini Ministri Munere fungebatur. Qui cum huc voeaverat, Joh. Henr. Comes de Wassenaer, Eques, Dominus Wassenaerii, Obdami, cet., idemque Acad. L. B. Curator, eum in suam clientelam receperat, et benevolum semper ipsi in posterum se praestitit, adeo ut SCHULTENSIUS, licet ab anno 1713—1729 Professor Franequeranus ab illo esset remotus, amicum eum haberet fidelissimum. Hujus benigno in SCHULTENSIUM animo maxime tribuendum esse opinor, quod iterati C. SCHAAFII, Lingg. OO. in Acad. L. B. Professoris extraordinarii, conatus irriti prorsus redderentur. Vario modo nempe hic Curatores movere studebat, ut filium JOHANNEM HENRICUM *Lingg. OO. Lectorem* vel sine stipendio crearent (vidd. Acta 1 Febr. 1726, 8 Febr. et 7 Maji 1727). Sed frustra! Nullum Curatores periculum in morâ esse judicabant, ac melius esse censebant, si vir, *Lingg. OO. studio celeber*, *datâ occasione*, hoc Munere ornaretur, *sufficientique stipendio*

instrueretur. Haec iis offerebatur occasio, mortuo 17 Martii 1729, ROBERTO AEMILIO, *Collegii Theologici Regente.* Comes noster jam curam in se suscipit, aptum virum circumspiciendi, qui AEMILIO succederet, et Epistolarum commercium cum ALB. SCHULTENSIO instituere coepit. Hic sine dubio hac usus est occasione, ut Maecenati vota explicaret, eique persuaderet, necesse esse, ut in Bibliothecam Orientalem adeo splendidam vir tandem aliquando vocaretur, qui ipsius divitias in communem usum converteret. Sic saltem illustrantur ea, quae Comes deinde cum Collegis communicavit, SCHULTENSIUM *Regentis* Munus accepturum esse hac conditione, ut cum eo jungeretur titulus *Doctoris Lingg. OO. et Interpretis Warneriani.* Quo facto, Ordines Hollandiae et Westfrisiae, Curatorum commendationi obsecuti, eum 30 Aug^{i} 1729 *Regentem* crearunt, quod Curatores eodem die missâ epistolâ SCHULTENSIO nunciarunt, Actis (fol. 223 et seq.) insertâ. *Possident*, sic ii mediâ in epistolâ pergunt, *et Urbs et Academia et suas Collegium delicias, quibus elicere possunt viros in rep. literariâ eximios. Regentis munia qui obit, mille quadringentorum florenorum nostratium honorario decoratur, aedes ei habitandae accommodantur, omniumque tributorum, quae vulgo* excisionum *nomine veniunt, immunis vivit. Ne tamen nominis tui dignitas, quam apud principes in orbe literato viros sustines, quocunque modo minui videretur, consultum putavimus, te, Vir clarissime! et* Doctorem Linguarum Orientalium et Interpretem MSS. Legati Warneriani *renuntiare, et non vanâ honoris oblatione contenti, hisce titulis trecentorum florenorum annuum adjunximus, aperimusque tibi in nostrâ Bibliothecâ, fulgenti Academiae ornamento, ditissimam elegantium MSS. gazam, quam omni ex Oriente Vir dignitate amplissimus* WARNERUS *ut collegit, ita Universitati legavit, quae te nullo modo latere pro comperto habemus, et quae per te romanâ civitate donata, communi bono vivere desideraremus.*

Quod Curatoribus in votis erat, exsecutus est ALB. SCHULTENSIUS. Ex Actis 1 Febr. 1730 (fol. 241) novimus ei copiam datam esse Codices male habitos reparandi. Deinde (fol. 243) seq. 8 Febr. in ipsius gratiam S. LUCHTMANSIO 250 floreni conceduntur, ad *Vitam Saladini edendam.* Hunc Librum 8 Aug. 1731 Curatoribus offerens SCHULTENSIUS 400 florenis donatur (fol. 317). Mox 5 Maji 1732 *Doctoris* titulus in *Professoris Lingg. OO.* titulum mutatur (fol. 354), quod Munus auspicatur proximo 19 Junii habendâ Oratione *de Linguae Arabicae antiquissimâ origine, intimâ ac sororiâ cum Linguâ Hebraeâ cognatione, nullisque seculis praefloratâ puritate.* Sed, ut alia transeam, quae in iis Actis de nostro SCHULTENSIO referuntur, ea tantum tradam, quae *Legati Warn. Interpres* egit, praesertim quia ex his ea illustrantur, quae WEIJERSIUS in *Orient.* I, p. 303 et seqq. de REISKEI Catalogo MS. notavit.

Die 8 Aug. 1737, anno ergo circiter ante REISKEI Leydam adventum (Anno quippe 1738, 29 Julii hic a Curatoribus petebat, ut *Mutenebbii Codices describendi copia* sibi daretur) haec SCHULT. Curatoribus scripsit. „De Prof. SCHULT. hier gekomen zijnde, heeft de OO. MSS. „zeer in disordre bevonden, bijna noyt op die Nummers te vinden, op dewelke deselve „in de gedrukte Catalogus gestelt en geindiceert sijn.

„Hy vindt zig dieshalven geobligeert, om alle de voorsz. MSS. één voor één na te sien, „te numeroteren, te revideren, en op niet weinige titels te corrigeren.

„Hiervan sal hy met goetvinden van het Illustre Collegie der H. H. Curateuren en Bur-
„gemeesteren by provisie een nieuwe geschreve Catalogus opstellen en in het net brengen,
„omme ten dienste der Academie te verstrekken. Deselve sal geschikt worden na die ordre
„en Nummers, waarop de gedrukte Catalogus thans staet, omme na deselve alsdan alles te
„rangeren, en dus buiten noodsaek te blyven van een nieuwe druk.

„De verbeterde titels sullen ook by provisie op de geinsereerde schone bladen kunnen
„aengewesen worden, ter tyd dat het Illustre Collegie zoude mogen goetvinden tot meerder
„luyster van de Oostersche schatkamer, alles met den druk gemeen te maken." (Vidd. Acta f. 255 et seq.).

SCHULTENSIO, permultis *Regentis* negotiis obruto; et lectionibus Academicis onerato, quibus a 12 Julii 1740 scholae additae erant de *Antiq. Hebr.*, ad hunc Catalogum revidendum ante annum 1741 nullum otium fuisse videtur. Hocce enim anno die 8 Febr., postquam Professores, quibus librorum Bibliothecae recensio erat mandata (inter quos tamen SCHULTENSII nomen non animadverti), saepe questi erant, libros Orientales, non ut par esset, recenseri posse, et Codices in primis *Persicos* et *Turcicos* omittendos esse, *quibus recensendis viro opus erat harum literarum perito* (vid. v. c. fol. 497), viro Consult. D. VAN ROYEN mandabatur, ut de Catalogo revidendo cum SCHULT. colloqueretur (fol. 498); quo facto 26 Aprilis ejusdem anni ille ad Curatores refert, hunc sibi proposuisse, ut *feriis proximis* uteretur ad opus mandatum continuandum (fol. 507). Deinde (5 Oct. 1741) Professores, Recensione rursus peractâ, tradunt se omnes libros, *Turcicos* etiam et *Persicos* perlustrasse, *Catalogo* utentes *absoluto* (fol. 566), ac reperisse ex Orientt. desiderari n. 247 Legati Scalig., n. 1 (s. 1526 Warn., in Cat. anni 1716, p. 471), n. 181 (Warn. 1571, Cat. p. 473), et n. 642 (Warn. 659, Cat. p. 437). Vidd. *Acta* fol. 575.

Hi *numeri* 1, 181 et 642, eorumque *tituli*, quia prorsus conveniunt cum *numeris* et *titulis* Catalogi Reiskeani MS[1], aut statuendum est REISKEUM hunc Catalogum *una cum* SCHULTENSIO elaborasse, aut SCHULTENSIUM eum conscribendum soli REISKEO commisisse. *Hoc* ut sumamus, verba ipsius REISKEI suadent, quibus de hoc Catalogo locutus est, in vitâ suâ, quam ipse scripsit, verba puto, a WEIJERSIO ex hac vitâ in *Orient.* l. l. allata.

Porro animadverti (v. c. ex Act. fol. 448), sivisse PETRUM BURMANNUM Bibliothecarium, ut SCHULTENSIO cura Librorum OO. quodammodo traderetur; BURMANNI vero successorem, ABRAHAMUM GRONOVIUM, cui a 7 Julii 1741 Bibliothecae praefectura committebatur, eamdem in se suscepisse. Ab hoc enim inde tempore SCHULTENSIO tantum permittebatur *viginti* Codices per *tres* menses secum habere (Act. fol. 570).

De sequentium Interpretum conditione nihil memoratu dignum in Actis exstat, nisi hoc, cum *Interpretis* titulo nullum postea ad hoc usque tempus stipendium conjunctum fuisse.

34) Pag. 16 lin. 11. Anno nempe 1840 ineunte MARIN. HOOGVLIET et ALB. MEURSINGE, qui uterque anno praeced. honoris causâ titulo Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doct. ornati erant, — defensis Speciminibus, quorum prius exhibebat *Locos de Aphtasidarum familia et de Ibn-Alduno*, posterius *Sojutii Librum de Interpretibus Korani*, — *Adjutores Interpretis Legati Warneriani* creati sunt. Ille mense Augusto anni 1843 mortuus, hic eodem anno in Aca-

demiam Delphensem vocatus est, ubi ad mortem usque (anno 1850) tum alia tum Literas Malaïcas docuit. His R. P. A. Dozyus Adjutor successit anno 1845, quem anno 1850 secutus est A. Kuenen, et anno 1855 P. de Jong (vid. p. 26).

35) Pag. 16 lin. 17. Vid. de eo Fraehn *Ibn Foszlan*, p. LXXIX et seqq.

36) Pag. 17 lin. 17. Post Cl. Verdam hunc celebrantem in Orat. Rect. anno 1853 habito, de eo exposuit cl. H. J. Royaards in *Levensberigt van Jonkhr. Mr. H. J. Baron van Doorn van Westcapelle*, in *Handelingen der Maatschappij van Nederl. Letterk. in* 1853; *Levensberigten*, p. 81—99.

37) Pag. 18 lin. 19. Prae aliis cogitabam Josuam Teissèdre l'Ange die 10 Febr. 1853, et Cl. D. J. van Lennep, altero die post Amstelodami, Hugonem Baronem van Zuylen van Nyevelt die 18 Martii, et J. C. de Jonge die 13 Junii Hagae Comitum, et Cl. H. J. Royaards Trajecti ad Rhen. die 2 Jan. hujus anni mortuos.

38) Pag. 19 lin. 8. Scripta Professorum Academiae Lugd.-Bat., anno Academico 1853—1854 edita, quae ad meam notitiam pervenerunt, haec sunt:

M. Siegenbeek *Levensberigt van Mr. David Jacobus van Lennep*, in *Handel. d. M. v. N. L. in* 1853. *Levensber.*, p. 108—120.

De Nederlandsche Taalkunde in haren aard en hare strekking. Redevoering ter aanvaarding v. h. Hoogleeraarsambt aan de Hoogeschool te Leiden, den 29sten Oct. 1853 uitgesproken door Dr. M. de Vries.

C. Pruys van der Hoeven *Anthropologisch Onderzoek.* Tom. IVus Leiden, E. J. Brill 1853; qui etiam separatim comparari potest titulo: *Studie der Christelijke Anthropologie.*

Verslag der Verloskundige Kliniek en Polykliniek aan de Leydsche Hoogeschool, gedurende den Academischen Cursus 1851—1852, door A. E. Simon Thomas, in Repertorio: *Nederlandsch Lancet*, 3e *Ser.*, 3e *Jaarg.*

De Staatszorg voor de Armen, verdedigd en aangeprezen. Uit het Engelsch van A. *en* P. W. Alison, *met eene voorrede van Prof.* H. W. Tydeman.

N. C. Kist *de Ariaansche strijd*, in *Geschied. der Christ. Kerk in Tafereelen*, Tom. II.

——— *Het gebruik en misbruik van Boeken-lezen. Leerrede ter Godsd. opening der Acad. Lessen, volgens Pred.* XII, 12. Arnh. v. d. Wiel, 1853.

——— *Het Necrologium en Tynboek van het adelijk Jufferenstift te Hoog-Elten. Medegedeeld uit het onuitgegeven oorspronkelijk Handschrift, benevens eene Geschiedenis der Abdij* (*Met afbeeldingen*). Leyd. de Breuk, 1853.

——— *Herman Johan Royaards, in zijne betrekking tot de Nederl. Herv. Kerk*, in *Kerk. Weekblad v. h. Koningrijk der Nederl.* 1854, N. 2.

Oratio de Theologiae practicae studio, futuro Euangelii Ministro prorsus necessario, quam habuit ANTONIUS NIERMEYER Theol. Doct., a. d. XXVIII m. Maji anni 1853, quum ordinariam Theologiae professionem in Acad. L. B. solenni ritu auspicaretur. L. B. ap. P. Engels, 1853.

Oratio de accurato Antiquitatis Hebraicae studio, Theologo Christiano magnopere commendando, quam habuit ABRAHAMUS KUENEN, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Theol. Doct. a. d. XII m. Martii anni 1853, quum extraordinariam Theologiae Professionem in Acad. L. B. solenni ritu auspicaretur. L. B. ap. P. Engels, 1853.

J. VAN DER HOEVEN *Handboek der Dierkunde* Ed. 2ª. Tomi IIⁱ pars 5ª.

G. J. VERDAM *de fatis Academiae L. B., anno* 1852—1853, *narratio. Accedit Oratio Academica de justa pertractandi et veri investigandi ratione systematica, a Mathematicis temerius neglecta, diligentissimo studio Disciplinas Mathematicas perficientibus, earumque ambitum amplificantibus.* L. B. ap. P. Engels, 1853.

F. KAISER *De Sterrenhemel beschreven en afgebeeld, en de grondslagen zijner verklaring opengelegd. Met bijlagen en platen.* Ed. 2ª. Amst. J. C. A. Sulpke, 1853.

——— *De wet van Kirkwood toegelicht en beoordeeld*, in Repertorio *de Gids* anni 1853.

——— *Populair sterrekundig Jaarboek voor het jaar* 1854. Amst. J. C. A. Sulpke.

——— *Het wezen en de eischen van populaire voordragt der Natuurkundige Wetenschappen, en meer bepaaldelijk van die der Sterrekunde.* Amst. J. C. A. Sulpke.

P. L. RYKE *Verklaring van het sterker worden van het geluid, veroorzaakt door eene galvanische vonk, wanneer de stroom onder bepaalde omstandigheden wordt afgebroken*, in Repert. *Algem. Konst- en Letterb.* 1853 N. 11, et in POGGENDORFF's *Annalen* Tom. 88, p. 166.

T. G. J. JUYNBOLL *Lexicon Geographicum, cui titulus est Marāçido'l-·ittilā: ·alạ ·ismā·i'l-·amkinaṫi w·albiqā·.* Tom. IIi fasc. 1 et 2., L. B. ap. E. J. Brill. (Postea accesserunt fasc. 1 et 2 Tomi IIIⁱ, quibus textus hujus Libri *Arabicus* ad finem est perductus. Addenda restant Introductio, Annotatio, Indices et versio Latina, quae nunc me occupatum tenent.)

---

39) Pag. 20 lin. 7 a fin. Vid. Oratio supra laud., p. 19—22.

40) Pag. 21 lin. 7. Verba volo ipsis Calendis Decembribus anni 1853, a Viro Ampl. D. T. GEVERS VAN ENDEGEEST, et a Viro Cl. J. BOSSCHA pronunciata, et in *Bijblad der Nederl. Staatscour.*, p. 259 inserta.

41) Pag. 22 lin. 2. Praeter Specimina laudata memorare liceat Opusculum, multis sine dubio minus cognitum. *Specimen* puto, *e Literis OO., exhibens Historiam Kalīfatus Alwalīdi et Solaimāni*, sumtam ex Libro, cui titulus est: *Kiṫabo'l·ojūn wa'l-Ḫadā'·iq fī Akbāri'l-Ḫaqā·iq*, quam e Cod. Leyd. nunc primum edidit JAC. ANSPACH, Theol. Cand., L. B. ap. E. J. Brill, 1853.

42) Pag. 22 lin. 12. Pater in Filii dilectissimi memoriam concionem sacram habuit, deinde editam hoc titulo: *Leerrede door* G. TER WEEME, *Predikant te Zaandam* (*W. Z.*), *uitgegeven na den dood van zijnen geliefden oudsten Zoon*, Zaandam, H. F. van der Scheer, 1853. Praeterea juris publici fecit: *Troostrijke en bemoedigende herinneringen aan het ontslapen van mijn g. o. Z., als mede 2 toespraken bij zijn graf gehouden.* Mortuus erat die Martii; VAN TROTSENBURG die ejusdem mensis 8°, mense Septembri HAVELAAR, EGTER die 29 Nov., ENDTZ die 8° Decemb., et eodem mense BYVOET.

43) Pag. 23 lin. 21. Hoc beneficium ut Amplissimorum Curatorum debetur liberalitati, ita aliud eorumdem Virorum interventu *Anatomiae institutio* acceptum refert benevolentiae Collegii, cui cunctorum varii generis Nosocomiorum (*Gecommitteerden der vereenigde Gasten Leprozen-huizen*) praefectura mandata est. Beneficium cogito ét illi re utilissimum, ac valde necessarium, ét vero novum exhibens indicium, quomodo multi, quibus earum rerum copia data est, instituta nonnulla emendare studeant. Decrevit enim hocce Collegium superiore anno, ut corpora (*cadavera*, ut vulgo dicuntur) hominum, qui in Nosocomio, quod a *Sanctâ Ceciliâ* nomen habet, mortui essent, et cognatis non restituerentur, *Theatro* traderentur *Anatomico*.

44) Pag. 23 lin. 25. Die 12 Martii 1853 Academiae Curatores Civitatis nomine convenerunt cum Consule Leydensi ejusque Assessoribus (Wethouders), de conditionibus, quibus aedificium, anno 1817 a Curatoribus Civitatis nomine emtum, ac deinde in Nosocomium Academicum conversum, cum universo apparatu, exceptâ tantum Museorum suppellectile, Magistratibus Leydensibus traderetur, ut ex hoc, additis finitimis aedificiis domiciliisque ac spatio adjacente, novum mox conderetur Nosocomium. Hae conditiones *Lege*, die 15° Sept. promulgatâ, sancitae et huic Legi additae, publici juris factae sunt in *Staatsblad* praecedentis anni.

ACTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

A. 1853.

Die 12 Martii. Cl. A. KUENEN munus auspicatus est, habitâ oratione: *de accurato antiquitatis Hebraicae studio, Theologo Christiano magnopere commendando.*

Die 14 Maji. Leguntur literae Curatorum, 2° Aprilis datae, quibus Senatui nunciant, Virum Doctissimum JOHANNEM ABRAHAMUM CHRISTIANUM OUDEMANS, Math. Mag.^{m} Phil. Nat. Doct.^{m}, Regio Decreto 22^{i} Februarii 1853 creatum esse, *Observatorem in Academiae Observatorio astronomico.*

Aliae recitantur literae Curatorum, diei 11^{i} Maji, quibus cum Senatu communicatur Decretum Regium 2^{i} Maji 1853, quo rude donatur ob aetatem septuagenariam Vir. Cl. JOHANNES MATTHIAS SCHRANT, in Ordine Phil. Theor. et Litt. Hum. Professor ordinarius.

Die 28 Maji. Lecta est epistola Curatorum, 28^{i} Maji, tradens Virum Nobilissimum, D. T. GEVERS VAN ENDEGEEST, Regis Decreto 13^{i} Maji successorem in Curatorum Collegio datum esse viro Nobilissimo et Amplissimo, H. J. BARONI VAN DOORN VAN WESTCAPELLE.

Lecta est alia Curatorum epistola 28i Maji, Senatui nuncians, Regem die 14° Maji concessisse Viro Cl. A. KUENEN, Theol. Professori Extraordinario, Adjutoris Interpretis Legati Warneriani munus, quo adhuc fungebatur, ad diem usque 30m Junii anni 1854 gerere.

Deinde Cl. A. NIERMEIJER munus auspicatus est, habitâ oratione: *de Theologiae practicae studio, futuro Euangelii Ministro prorsus necessario.*

Die 17 Sept. Leguntur literae Curatorum, diei 14i Julii, cum Senatu communicantes Regio Decreto 7i Julii in locum Viri Cl. J. M. SCHRANT rude donati, creatum esse Virum Cl.m MATTHIAM DE VRIES, in Acad. Groninganâ Professorem ordinarium.

Die 29 Oct. Cl. M. DE VRIES munus auspicatus est, habitâ oratione linguâ vernaculâ: *Over den aard en de strekking der Nederlandsche Taalkunde.*

A. 1854.

Die 11 Januarii Senatus designavit quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum Academicum Rectorem Magnificum creet. Sunt Viri Clarissimi:

F. G. KRIEGER.
S. VISSERING.
J. H. SCHOLTEN.
F. KAISER.

Candidati, e quibus futurus Actuarius legatur, designati sunt Viri Clarissimi:

T. G. J. JUYNBOLL.
A. E. SIMON THOMAS.
J. DE WAL.
A. NIERMEIJER.

Futuro Rectori Assessores constituuntur:

J. DE WAL.
J. H. SCHOLTEN.
G. H. DE VRIESE.
M. DE VRIES.

Dic. 8 Februarii. Lectae sunt literae Curatorum, Regium Decretum 31i Januarii tradentes, quo Academiae Rector Magnificus in proximum annum Academicum creatur Vir Cl. F. G. KRIEGER.

Rector refert, in conventu Curatorum cum Rectore et Assessoribus, e Candidatis designatis Actuarium in proximum annum Academicum lectum esse Virum Cl. T. G. J. JUYNBOLL.

Rector cum Senatu ceterisque Professoribus in Auditorium majus descendit. Cl. KIST, aegrotantis Actuarii vicem gerens, pro concione legit primum: Regis Decretum de Rectore in annum sequentem creato, et nomina promulgat tum Assessorum, novo Rectori additorum, tum Senatus Academici Actuarii; deinde programma recitat certaminis Literarii, a Rectore et Senatu indicti.

Rector Magnificus, habitâ oratione *de Codicum Orientalium, qui in Academiâ Lugduno-Batavâ servantur, Bibliothecâ*, ac fatis Academiae hujus anni commemoratis, Magistratum Successori tradit.

Novum Rectorem Magnificum Professores in Senaculum deducunt et salutant.

ORATIO

DE

ACCURATO ANTIQUITATIS HEBRAICAE STUDIO, THEOLOGO CHRISTIANO MAGNOPERE COMMENDANDO,

QUAM HABUIT

ABRAHAMUS KUENEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT.

A. D. XII M. MARTII A. MDCCCLIII,

QUUM EXTRAORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI ILLUSTRISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGENDAE PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

HUIUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI!

CUIUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Considerantes Theologiae ambitum mirari nos subit, fuisse antea, qui in singulis eius partibus habitantes, aliis quoque disciplinis laudabiliter operam dederint. Quod quum de aliis memoriae traditum est, tum in Hugonis Grotii, qui omnium instar sit, exemplo luculenter patet, qui iurisprudentiae laude clarus et classicorum auctorum interpres haud contemnendus, theologis in Sacrae Scripturae interpretatione novam monstravit viam, in qua ipse praeclare praeivit, quamvis per totum vitae cursum variis gravibusque negotiis distentus. Quare non miramur adesse, qui temporis acti se pueris et antea laudatores, nostrorum hominum querantur imbecillitatem: a paterna virtute degeneres, nunc vix unius theologiae, nedum

aliarum quoque disciplinarum ambitum complecti eos posse arguunt, quinimo unam theologiam iam maiorem videri, quam ut hominis eam capiat ingenium, quapropter nunc in una alterave eius particula operam unice collocare inceperint.

Longe profecto a me abest, AA., ut virorum praeclarorum, ad quorum exemplum provocatur, merita aut contemnam aut detractem: attamen in iudicio, quod attuli, desidero aequitatem, quae non tantum ad varium hominum ingenium sed etiam ad disciplinae, in qua excolenda desudaverint, ambitum non semper eumdem, et ad maiores, quibus nunc premitur, difficultates animum attendere nos iubet. Qui nunc in Theologia vel mediocres fecerit progressus statim animadvertet, quantum ab ea, quae proavorum tempore exstiterit, mutata sit. Quae enim antea aut philologis aut philosophis permittebantur studia, ea iam ab ipsis theologis excoli coepta sunt et adeo inseparabili nunc vinculo cum disciplina nostra cohaerere videntur, ut qui in illis plane sit hospes, ne theologi quidem nomine dignus iure habeatur. Praeterea eae disciplinae partes, quas antea quoque colere consueverant theologi, et ambitu et difficultate adeo crevere, ut nisi summa adhibita animi intentione in iis proficere non valeamus, atque sic etiam querelae de vitae humanae brevitate locus supersit. Exempla afferre propterea supervacaneum est, quoniam singulae afferri possent disciplinae theologicae partes: at inde simul patet, non adeo reprehendendos esse theologos, qui unam e tota disciplina sua sibi eligant partem, cui prae ceteris operam navent et in qua vitae suae quasi tabernaculum collocent. Iure quidem ab eo, qui quamcunque tandem profitetur scientiam, postulamus, ut in nulla eius parte plane hospes sit: ut in omnibus idem valeat postulare, ignorantiae est. Theologiae autem partes, variae admodum et diversae, arctissimo vinculo inter se cohaerent, quippe quae omnes coluntur hoc consilio, ut divina, cuius Christus nobis auctor exstitit, religio penitus intelligatur et hominibus rite commendetur: verum commune, quo omnes iunguntur, vinculum, minime impedire censendum est, quominus disciplinam in partes suas distribuamus; quin potius quaevis inde et in theologiam et vero in ipsam religionem redundatura esse commoda laeti auguramur. Ut autem huic exspectationi eventus respondeat, duo praesertim in theologo requiruntur: alterum, ne umquam consilii, quod tota

spectat disciplina, immemor sit; alterum, ut, quae varias inter theologiae partes intercedit, probe perspectam habeat necessitudinem.

Haec mecum reputans, AA., quum mihi, Regis Augustissimi decreto ad extraordinariam theologiae professionem vocato, coram vobis dicendum esset, in argumento quod tractarem eligendo non diu haesitavi. Abstrusam enim et reconditam disputandi materiem enucleare, si vel meum fuisset, a consilio, quod mihi nunc spectandum erat, alienum esse existimabam. Nec vereor, ne in vestram incurram reprehensionem, si, missa omni doctrinae ostentatione, et studii hucusque theologiae impensi, et viae, quam posthac ingressurus sum, rationem reddam. Dicam ergo *de accurato antiquitatis Hebraicae studio, theologo Christiano magnopere commendando.*

Qua in re ita versabor, ut primum quale sit istud studium breviter exponam, dein quid inde in universam theologiam commodi redundet, demonstrandi faciam periculum. Vos autem, ut, ea qua estis aequitate, in audiendo benigni, in iudicando mites sitis, etiam atque etiam rogo.

I. *Antiquitatis* vocabulum eam vulgo designat disciplinam, quae unice in populi alicuius institutis describendis versatur, quaeque igitur ab historia probe est distinguenda. Quem loquendi usum propterea deserere non dubitavi, quoniam nullum aliud mihi suppetebat vocabulum, quo ea omnia comprehenderentur, quae populi conditionem, alio tempore aliam, quum externam tum internam, spectarent. Antiquitatis ergo Hebraicae studium, quale equidem volo, populi Israelitici, a quo inde tempore exstitit, usque ad alteram Hierosolymorum eversionem, complectitur historiam, instituta sacra, politica, civilia, indolem quum universam tum praesertim religiosam, mores, vitam domesticam. Quae omnia e genuinis petenda esse fontibus, sponte patet: quapropter primo loco in censum venit linguae Hebraicae studium, quod ad Veteris Testamenti libros intelligendos et interpretandos viam nobis munit. Unum idemque esse illud, sive a philologo agatur, sive a theologo, res ipsa loquitur: adhibita cauta dialectorum affinium comparatione, utrique in interpretando sequendae sunt grammaticae leges; illi aeque atque huic cavendum est ab eorum temeritate, qui talem sibi fingant linguam, qualis numquam in hominum ore vivere potuerit;

quorum errore, obsoleto quidem, attamen nondum radicitus evulso, factum est, ut Hebraei scriptores ita locuti fuisse videantur, ut, quippe loquendi usus prorsus immemores, ab homine fortasse linguam Arabicam et Aramaeam edocto, a popularibus nullo pacto intelligi possent. Theologo praesertim populi Hebraici lingua subsidium sit, quo ad ipsius cognitionem perveniat: cui consilio duplici praesertim modo inservire potest. Ab altera parte gentis ingenium, cogitandi et sentiendi ratio nusquam clarius quam in ipsa lingua elucent, quae hominis est quasi viva imago; ab altera parte scripta, quae populus reliquit, sine accuratissima linguae, qua consignata fuere, notitia nullam praestant utilitatem. Ex illis autem tamquam unico fonte hauriet, qui gentis Hebraicae historiam cognoscere cupit, quam exteri populi negligere prorsus aut parum saltem curare solebant.

Huius quidem studium nostra et patrum memoria ita immutatum est, ut, etsi haud pauca adhuc desideramus, optimam tamen de eo spem fovere liceat. Antea enim duplici fere ratione gentis Israeliticae historiam exponere solebant; altera, docta, quaecunque in chronologia aut in ipsis narrationibus parum congruere videbantur, magna saepe doctrinae mole usa dicam an abusa, in concordiam redigere, obscuriora illustrare conabatur. Antiquiorum his in rebus labores non contemno, imo etiamnum non parvam inde percipi posse utilitatem lubens agnosco, neque methodi, quam sequebantur, vitia perstringens ipsos reprehendere censeri volo; verum ut *historiae* nomine digna sit istiusmodi fatorum populi enarratio, haud pauca desiderantur: criticum scilicet fontium examen et historici animus, ad ipsam gentem eiusque fata interna attentus. Alterum cum altero arcte cohaerebat: dogma *θεοπνευστίας* antiquiores ea vindicabant forma, ut prae primario Sacrae Scripturae auctore, secundarium tuto negligere posse sibi viderentur, neque ad aetatem, qua viveret, ad fontes maxime diversos interdum, quibus uteretur, ad singulorum denique librorum authentiam et integritatem attendere necessarium ducerent. Divinam porro in historia gentis Israeliticae agnoscentes revelationem et peculiarem circa eam providentiae curam, hanc ita proponebant operantem, ut ipsi populo partes nullae superessent. Eamdem animadvertitis utriusque erroris originem: nusquam autem clarius hic eminuit quam in prophetarum librorum inter-

pretatione. In hac enim ita multi versari solebant, ut non ad aequales suos verba fecisse viderentur Hebraeorum vates, sed serae unice posteritati oracula sua literis consignasse. Quod quam falsum sit, quam Deo etiam indignum, vel me tacente intelligitis. Qui enim in gentem Hebraicam beneficia contulit innumerabilia Deus, qui veram illi credidit religionem, non eum in modum hoc egisse censendus est, ut extrinsecus in singulorum animos operatus, libertatem sustulerit humanam et pro machinis hominibus usus sit. Melius profecto Dei consulemus honori et providentiam docebimus eo dignam, si ipsos homines in historiae theatro agentes conspiciendos praebemus; si ad prophetismi Hebraici indolem, ad arctam vaticinii, quod edebatur, cum ipsius vatis conditione necessitudinem attendimus; si orationes eorum aetatis, qua vivebant, luce collustrantes, efficacitatem, quam in aequales exercuerunt, enucleare conamur. Unde dici nequit, quantum rursus ad uberiorem historiae cognitionem utilitatis redundet.

Historia, sensu latissimo sumta, omnia comprehendit, quae ad populi conditionem sive externam sive internam pertinent: ad hanc autem ut in antiquitatis Hebraicae studio praecipue attendamus animum, gravis nos movet caussa. Nota enim q. d. characteristica, qua a reliquis omnibus gentibus Hebraica distinguitur, religio est, cuius ergo indoles et fata summa cura perscrutanda sunt. Iam hoc fuit religionis Israeliticae proprium, ut cum omnibus, quae in populo vigerent, institutis arctissimo vinculo esset coniuncta, ita ut ea quoque, quae ei cum aliis gentibus communia essent, per ipsam illam cum religione necessitudinem, aliam plane induerent formam, ut nova praeterea atque aliis inaudita orirentur. Quapropter quemadmodum haec sine religionis cognitione, ita rursus religio iis neglectis intelligi nequit; neutrum ergo sine damno praetermittitur, neque theologus, vitam politicam, civilem et domesticam parum curans, ipsam religionem et instituta, quae ab ea pendent, sacra perspiciet. Ecquis exspectationem Messianam, cuius tantum est hac in re momentum, nisi ipsa historia utatur duce, rite proponet? Qui tandem theologiae q. d. biblicae Veteris Foederis usus, si, quod antiquitus factum esse et nunc etiam interdum fieri novimus, e diversissimae aetatis scriptoribus placita sua haurit theologus, omnia miscet et confundit, et rudem indigestamque

rerum diversissimarum farraginem nobis venditat? At quanta ex eadem illa disciplina summo iure exspectamus emolumenta, si critica arte perpetuo utitur et ad gentis conditionem tam externam quam internam perpetuo attendens, quid omnibus aetatibus commune, quid singularum proprium sit proponere, quid primarium, quid minoris momenti, quid ipsius religionis principiis consequens, quid aliunde advectum sit, diiudicare conatur! Arduum esse istiusmodi conamen et periculosae plenum aleae, non diffiteor, AA.; nec tamen illos audiendos esse arbitror, qui propter fontium paucitatem ab eo abstinendum esse iudicant. Hanc enim etsi agnosco et deploro, non tantam esse existimo, ut de bono eventu prorsus sit desperandum: neque profecto in rei magnitudine et momento desunt illecebrae, quae fortissimum quemque alliciant.

Quae omnia, de ea gentis historiae parte dicta, quam Veteris Testamenti spectant libri, etiam ad seriorem aetatem transferenda sunt. Querelae, quam modo audivimus, de fontium paucitate hîc magis etiam locus est quam antea: at eo maiore cum ardore pauci illi, qui ex ea periodo supersunt, libri tractandi et in historici usum convertendi sunt. Qui Hebraicam antiquitatem eamque totam intelligere conatur, nullam eius partem tuto negliget, verum ad historiam populi e captivitate reducis, ad instituta, quae tunc temporis invaluerunt, ad mutatam gentis indolem magis etiam animum attendent, quotquot ipsius religionis naturam, praestantiam simul et defectus, cognoscere student. Etsi enim Mosaismus in multis ab antiqua praestantia degeneraverat, multa tamen ad illius indolem probe perspiciendam eadem haec historiae pars conferre poterit: negari enim nequit, legem per totam hanc periodum ad ipsam gentem formandam plurimum valuisse; cuius rei caussa et ratio, quantum fieri potest, explicandae sunt, ut ipsum legis institutum inde illustretur. Utilissimam ergo pronuntiare Apocryphorum q. d. Veteris Testamenti repetitam lectionem nullus dubito, idque eo minus, quo magis a theologis vulgo negliguntur; quod vel inde patet, quod nostra aetate, commentariorum sane quam feracissima, vix unus alterve exstiterit theologus, qui ad Apocryphorum interpretationem se accingeret.

Valde profecto dolendum est, ex ipsius Iesu et Apostolorum aetate, praeter Christianorum libros, paucissima superesse monumenta, unde He-

braica antiquitas illustretur. Quae autem in N. T. eo spectant, magna cura colligenda sunt et cum aliis fontibus, quantum fieri potest, comparanda. Qua in re ad paraphrases Chaldaicas antiquiores, Philonem Alexandrinum, Flavium quoque Iosephum et Apocrypha et Rabbinica, quae hanc aetatem referunt, scripta provocare sufficiat. Illa enim unica fere, eaque eheu! exilia admodum sunt subsidia, e quibus qualis fuerit Iesu tempore gens Iudaica discamus. Attamen multa inde etiamnum peti posse ad populi ingenium illustrandum, vel ex unius Philonis scriptis, quae iam magno cum fructu in usum fuere adhibita, luculenter patet et norunt harum rerum periti omnes. Sed haec accuratius exponere nec meum est, neque huius loci: nolo ergo diutius in antiquitatis Hebraicae studii ratione exponenda versari; ad alteram propero orationis partem, quae quid inde lucretur theologus Christianus, demonstrabit. Qua in re ut ordine procedam, in usum meum converto tritam illam theologiae divisionem in tres partes, historicam, systematicam, practicam, quae, licet non ab omnibus comprobata sit, nemini tamen magnopere displicebit.

II. In Theologia historica primum locum suo iure sibi vindicat N. Testamenti interpretatio, quam tanti a nonnullis factam esse videmus, ut universam ea contineri censerent theologiam; quod etsi nimium est, rei tamen momentum simul et gravitatem omnes agnoscunt. Interpretanda enim sunt scripta, quae maximam in totum orbem Christianum exercent efficacitatem, quae non nobis sed hominibus diu antea viventibus destinata, multa continent tum quidem clara et perspicua, nunc vero recondita et abstrusa; quae denique conscripta sunt dialecto iam dudum emortua et cuius pauciora supersunt monumenta. Grammatica ergo verborum explicatio iam statim haud parva difficultate laborat: sermo enim Graecus, quo usi sunt N. Testamenti scriptores, adeo a pristina sinceritate degeneravit, ut qui Atticorum elegantiae assueti sunt, si forte in N. T. incidant, dictionem eius Graecam esse vix concedant. Quod quomodo sit explicandum, neminem latet: paucos enim si excipimus, libri isti ab iis conscripti sunt hominibus, qui usui linguae Hebraicae, seu potius Hebraeo-Aramaicae, a pueris inde assuefacti, Graecum sermonem ex hominum quidem Graece loquentium consuetudine, attamen serius addidicerant. Duplex

ergo in eorum oratione distingui potest quasi elementum: alterum Graecum, illud nempe quod τῆς κοινῆς nomine designari solet, Hebraeo-Aramaicum alterum. Quod iam ab antiquioribus observatum est, qui igitur in N. Testamenti interprete aequalem utriusque linguae cognitionem summo iure requirerent. At iam audire mihi videor obloquentium voces, omnem interpretationem ita pessumdari existimantium: ita scilicet de N. Testamento statuentes, interpretes antiquiores eo pervenisse stultitiae, ut nullam in interpretando adhiberent ἀκρίβειαν et ad Hebraeorum consuetudinem provocantes, uni v. c. particulae reliquarum omnium tribuerent significationes. Sed nolite exstimare, AA., eorum a me renovari errorem. Scilicet nihil certius est, quam sequendum esse ubique loquendi usum, quum omnibus communem, tum, si discerni possit, singulorum proprium. Sed fieri aliter vix potuit, quin multa in eum irreperent vocabula et dicendi formulae, quorum notio alia est prorsus ac in pura Graecitate, multa etiam nova plane et inaudita, sive ab ipsis scriptoribus primum efficta, sive e popularium ore desumta fuerint. Iam haec quomodo quis et discernet et interpretabitur, nisi Hebraicam linguam aeque ac Graecam calleat? Neque periculum est, si Hebraismos in N. Testamento agnoscimus quam plurimos, ne grammaticae ἀκριβείᾳ propterea sit valedicendum. Accuratum enim Hebraicae linguae studium nos docuit, in ea non magis quam in quavis alia incertum et vacillantem esse loquendi usum: particularum ergo enallagen, omnemque, ut verbo dicam, confusionem illius quoque indolem respuere. Quod si tenet interpres, nullus metus est, ne Charybdin vitare cupiens in Scyllam incidat: habebit enim certum, quem ubique sequatur, loquendi usum, cuius ut ita dicam elementum utrumque aeque cognitum habet.

Sunt qui omnem alicuius libri explicationem grammatica interpretatione contineri exstiment; cui adiungendam esse historicam, longe plurimi post Semlerum theologi statuunt. Specie vero magis quam re ab illis hi discedunt; inter omnes enim constat, in nuda verborum explicatione non esse subsistendum, hanc autem ad res, quae verbis exprimantur, perspiciendas viam nobis munire. Qui eo tendit N. Testamenti interpres, omnia, quae in eo respiciuntur seu facta historica sive instituta, apte illustrabit et perpetuo auctoris et lectorum auditorumve personae et temporis rationem ha-

bebit. Illud autem fieri non posse sine accurata rerum Hebraicarum cognitione, sponte patet. Erant enim ii, qui N. Testamenti libros conscripserunt, paucis exceptis, natione Iudaei; qui Iesum in hoc terrarum orbe versantem audiverunt, ad unum omnes ex eadem stirpe erant oriundi; quod item de plerisque valet, ad quos Apostolorum scriptae sunt epistolae. Unde factum est, ut multa in iis deprehendantur libris, quae unice ab eo, qui accurata pollet Hebraicae antiquitatis scientia, expediri possunt. Quid in Euangeliorum interpretatione proficiemus, nisi variarum partium, in quas Iudaei discedebant, indole et characterismo bene perspectis? nisi et docendi methodus, quae tunc invaluerat, et Iudaeorum de variis religionis capitibus sentiendi ratio nobis innotuerint? Plura afferre exempla nil attinet: ad unam provocasse nunc sufficiat epistolam ad Hebraeos, quae omnium instar esse possit. Hanc qui sine accuratissima Hebraicae antiquitatis, non recentioris tantum sed universae, scientia interpretaretur, rem sane ageret ridiculam et temere incepti mox ipsum poeniteret.

Neque tamen, ubi haec omnia peregit, satisfecisse videtur N. Testamenti interpres: si enim hoc est intelligere scriptorem, ut quod cogitavit, idem nos legentes cogitemus, ut recte intelligamus N. Foederis libros duo praeterea requiruntur; alterum, ut singularum sententiarum inter se nexum non tantum, sed totius quoque libri argumentum perspiciamus; alterum, ut quinam fuerit in ipsius auctoris mente cogitationum nexus et ordo probe intelligentes, cum eo quasi cogitemus. Quae omnia grammaticae quoque interpretationis appellatione comprehendi posse, facile concedo: nihil tamen obstat, quominus cum recentioribus quibusdam theologis illa ab hac distinguamus. Horum ergo praecepto obsecuti, interpretationi grammatico-historicae adiungimus logicam et psychologicam. Iam dicat aliquis, ad utramque rite peragendam hoc unice in interprete requiri, ut tanto ingenii acumine, tanta quoque intellectus exercitatione valeat, quanta homini sanae mentis compoti et recte exculto vulgo adesse solent: neque facile quemquam reperietis, cui de utriusque necessitate firmius quam mihi persuasum sit. Eaedem enim sunt, quae humanam mentem et antea rexerunt et nunc regunt, leges: quas qui ignorat, aut temere negligit, balbutire in N. Foederis librorum explicatione discet, veri nominis interpres exsistet numquam. At vel sic magna opus est cautione, ne nostram alius aevi scri-

ptoribus obtrudentes cogitandi, sentiendi et scribendi rationem, in eorum mente explicanda turpiter labamur. Praeter ea enim, quae omnibus communia sunt hominibus, cogitandi principia, singulis peculiaria sunt nonnulla, quae tantum accurata investigatione historica cognoscuntur: praeiudicatae quasi opiniones, sive eas universi unius aetatis homines fovent, sive pauci tantum. Hasce opiniones a pueritia inde animo imbiberunt, ita ut iis plane assuefacti sint non tantum, sed etiam in dicendo et scribendo ab iis proficiscantur, iisque quasi firmo et inconcusso fundamento ratiocinationes superstruant. Quod quam verum sit, unusquisque agnoscet, qui in scriptoribus aut aevo aut patria aliquantum ab ipso distantibus lectitandis operam suam collocavit. Iam istiusmodi opiniones in N. quoque Testamenti scriptoribus agnoscere, nullus dubito: qua in re neminem facile vestrum a me dissentientem habebo, dummodo quid falsam inter et praeiudicatam opinionem intersit, teneamus. Argumentorum q. d. e concessis frequentem usum esse in N. Foederis libris in aperto est: horum autem pleraque omnia, re accuratius perspecta, ad eiusmodi opiniones revocari possunt, quae aut scriptoris, aut lectorum aut utrorumque animis infixae erant, quarumque ergo cognitio ad probe intelligendam illius mentem prorsus sine dubio requiritur. Undenam autem haec peti possit, nisi ex Hebraicae antiquitatis studio, equidem non video: cohaerent enim istiusmodi opiniones, idque quam arctissime, cum ipsorum scriptorum origine, patria, institutione, quae omnia Iudaica sunt. Quod ne quis ita dictum esse putet, AA., quasi singulae primi aevi Christianis cum popularibus fuerint communes: nihil sane falsius esset. Hoc enim est religionis Christianae proprium, ut qui Spiritu divino, quem eum hominibus communicavit Ecclesiae conditor, duci se patiatur, verissime ab Apostolo dicatur *καινὴ κτίσις*: dummodo non novus ille homo veteri oppositus plane aut nullo cum eo vinculo coniunctus fingatur. Quae igitur Iudaismo addicti fovebant placita, ea ex hominibus Christianis factis non statim radicitus evulsa sunt; alia nullam passa sunt mutationem, alia ulterius exculta, alia denique purgata et emendata sunt. Iam videte, quantum ad haec illustranda conferat antiquitatis Hebraicae studium. Quae enim eadem manserunt, eorum in sacris Israelitarum libris fons adest; similia porro cum similibus comparatione optime illustrantur: Christiani ergo scriptores cum Iudaicis conferendi illique ex

his interpretandi sunt. Quod quam utile sit, nostrae quoque aetatis experientia docuit: etsi enim eorum repudiamus temeritatem, qui V. Testamenti usum in Novo obvium plane eumdem esse statuunt atque eum, qui in Rabbinorum, serioris quoque aevi, scriptis observatur, illum tamen tum demum recte perspectum esse existimamus, postquam comparatio cum hoc esset instituta. Sed quid in his similibusve exemplis haeream? Multo enim maiora sunt, quae de antiquitatis Hebraicae, Veteris praesertim Foederis studio, praedicari summo iure possunt, si ad *theologiam* q. d. seu *dogmaticam biblicam* N. Testamenti oculos convertimus.

Theologorum nostrae aetatis longe plurimos introductioni in libros N. Testamenti diligentissime operam dare, res est notissima. Recentissimis autem temporibus aliam prorsus haec disciplina induit formam: antea enim unice fere argumenta externa ad singulorum librorum authentiam aut probandam aut impugnandam adhibebant; nunc vero internam eorum indolem spectandam esse omnibus persuasum est, imo ad eam, spretis testimoniis externis, unice attendere iubent haud pauci. Unde factum est, ut N. Foederis theologia, quae ab antiquioribus aut negligi aut cum dogmatica Christiana confundi solebat, arctissimo nunc vinculo cum ipsorum librorum historia coniungi et principem in disciplina locum sibi vindicare coeperit. Qui antea eam excolebant, analogia q. d. fidei abusi, Iesu et Apostolorum doctrinam miscere, et locos, nulla auctorum ratione habita, intra systematis cuiusdam theologici cancellos cogere consuevérant. Postquam vero persuasio invaluit, eos in narrationibus conscribendis et in condenda doctrina suam quemque inivisse viam, pro vario, qui in iis cerneretur ingenii et mentis cultu, pro variis etiam, quibus imbuti essent, opinionibus, ad discrimen, quod inter eos adest, animum advertere coeperunt. Iam vero accidit, quod vulgo fieri solet: quo magis antea Apostolorum in doctrina unitatem strenue vindicaverunt, eo maior nunc esse perhibetur eorum a se invicem diversitas. Eo nunc res processit, ut, si theologos audiamus Tubingenses, primi aevi Ecclesiae historia belli internecivi, quod inter Paulinismum et Iudaeo-Christianismum fuit, fiat theatrum, cuius simultatis, per centum et quinquaginta fere annos protractae, in N. Testamenti libris diversae quasi periodi cernuntur. Quod quomodo cum disertis historiae testimoniis concilient, ipsi videant: unum nunc ob-

servare lubet, quod cum re, quam hîc ago, coniunctissimum est. Scilicet verissime mihi Ritschlius iudicare videtur, hac praesertim in re a Schweglero aliisque fuisse peccatum, quod ea, quae Apostolo Paulo cum reliquis communia essent, prorsus neglexerint: ita enim factum esse, ut nec quomodo ex eodem fonte proficisci, neque quomodo unam Ecclesiam formare potuerint Paulinismus et Iudaeo-Christianismus, toto scilicet coelo a se invicem distantes, satis intelligeretur. Neque eidem assentiri dubito, ubi ad arctam necessitudinem, quae primi aevi Christianis cum Veteri Foedere intercessit, primum attendere nos iubet. Quae qualis fuerit, paucis explicandum est, quo melius quid mihi velim appareat.

Interrogati, qualem in hoc terrarum orbe vitam egerit divinus religionis Christianae conditor, verbo respondere possimus, vitam eius perfectae humanitatis exemplum referre: hoc igitur sensu totum humanum genus eum tamquam suum sibi vindicat; hinc fit, ut omnibus omnium aetatum hominibus perfectam vivendi normam reliquisse dicendus sit. At vel sic aliter fieri non potuit, quin et Iesu ex Israelitica stirpe origo, et tota eius institutio et quod ei cum popularibus fuit commercium, magnam in eum efficacitatem exercuerint; ita ut talis, qualis historia teste fuit, inter Iudaeos tantum exsistere potuerit. Quod quam verum sit, e tota eius apparet doctrina, sive materiem eius spectes, seu formam. Quemadmodum enim libros Iudaeorum sacros agnoscit, ita Mosen et prophetas de se fuisse vaticinatos docet et lex Mosaica totius institutionis ei est quasi fundamentum. Non enim venisse se testatur, ut solveret legem aut prophetas, sed ut impleret: imo vero illud ipsum, quod in eius institutione popularibus novum erat atque inauditum, gentium in regnum, quod conditurus erat, introitus, e prophetarum scriptis licet hauriri non potuerit, arcte tamen cum iis cohaeret. Quae quum ita se habeant, neminem dubitaturum esse arbitror, quin in Iesu doctrina exponenda, perpetuo Veteris Foederis ratio habenda, imo ab hoc proficiscendum sit. Quod enim in cuiuscunque rei valet cognitione, ab ipsis initiis progrediendum esse, idem in Iesu institutionem omnino quadrat. Neque veremur, ne istiusmodi investigatione instituta, minuatur nostra erga eum reverentia, aut divina quae ipsi inest praestantia minus apparcat: neque enim *credere* et *intelligere* merito sibi invicem opponuntur, nec Iesu praecellens divinumque ingenium accuratam

perscrutationem reformidat. Praeterca novimus, neque unicum nec primarium Iesu inter homines prodeuntis fuisse consilium, ut aliquam religionis doctrinam cum iis communicaret: attamen quo arctius ea quae docuit cum tota eius persona cohaerent, eo maiore iure intimam cum V. Testamento familiaritatem in eo requirimus, qui ea accuratius explorare et aliis exponere aggredietur.

Quod autem de Iesu, idem magis etiam de Apostolis valet omnibus. A pueritia lectioni librorum V. Foederis assuefacti, ex eo fonte unice sapere didicerant: tam longe autem abest, ut fides in Iesum illud sustulerit, ut per illam potius fuerint inducti ad libros istos novo cum ardore pertractandos. Ex iis scilicet argumenta petenda erant, quibus Iesum Messiam esse comprobarent: audiatis in Actis Apostolorum Petrum aliosque Apostolos, Paulum etiam, Euangelium annuntiantes, et aliter existimare non poteritis, quin, qui Euangelii nuncii, iidem V. Testamenti fuerint interpretes. At dicat aliquis, de primis tantum hoc valere temporibus: Iudaeorum scilicet cogitandi rationi accommodandam fuisse Apostolorum institutionem; postquam ab illis ad gentes transierit Euangelium, vinculis istis illud statim fuisse liberatum. Fuere revera, AA., qui ita existimarent, sed invita historia. In epistolis Pauli, quae ad Ecclesias partim e Iudaeis partem e gentibus congregatas scriptae sunt, e V. Testamento perpetuo ratiocinatur: inde iam tuto efficimus, una cum religione Christiana sacros Iudaeorum libros ab his ad gentes transiisse. Neque existimetis, minoris momenti esse argumenta, quae aut comparatione cum V. Testamento ab Apostolis illustrentur, aut prorsus ex eo fonte fluxerint. Ubi enim de mortis Iesu consilio agunt, eam cum sacrificiis a Mose institutis comparant: qui ergo de hoc Apostolicae doctrinae capite agunt, argumenta quibus suam de eo sententiam fulciant, e V. Testamento petunt necessario: neque lites de hoc dogmate componi umquam poterunt, nisi per accuratam rei sacrae apud Hebraeos notitiam. Idem de iis valere, quae de Iesu, sacerdote summo, leguntur, qnemadmodum de Spiritus sancti notione, partim ab antiquis Hebraeis sumta, sponte patet. Quid? quod non tantum e V. Foederis libris, sed ex aequalium quoque theologia multa Apostoli in usum suum converterunt. Ad unam provocasse sufficiat Eschatologiam: hanc ubi exponit Paulus imagines a Iudaeis mutuatur omnes, qua

in re et Iesus praecesserat et reliquos Apostolos secum habet consentientes. Ex hoc involucro ea depromere, quae Christi asseclarum de rebus novissimis doctrinae propria sunt, res est ardua, quam quum antea haud pauci frustra tentaverint, tum hodie graviorem, quam ut perfici possit, pronuntiaverunt idonei harum rerum iudices. Neque equidem per V. Testamenti et Iudaeorum theologiae studium omnes tenebras dispulsum iri affirmare ausim. Hoc vero certum est, nihil in hac quaestione diiudicanda profici, nisi et ad ea quae singulorum propria sunt N. Foederis auctorum, et ad communem fontem attendamus, unde omnes, nullo excepto, hauserunt.

Rationem concludo ita: qui N. Testamenti theologiam, eo nomine dignam, condere cupit, ei a V. Foedere initium faciendum erit: genetica enim q. d. methodus, uti ubivis, sic in hac quoque disciplina, reliquis omnibus praestat; et praeterea hîc argumentis commendatur haud contemnendis. Si enim hoc omnibus commune est N. Testamenti scriptoribus, ut Veteri placita sua superstruant et ex aequalium theologia haud pauca depromant, neque tamen eadem singuli sed sua quisque ratione hac in re versentur: nihil sane magis rei naturae congruum est, quam ut, a communi fundamento initium facientes, variam qua singuli in eo aedificaverint rationem proponamus, quo magis in unitate diversitas, in ipsa diversitate convenientia appareant.

Ne vero quis exstimet, ea, quae hucusque disputavi, in Apostolicam tantum quadrare aetatem: quae enim hanc secuta est actas, non minus a V. Testamento pendebat. Quamdiu enim Apostolorum scripta nondum in unum corpus erant collecta, illud in Christianorum conventibus recitari solebat et multo maior ei auctoritas tribuebatur, quam Pauli v. c. Epistolis; ita ut una cum dictis Iesu, ore traditis, unicam credendorum normam constitueret. Solent enim patres q. d. Apostolici placita sua ad Iesum et *τὴν γραφήν* i. e. Veteris Foederis libros provocando firmare, Apostolorum effata in subsidium adhibentes. Adeo cum Christiana sentiendi ratione divina eorum librorum auctoritas coaluerat, ut, qui eos parvi facerent neque ipsi Deo tribuerent auctori, Gnostici et Ebionitarum pars, ex Ecclesiae communione excluderentur. Imo, qui iis tribuebatur honor, in praecipuis Gnosticismi caussis numerandus est. Nimirum Iesus disertis verbis pronuntiaverat, arctissimam inter Ecclesiam, quam conditurus esset, et

Veterem oeconomiam intercederc nccessitudinem: ncquc tamen reticuerat, fore ut brevi huius caeremoniae et ritus abolerentur: ab uno enim populo Hcbraeo ad omnes gentes transferendam esse veram religionem. At ipsi Christiani, V. Testamenti libris sacris utentes, quale esset vinculum istud minus perspiciebant, nec Iesu effata omnia et totam Ecclesiae conditionem cum S. literarum textu in concordiam redigere poterant. Quapropter ut nodum huncce expedirent, alii aliud moliebantur: fuere, qui in V. Testamenti litera seu sensu grammatico subsistendum esse negarent et ad interpretationem confugerent allegoricam et typicam; neque intelligentes, quo sensu totum V. T. unum quasi vaticinium sit in Novo impletum, in singulis caeremoniis a lege praescriptis, in factis quoque partem aliquam doctrinae Christianae viderunt praefiguratam. Quae opinio, quam absurdis interpretationibus, quoniam eo nomine insulsos ingenii lusus appellare placuit, ansam praebuerit, vel ex una Barnabae, quae fertur, epistola apparet, quae huiusmodi librorum agmen ducens, omnium instar esse potest, licet postea Iustini Martyris aliorumque scripta palmam ei praeripuerint. Atque hi quidem orthodoxi sunt habiti; alii vero, qui de discordia, quam inter utramque oeconomiam observare sibi visi erant, ea ratione componenda desperabant, neque tamen ipsi viam regiam a semitis discernere valebant, V. Testamenti originem divinam in dubium vocare, illudque deo cuidam inferioris ordinis, sive *Θεὸς δημιουργός*, sive alio nomine dicebatur, auctori tribuere inceperunt. In Veteris ergo Foederis usu quum orthodoxae non minus quam haeriticae *γνώσεως* origo quaerenda sit, accuratam eius cognitionem illi, qui hanc historiae Ecclesiasticae partem tractaturus est, imprimis necessariam esse omnes mihi concedetis.

Idem de multis aliis eiusdem historiae partibus affirmare nullus dubito. Attendite ad Ecclesiae regimen ad synagogae Iudaicae normam compositum; ad hierarchiam Romanam, cuius auctores veterem theocratiam sibi proposuerunt imitandam; ad V. Testamenti librorum usum per omnes Ecclesiae aetates frequentissimum; ad efficacitatem, quam in mores Christianorum formandos non minus, quam in dogmaticam Ecclesiasticam exercuit. Multa his inesse minus probanda neque nunc revocanda, non infitior: hoc vero contendo, rerum Israeliticarum et V. Testamenti perpetuo rationem habendam esse illis, qui antiquiorum temporum ingenium non

ad suum flectere et detorquere, sed penitus intelligere cupiunt, ut aequum de eo ferant iudicium.

Sed iam diutius fortasse nos detinuit theologia historica. Fert quidem ipsa rei natura, ut in hanc praecipue ex accurato antiquitatis Hebraicae studio commodum redundet, verum alteri quoque theologiae parti, systematicae, magnopere prodesse poterit. De dogmatica Christiana, quae principem in ea sibi vindicat locum, uti etiam de ratione qua cum N. Testamento aut libris Ecclesiae, cuius socii sumus, symbolicis cohaeret, alii aliter statuunt: quam quaestionem enucleare longum est et a proposito meo alienum. Ad rem, quam nunc ago, discrimen animadvertere sufficiat, quod, me quidem iudice, inter N. Foederis theologiam intercedit et dogmaticam Christianam. Illa enim, historice investiganda, semper et ubique eadem est, quamvis non eadem semper per saeculorum decursum in theologorum scholis facies eius exstitit; haec vero et a dogmatici et ab aetatis, qua vivit, ingenio pendet, illique perpetuo accommodanda est, ita ut varietas ex ipsius natura necessario sequatur. Neque hoc tamen ita intelligendum est, quasi haec singulorum arbitrio esset permissa, aut nullo cognationis vinculo cum illa coniuncta: N. Foederis libri normam nobis exhibent, ad quam, quid sit Christianum, quid minus, diiudicandum est: cui igitur examini singula Christianae dogmaticae systemata subiicienda sunt. Experientia autem docuit, nullum umquam exstitisse systematis conditorem, quin e N. Testamento ad placita sua probanda argumenta petierit; cuius rei caussa duplex statuenda est: altera, quod nullum in ipso N. Foedere systema reperitur, sed ex elementis, hic illic in populari institutione dispersis, condendum est; altera, quod e singulis Iesu et Apostolorum effatis placita sua hauriebant, neque historicam et psychologicam interpretationem magnopere curabant; unde tandem factum est, ut ea interdum pro Christianis fuerint divendita, quae nullam fere cum iis haberent similitudinem. Ad istos scopulos nostra quoque aetate allidetur theologia, nisi quaenam sit N. Foederis auctorum de variis religionis capitibus sententia, certo constet: si autem verum est, quod probare conatus sum, eo perveniri nullo modo posse, nisi per accuratissimam Hebraicae antiquitatis cognitionem, huius studium in dogmatico quoque Christiano summo iure requirimus.

Sunt autem quaedam dogmaticae capita, quae non tantum ad eam, quam proposui, normam diiudicanda sunt, sed quorum materies, ut ita dicam, ex ipso N. Testamento petenda est. Exemplum luculentissimum Christologia praebet: hanc nemo intelliget aut rite proponet, nisi qui expectationis Messianae, et antiquioris, qualem in V. Testamento se offert, et recentioris, quae Iesu tempore aderat, perpetuo rationem habeat. Quod quam verum sit, lubens equidem ipse ostenderem enucleatius; at quoniam regiam hanc viam sagacissimi quique iam dudum ingrediuntur theologi, ad eorum exemplum provocasse sufficiat. Alia autem sunt dogmaticae capita, quae vulgo *a priori*, ut aiunt, constituuntur, etsi eodem iure ac Christologia historica dicenda sunt: locum volo, qui est de divina revelatione, de theopneustia sacris scriptoribus tribuenda, de Verbo divino et Sacra Scriptura. Solent enim haec omnia in systematum prolegomenis ita exponi, quasi de eo quid esset revelatio, quid theopneustia inter omnes constaret; unde factum est, ut alii, qui evelatio nis perversam sibi informassent notionem, illam exstare potuisse negarent aut supervacaneam existimarent; ut alii contra, singula quae in Veteri et N. Testamento reperiuntur, cum theopneustiae, quam tuerentur, notione in concordiam redigere conati, absurdissima quaeque amplecti cogerentur. Exempla, quid mihi velim, ostendant. Quae Geneseos Cap. I legitur, mundi creati historiam, cum geologiae inventis non omnino convenire multi censuerunt. Itaque alii hanc ob caussam pericopen hancce indignam pronuntiaverunt, quae in revelationis codicem recepta esset; alii, quibus Sacrae Scripturae auctoritas curae erat cordique, ad contortissimas confugerunt interpretationes, quae Mosen cum geologis concordem efficerent. At undenam constat, hoc fuisse, aut auctori illius narrationis, aut ipsi etiam Deo propositum, ut geologorum investigationibus normam scriberet? Ad ipsam potius nos convertemus S. Sacram, ut quodnam sit pericopes consilium, qualisque in ea vindicetur veritas, discamus. Alterum addo exemplum. Fucre, qui revelationis fautores parum sibi ipsos constare perhiberent, si duos eius assumerent codices, Vetus scilicet et N. Testamentum: hoc enim esse revelationis proprium, ut veritatem cum hominibus communicet eamque absolutam, quae igitur numquam, ne per aliam quidem revelationem, aboleri possit. Agnoscitis ratiocinationis huiusce consilium, quae non alterius utrius

sed utriusque codicis auctoritatem elevare et tollere studet: revelationis notio ubi secum ipsa pugnare demonstrata fuerit, ipsam rem merito reiicimus. At undenam quaeso haec eius definitio petita fuit? Ipsa sane S. Scriptura longe diversam praebere videtur: huic autem iudicium relinquendum esse, non cuiusvis ingenio, in re quippe historica, luce clarius est.

Ne autem existimetis, AA., eumdem hîc usum Novi et V. Testamenti libros praestare, ita ut his facile carere possimus. Res enim ita sese habet. Revelationis et inspirationis notiones N. Foederis auctoribus familiares erant, quippe qui legem Mosaicam a Deo datam agnoscebant et V. Testamenti scriptoribus inspirationem divinam tribuere didicerant: seriore demum aetate ab his ad Apostolos ceterosque N. Foederis auctores θεοπνευστίας notio translata fuit. Quapropter nihil magis rei naturae congruum est, quam ut ab ipso V. Testamento discamus, quid sit revelatio, quid verbum Dei, qualis liber θεόπνευστος dici mereatur.

Alia praeterea quaestio est, quae in dogmatica Christiana primarium sibi vindicat locum, ad quam vero expediendam accurato antiquitatis Hebraicae studio ante omnia opus est. Haud raro inter theologos de auctoritate in Christiana Ecclesia V. Foederi tribuenda disceptatum fuit. E litis historia hoc unum nunc afferam, saepissime ex ignorantia verae Veteris Oeconomiae indolis fuisse peccatum, tum ab iis, qui iusto maiorem, tum ab iis qui iusto minorem auctoritatem ei tribuerent. Ut ab his incipiam, Schleiermacherus quique eum secuti sunt theologi, vinculum tantum historicum inter utramque Oeconomiam agnoscentes, V. Foederis libris in dogmatica Christiana omnem dignitatem, quam dicunt, normalem et inspirationem denegant. Iesum et Apostolos aliter de iis sentire, iam vidimus: et quamvis longe absit, ut ea quae in N. Testamento de V. Foederis locis prolata sunt tamquam interpretationis grammaticae et historicae normam habere liceat, Iesu et Apostolorum de V. Foederis origine placitum, quod religionem spectat, a dogmatico non est praetermittendum. Nullo quidem iure postulant, ut illud nostrum faciamus, aliena auctoritate permoti, quae et a mente Iesu et Apostolorum et a religionis Christianae indole longissime abest: at si eamdem illam, cuius Iesus auctor exstitit, religionem amplectimur (hoc autem facimus nulla vi et auctoritate coacti), idem quoque de V. Oeconomia iudicium nostrum erit, neque de ea abiectam fove-

bimus sententiam, qui Iesu discipulos nos esse gloriamur. Res enim ita sese habet: qui Iesum Dei filium et hominum servatorem agnoverit et fide eum fuerit amplexus, sua sponte in V. etiam Foedere divinam revelationem suspiciet. Istiusmodi autem persuasio, ubi primum oritur, non satis definita est, neque eius naturae, ut aliis quoque commendari possit: accedat opportet accuratum et criticum ipsorum fontium studium, quod persuasionem istam et finibus suis circumscribat, et certis firmet argumentis. Non ignoro, AA., exstitisse, qui critico examine, quod commendavi, adducti fuerint, ut talem de libris istis conciperent opinionem, qualis cum divina eorum origine, quocunque tandem modo haec definiatur, nullo pacto in concordiam redigi posse videretur: neque propterea miramur dogmaticos fuisse, qui, ne periculum hinc ipsam religionem Christianam invaderet, metuentes V. Testamentum a Novo divellere plane conati sunt. Neque ipse credo Bohlenii, Vatkii aliorumque de iis iudicium cum Iesu et Apostolorum sententia componi posse: verum, ne memorem illorum deliramenta iam a criticis melioris notae ad unum omnibus fuisse reiecta, abusus rei usum non tollit. Praeterea experientia docuit, eos qui talem de V. Testamenti libris protulerunt sententiam, infesto in ipsam religionem Christianam iam antea ductos fuisse animo: per critices enim usum nemo aut Christianus factus est, aut esse desiit, neque periculum est, ne in librorum authentiam et auctorum ἀξιοπιστίαν inquirentes, fidei nostrae damnum patiamur. Quae quum ita sint, a theologo postulamus dogmatico, ut nulla de revelationis aut inspirationis modo praeiudicata opinione abreptus, ipsum V. Testamentum perpetuo manibus terat: haec enim unica via est, qua et de divina eius origine vindicanda et de auctoritate ei inter Christianos tribuenda certo constet.

Idem autem studium illis commendandum est, qui in contrariam plane ruentes partem, omne quod inter Veteris et Novi Foederis libros observatur discrimen tollere videntur. Illi ex ipsorum Hebraeorum, prophetarum praesertim, testimonio discant, quid in Veteri Foedere aere perennius habendum sit, quid post Christi adventum ipso facto fuerit abrogatum; ab illis doceantur, iure a religione una semper et eadem eius formam distingui alio tempore aliam. Itaque desinant eam religionis formam tamquam omnibus numeris absolutam commendare, quae aliam ipsa eamque

longe perfectiorem aliquando esse orituram haud obscure praesignificavit; in eo ipso potius magnam Veteris Oeconomiae praestantiam suspiciant, quod qui sub illa vixere optimi quique conditionem perfectiorem vaticinati fuerint; neque postquam ipsa affulsit lux, in diluculo ambulantes sibi placeant. Desinant praesertim in Ethicam Christianam inferre, quae ad legem pertinent Mosaicam: ex utriusque enim confusione dici nequit, quantum iam ortum fuerit damnum, et vero etiamnum oriatur. Ut taceam enim, legalem sentiendi rationem, quae medii aevi barbariei accommodata, moderante divina providentia, per universum antea orbem Christianum invaluit, nunc etiam in Ecclesia Romana omnino vigere, ad ipsos quoque Protestantes ea transiit, quorum principiis plane opposita dicenda sit. Qui autem inter hos hanc legalem cogitandi rationem defendunt, ad discrimen inter legen moralem et caeremonias provocare solent, quarum hae cum Christi adventu abrogatae fuerint, illa etiamnum vim suam retineat. Istiusmodi autem distinctionem, nostrae sane sentiendi rationi accommodatissimam, in ipsa lege non inveniri, nec salva eius indole in eam posse transferri, accuratior eius nos docet cognitio: unicum ergo argumentum, quo legem externam Christianis impositam esse evincere conantur, necessario cadit. Quod eo maioris habendum est momenti, quo latius error, quem notavi, per orbem Christianum proserpsit.

Ad theologiam accedo practicam: ad hanc autem ea est studii, quod commendavi, ratio, ut in orationis parte, quae eam spectat, armis potius quam telis utendum esse videatur. Iam enim unum alterumve auditorem benevolum ita mihi videor audire ratiocinantem: „quae hucusque de anti„quitatis Hebraicae studio accurato, de Israelitarum historia critice investi„ganda, de historica Veteris Testamenti interpretatione disputavisti, satis „probabilia sunt: at abs tali, quale commendas, studio dehortandi potius „sunt, quibus Ecclesiae nostrae ministrare propositum est: ex illo enim ad „ipsam praxin non modo parum utilitatis redundabit, sed critices usus, quem „adeo celebrasti, huic minime accommodatus, imo noxius habendus est: ne „memorem, istiusmodi studium, quod vix unius hominis est, a theologo, in„tanta rerum addiscendarum copia, neutiquam posse postulari." Audivistis, quae mihi obiici possunt. Ad haec, quam brevissime potero, respondebo.

Veteris Testamenti repetitam lectionem illi, qui coram populo Christiano verba faciet, uno ore commendarunt, quotquot Oratoris Sacri institutionem scripserunt. Eamdem illis quoque utilissimam fore, qui pastoris q. d. munus in Ecclesia obeunt, omnes agnoscunt, qui frequentem inter nostrates librorum V. Foederis usum et commodum inde repetendum perspexerunt. Eo autem consilio manibus terenda est versio eorum librorum vernacula: quod quamvis utile et ideo omnibus commendandum, ab eo quod proposui antiquitatis Hebraicae studio, aliquantum distat. Non diffiteor, AA., fieri omnino posse, ut nonnulla, quae homines Christiani a pueris inde fuere edocti, quaeque illis cara facta sunt, per studium nostrum, si cum vulgo communicatur, sua sponte corruant. Illis quidem, qui hoc tamquam malorum extremum lugere et liberaliori theologiae praecipue vitio vertere solent, uno verbo respondere possim: nihil in Ecclesia Christiana pluris esse faciendum quam veritatem, cui et consuetudo et antiquitas et hominum temporumque successio et concilia et decreta omnia cedant necesse est. Addere possim, mihi saltem non probari eorum temeritatem, qui quidquid sibi videantur invenisse novi, quantocius cum plebe communicent: hoc enim a prudentia, quae virum doctum deceat, alienissimum, et periculi praeterea plenum esse; verum in eo subsistendum esse non existimo. Studium quippe, de quo unice hoc praedicari posset, illud, prudenter scilicet excultum, non nocere, mihi saltem parum commendationis habere videretur. Nostrum autem illi etiam, qui doctoris popularis provinciam suscipiet, prorsus necessarium esse, ideoque theologo practico maxime commendandum, propter haec praecipue argumenta statuo.

Revelationis et theopneustiae notiones non a priori, ut aiunt, constituendas sed ex accurato et critico ipsorum fontium studio eruendas esse, iam antea vidimus. Quod ne quis uni dogmatico usui esse arbitretur: qui enim S. Scripturam, Veteris quoque Foederis, de qua hîc nobis sermo est, vitae normam sequuntur Christiani, e falsis quas hisce de rebus conceperint opiniones, quodvis facile detrimentum capient. Solent enim hi, dum hominem praetermittunt, in revelatione unius Dei respicere partes: unde fit, ut, etiamsi recte statuant, non omne rerum genus sed veram unice religionem revelari, progressionem revelationis ad maiorem sensim perfectionem, quae rei divinae parum congruere videatur, prorsus non

attendant. In revelatione ut Dei auctoris, ita etiam hominis ratio habenda est. Scilicet illi, quibus revelatio obtigit, homines erant et nil humani a se alienum existimantes: unde factum est, ut nec totam statim percipererent veritatem, neque igitur eam eloquerentur. At inde simul patet, non probandam esse eorum opinionem, qui in Veteris Testamenti libris nil nisi vera et divina agnoscant: quin potius ita statuendum esse videtur, ad divinam, quae ibi revelatur, veritatem cognoscendam, prorsus necessarium esse, ut ad humanam debilitatem et imperfectionem attendamus animum, quippe quas Deus neutiquam sustulerit. Atque hoc a theologis vulgo conceditur simul et eluditur: in *actionibus* nimirum errores agnoscunt, in *verbis* adesse negant; quae quidem distinctio, etiamsi admitti posset, difficultatem minime tolleret. Qui prophetas, divino afflante spiritu vaticinantes, ab omni errandi periculo exemtos proponunt, Iaelis, Heberi uxoris, turpe facinus probare coguntur, quippe a Debora prophetissa laudibus elatum. In hoc et multis aliis, quae afferre possim, exemplis ad temporum rationem prorsus mutatam, aut hominum tunc viventium saevitiam provocare non sufficit: Ethices enim principia, uti omni dubio maiora, ita semper et ubique eadem esse debent; quibus si quis derogat, lubenter aetatis, qua vivit, et animi haud satis exculti ratione habita, veniam erroris concedemus, verum Dei vocem, nullis humanis sordibus commixtam, nos audire negabimus.

Quae quum ita sint, quam arctum inter V. Foederis usum practicum et studium illius historicum et criticum vinculum intercedat, manifestum est. Hoc enim neglecto, periculum est, ne pro divinis habeamus et venditemus, quae humanae potius imbecillitati tribuenda sunt, et ita erroribus, numquam satis deplorandis, inviti ansam praebeamus. Si enim uspiam, hîc valent poetae verba, Achivos plecti, quidquid reges deliraverint: gravissimum enim periculum esse illud, quod moribus hominum immineat, omnes facile mihi concedetis. Si vero ab his ad mentis errores transitum facimus, undenam quaeso, quae nunc longe lateque sparsa sunt commenta de Iudaeorum in Palaestinam reditu et millenario a Christo in terra condendo? In prophetarum scriptis, male intellectis, morbi originem deprehendimus: in historica eorumdem interpretatione, prudenter adhibita et cum hominibus Christianis communicata, medelam unicam. Haec autem

et alia multa aeque absurda ab hominibus indoctis inde deduci, nemo mirabitur, qui quam difficilis sit horum librorum interpretatio, quantopere praeiudicatae opiniones optimis etiam interpretibus fucum facere soleant, perspexerit. Atque ita quidem ipsius etiam S. Scripturae exemplo confirmari videmus tritum illud, nihil esse tam utile, quin abusu noxium fieri possit: attamen quod ex ea oriri possit damnum nihili fere est, si cum magna quam praestat utilitate comparatur, et maximam partem evitabitur, si homines Christiani a pueris inde fuerint edocti, quasnam in revelanda veritate leges sibi scripserit Deus, et quid in revelationis, V. Foederis libris consignatae, *forma* hominibus errori obnoxiis tribuendum sit.

Idem de Israelitarum historia monendum est: quae puerorum memoriae iam mature inculcari solet. Fuere sane, qui hunc usum reprehenderent, quique satius essé existimarent, pueros patriae historiam et geographiam ediscere, quam gentis Israeliticae fata et Palaestinae conditionem: qua de re ita sentio, illud faciendum neque tamen propterea hoc omittendum esse. Viderunt enim sagacissimi quique, e Veteris Testamenti libris historicis ad ingenium puerile formandum, ad iustam rerum, quae nunc fiunt et antea factae sunt, aestimationem, magnam percipi posse utilitatem. Hanc autem exspectationem ne fallat eventus, summa theologo practico cautio adhibenda est. Non sufficit enim pueros rerum, quae narrantur, suavitate allicere: cui consilio alia etiam historia, et melius fortasse, inservire possit; verum penetrandum est in intimum rerum nexum, ut appareat qualis sit, quae inter religiosam populi conditionem eiusque prosperitatem intercedit, necessitudo. Qui hanc recte perspicere cupit, ne opinetur in rerum superficie sibi esse subsistendum; experientia enim docuit, eos qui primoribus tantum labris Hebraicam gustassent historiam, institutionis hinc perceptae mox libenter fecisse iacturam; qui vero interius in eam penetrassent, magis magisque ea fuisse delectatos et eo uberiores ex eius studio collegisse fructus, quo melius ipsius hominis in ea partes et rerum nexum, quem dicunt, naturalem perspexissent. Neque postulamus ab homine privato, ut ea ratione Hebraeorum colat historiam; a fundamentis vero, semel a doctore positis, pleraque nisi omnia hîc pendent. Quapropter in eo iustam rerum Israeliticarum aestimationem, et quod illam praecedat necesse est, accuratum et criticum ipsorum fontium studium merito requirimus.

Restat ut de studii nostri difficultate dicam, quae ea esse dicitur, ut a theologo in tanta rerum addiscendarum copia nullo pacto superari possit. Si unicum hoc superest, quod solvatur, dubium, habeo sane quod mihi gratuler: est enim tale ut rem, a me demonstrandam, ne tangat quidem. Plerarumque omnium disciplinarum ambitum hodie amplissimum esse, omnes norunt: inde vero tantum hoc sequitur, singulas earum partes non ab omnibus eodem studio et ardore excoli posse, minime vero nonnullas tuto negligi. Attamen eadem haec a theologis haud raro profertur opinio, si de V. Testamenti interpretatione et de universae antiquitatis Hebraicae studio sermo est. Philologis illud relinquendum esse existimant; in horum inventis et auctoritate theologis, nisi omnibus, plerisque saltem, subsistendum esse; praestare enim ignorantiam fateri, quam in re, cuius prima tantum initia delibaveris, tibi arrogare iudicium. Et vero alterius utrius optio si facienda esset, ego primus, AA., illud praeferendum esse pronuntiarem: verum hoc ipsum vehementer nego. Ne dicam enim, non deesse Protestantes, qui in rebus ad religionem pertinentibus omnem humanam reiiciant auctoritatem, hanc agnoscere in S. Codicis interpretatione, quae totius theologiae veluti fundamentum est: falsissimum esse arbitror, tantam a theologis nullo iure postulari linguae et Hebraicae et Chaldaicae notitiam, ut in quaestionibus ad antiquitatem Hebraicam pertinentibus ipsi iudicare valeant. Ulterius enim procedendum non est: dialectorum affinium studium, quantumvis utile, tam late patet, ut totam hominis poscat aetatem: theologis ergo in primis earum initiis subsistendum est. Si autem qui haec didicerunt, quique praeterea ipsius V. Testamenti linguam satis tenent, ad interpretationem se accingunt, non video, quid magnopere desiderandum supersit. Etiamsi enim disciplinae fines ab illis non proferantur, in iis, quae iam satis constant, nil inepte moliri, vera ubivis a falsis secernere, aliorum denique laboribus magno cum fructu uti poterunt: quod vero maximi est momenti, in rebus incertis et dubiis ignorantiam fateri, quam temerariis aliorum coniecturis assensum praebere satius ducent. Qui vero e theologorum numero in hisce studiis vitae tabernaculum collocare cupiunt, ne magnis, quibus premuntur, difficultatibus deterreri sese sinant, neve existiment, se rem agere quae, quamvis ceteroquin utilis, a disciplina, cui nomina dederunt, a munere, quod aliquando gerent, Ecclesi-

astico aliena est. Si enim hisce studiis operam navare pergimus theologi, non tantum patrum tuebimur et vindicabimus haereditatem, verum etiam, si quid video, universae disciplinae nostrae optime prospiciemus.

Ad alteram perveni orationis partem, quae mihi gratissimam praebet opportunitatem ea expromendi, quae hodie mente agito. Neque mihi quidquam aut antiquius est, aut optatius evenire potuit, quam ut Vobis, Illustrissimi Academiae Lugduno-Batavae Curatores! pro munere, quod mihi suffragiis vestris probato mandavit Rex Augustissimus, gratias agam sinceras. Magna profecto mihi conceditur felicitas, in quem, iuvenem admodum, tam honorifica, in hac potissimum alma Musarum sede, provincia delata sit. Quae enim solet esse eorum sors, qui hanc cathedram conscendunt, ut curriculum Academicum emensi, per complures interdum annos a studiis omni animi intentione colendis avocati fuerint, ea mihi non evenit. Quod nisi laetus hîc agnoscam et praedicem, ingrati animi suspicionem non effugiam. Vobis enim, Viri Illustrissimi, hanc debeo felicitatem nec Vestrorum erga me meritorum obliviscar umquam.

Verum non desunt, quae animum meum quamvis laetum opprimant, quoties muneris in me delati gravitatem reputo. Dicam enim quod sentio. Nisi optimae, quam de me concepistis, exspectationi omni ex parte satisfaciam, hic mihi dies nec laetus neque auspicatus erit. Quod enim aliis, quibus hoc infortunium accidit, relictum est refugium, ut laureis antea partis in posterum quoque contenti vitam transigant, illud mihi nequaquam patebit. Quare nolite existimare, me mori tantum obsequi, si vobis spopondero, me quidquid in me est virium, id omne disciplinae theologicae et huius Academiae saluti esse tributurum. Probe autem mihi persuasum est, nullam grati animi significationem Vobis hac fore magis acceptam: quantopere enim Academiae salus et Ordinis Theologorum integritas Vobis curae sint cordique, luculentissime nuper ostendistis. Quare nihil magis in votis est, quam ut quam de disciplina nostra fovetis sententiam, eamdem deinde etiam foveatis, ut mihi quoque eam conservetis benevolentiam, quam ipsis factis demonstrastis. Conaminum meorum aequi sitis iudices, neque in iuvene ea requiratis, quae a viro tantum exercitato

merito postulantur. Ita sperare possum, fore ut aliquando tanto munere non omnino Vobis videar indignus. Haec felicitas ut mihi contingat, Deus faxit O. M.! quem ego, ut Vos in patriae et Academiae salutem diu servet incolumes, enixe precor.

Nemo sane mirabitur, vehementer mihi commoveri animum, quum Vos alloquar, Viri Clarissimi! quos iam grato collegarum nomine salutare mihi licet. Vos quum intueor, quorum eruditionem admirantur cuncti, quos patria et haec Musarum sedes suos esse gloriantur, quos ipse paucos ante hos menses huius Academiae alumnus suspiciebam et reverebar, me talium virorum ordini adscriptum esse, ridiculum paene mihi videtur. Verum mentem erigit recordatio benevolentiae, quam quum antea semper erga me habueritis, tum nuper illustri ostendistis documento, quum summos in Philosophia Theoretica et Literis Humanioribus honores Vestro consensu in me deferebatis. Quorum quidem beneficiorum memoria animo meo numquam excidet; quemadmodum reverentiae, quam Vobis, mutato quamvis nomine, debere me sentio, numquam defuturus sum. Vos autem eamdem mihi in posterum servetis amicam voluntatem, quam hucusque mihi habuistis!

Quod Vobis praesertim dictum esse volo, Clarissimi in Ordine Philologorum Anteecssores, quibus non uno nomine obstrictum me sentio. Meis laudibus licet non indigeatis, qui Vestra taceam erga me merita? Vos optimos habui tum in Graecis et Latinis, tum in Orientalibus literis praeceptores; Vos ab initio singulari me excepistis benevolentia; Vos animi mei ardorem alere, ulterius properanti calcar addere non desiistis; Vestro denique decreto honores, quibus nuperrime ornatus sum, acceptos refero. Atque haec quidem tanta sunt, ut merita mea longe superent: verum ne in hominem ingratum beneficia Vestra contulisse videamini, quantum in me est, efficere enitar. Ne autem aegre feratis, quod, hac data opportunitate, et me et studia mea Vobis commendem. Nemini enim magis quam mihi persuasum esse potest, arctissimam theologiam inter et litteras humaniores intercedere necessitudinem: neque theologo aliud facile optabilius est, quam ut ex eorum, qui principem inter philologos locum tenent, doctrinae thesauro petere sibi liceat. Hunc igitur ne mihi occludatis, neque, quam plurimi facio, amicitiam Vestram mihi denegetis!

Singulorum autem Vestrum erga me merita non commemorabo: verum ut Te praetermittam, Cl. Iuynboll! non sinit pietas. Talem enim Te expertus sum et praeceptorem et amicum, ut, si quid in novo quod auspicor munere mihi minus optatum sit, hoc sit, quod vinculum, quo hucusque fuimus iuncti, brevi nunc disruptum iri videatur. Sed minime vereor, ne disrumpatur propterea amicitia quae nos iungit; quin potius eam in posterum magis etiam, si fieri potest, firmatum iri et spero et confido.

Ad Vos me converto, Viri Clarissimi! in quos theologiam docendi provincia delata est. Quaenam autem cogitatio animum meum prius subiret, quam praeclarae Vestrae institutionis, quam in maximis vitae meae commodis numerabo semper? Sed hanc meam nequeo praedicare felicitatem, quin simul redeam in memoriam Cl. van Oordt, qui Christianae Ecclesiae et theologicae disciplinae, qui Vobis quoque haud ita diu ante acerbissima morte ereptus est, cuius vero obitu equidem praeceptorem et amicum non uno nomine celebrandum amisi. Illius quidem memoria nec Vestro animo umquam excidet, neque ego pie hanc colere desinam. Quo gravius vero detrimentum ex eius morte accepimus omnes, eo magis laetamur, tam cari capitis desiderium adventu Cl. Niermeyer brevi sublevatum iri. Hunc potissimum ei successorem esse designatum, omnes gaudent, quibus vera doctrina curae est: neque exigua mihi laetandi caussa est, quod tali collega uti mihi concedetur. Quod autem de eo certissima coniectura auguror, hoc de Vobis Cl. Kist et Scholten! affirmare nullus dubito: praeteritorum enim beneficiorum recordatio hodiernam coniunctionem firmiorem simul et iucundiorem efficit. Etsi enim numquam illucescet dies, quum me eorum quae Vobis debeo immemorem videatis, propterea me non opprimit cogitatio, quod qui haud ita pridem discipulus Vester fuerim, idem nunc Vobis collega adiungor: novi enim, nil Vobis invitis factum esse, quare magno potius gaudio afficior, quoties praeteriti temporis repeto memoriam. Si enim eadem deinceps incedam via, quam Vos ipsi mihi ostendistis; si veritatis unice studio ductus, hanc ex ipsis fontibus eruere et strenue vindicare enitar; si libertatem, quae in Christo est, tueri quemadmodum Vobis sic mihi, Vestris instanti vestigiis, ante omnia propositum erit: eodem ergo tendent conamina nostra et optimam de eorum successu spem fovere licet. At sentio, haud pauca mihi etiam-

num deesse: quare hoc mihi expeto, ut in posterum quoque me sustentetis doctrina et consiliis Vestris, neque aliter de me existimetis collega, ac quondam de discipulo. Quidquid autem mihi desit, disciplinae, quae nobis mandata est, amorem, aut Vestri, Viri Coniunctissimi! studium desiderabitis numquam.

At nequeo a Vestro ordine me avertere, nisi Tibi quoque animum explicuero, Venerande Senex, Clarissime van Hengel! Hunc diem Tibi quoque fortunatum videri, haud dubitanter affirmare audeo. Saepe enim significare te memini, vehementer te optare, fore ut vacantem in theologia cathedram conscenderet unus ex eorum numero, qui Tua quondam institutione fruerentur. Voti Te compotem iterumque compotem factum esse et ipse laetor et Tibi ex animo gratulor. Neque vereor, ne hominis arrogantis haec vox habeatur: habes enim in discipulorum Tuorum numero multos fortasse, qui me doctrina et experientia longe superent, Tui observantiorem Tibique magis deditum habebis neminem. At forte aliquis exorietur, qui non Tua quidem sed Academiae caussa hunc rei eventum lugeat: etiamnum enim valet, quod ante hos paucos menses de Te pronuntiavit Collega Tuus coniunctissimus: Te Tibi unum optimum esse successorem. Eorum, qui sic sentiunt, desideriis qui ego solus satisfaciam? Utinam vero quod de Te praedicavit, idem in meo etiam exemplo verissimum esse appareat! Abs Te ergo peto, ut ingenio, doctrinae copia, consiliis Tuis ita mihi praesto sis, ut munere meo fungar Te non omnino indignus! Faxit autem Deus, ut diu etiam otio Tuo fruaris, ex quo ut in disciplinam nostram et in hanc Academiam, ita in me quoque commoda quaevis redundatura esse, ipsa experientia edoctus auguror.

Vos tandem compello, Academiae huiusce alumni, Commilitones Optatissimi! Vestram ubi intueor coronam, non una de caussa mihi turbatur animus. Tantus enim eorum est numerus, quorum familiaritate iam diu utor, ut etiamnum unus de Vobis esse mihi videar; praeterea docendi munus, quod suscipio, tantam habet difficultatem et momentum tantum, ut quid valeant humeri, quid ferre recusent mihi conscius, gravius interdum, quam ut mihi iniungatur, illud iudicem. Uti enim in Vobis omnibus patria spem suam collocavit, ita Ecclesiae salus non exiguam partem ab iis Vestrum pendet, qui theologiae operam navatis, quorumque mihi

quoque mandata est institutio. Quae quanta sint, ipse penitus persentisco, verum non desunt, quae dubitanti animum addant. Novi enim et Vos novistis, nihil magis mihi curae cordique esse, quam Vestram et Academiae salutem: nec vercor, ne fidem mihi denegetis affirmanti, me, quoad possim, Vestris commodis esse inserviturum. Studiorum ducem et comitem me habebitis alacrem et diligentem: quod vero ab experientia mihi deest, illud industria, quantum fieri potest, supplere conabor.

Qui autem mihi oboriri poterat metus, ne honores in me, aequalem Vestrum, delati iusto maiores viderentur et invidiam parerent, ab eo ipsi prorsus me liberavistis. Publice enim et privatim non obscure significastis Vestram erga me benevolentiam et spem, quam de me concepistis, optimam. Cui ut ab omni parte respondeam, non a me uno, sed a Vobis etiam pendebit: probe enim mihi persuasum est, ab Academica institutione tum demum fructus perceptum iri uberrimos, quum illi qui doctoris, quique auditorum locum tenent, arcto amicitiae vinculo fuerint coniuncti. Quapropter per fidem mutuam et coniunctionem, per disciplinae quam colimus amorem, per commune nostrum commodum, rogo Vos et obtestor: quam Vobis offero amicitiam, hanc mihi quoque concedite! Dextris iunctis ad idem tendamus propositum! Proavorum virtutis memores, gloriam, quam illi accurata subtilique sibi comparavere doctrina, auctam posteris tradamus! Ita, quod Tu bene vertas, Deus Optime Maxime! a quo uno conaminum nostrorum pendet successus, et Academiae et patriae et Christi Ecclesiae optime consulemus!

ORATIO

DE

THEOLOGIAE PRACTICAE STUDIO, FUTURO EUANGELII MINISTRO PRORSUS NECESSARIO,

QUAM HABUIT

ANTONIUS NIERMEYER,

THEOL. DOCT.

A. D. XXVIII M. MAII A. MDCCCLIII,

QUUM ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGENDAE PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

HUIUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES OPTATISSIMI!

CUIUSCUNQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Non sine magna animi commotione conscendi hanc cathedram. Tredecim fere per annos Munere Ecclesiastico functus, nunc evectum me video ad Munus Academicum. Quantam vitae conditio subit commutationem, quum ex hominum rusticorum orbe inter viros multiplici eruditione claros collocer! Menti obversatur tranquilla quam adhuc degi vita, remotus ab urbium splendore et strepitu, et Christi Societati dans operam: obversatur dulcissima animi voluptas, qua frui mihi licebat, quoties animadverterem, regnum lucis pietatisque et meis conatibus promoveri. Iucundi illi dies nunc praeterierunt! Et quamquam novum, quod hodie suscipio, munus suis non caret iucunditatibus, quomodo istis, quibus longo tempore assueveram, sine dolore possim valedicere? Menti obversantur magnae muneris mihi demandati curae et difficultates, rarae quas requirit ingenii

et animi dotes, gravissima quae explenda sunt officia; ideoque animo deficior, metu oppressus ne ferendo tanto operi humeri sint impares. Nunquam equidem leve duxi pensum, quod mihi Theologo Ecclesiastico erat commissum, at quis neget, Theologo Academico incumbere officia multo graviora?

Verum, Auditores, etsi omnia illa animum deprimunt, non tamen desunt quibus animus erigatur. Ipsa Divina Providentia moderante novum hoc mihi aperitur curriculum. Quidni ergo sollicitudines meas coniiciam in Eum, qui summo amore, summa sapientia res mortalium curat, quique mihi hucusque auxilium suum nunquam negavit? Quidni quoque confidam, viros eximios, quibus collega adiunctus sum, doctrina, experientia et consiliis suis tenuitati meae benigne subventuros esse? Et quibuscunque tandem dotibus indigeam, quae Doctorem Academicum ornent oportet, quidni et animum recipiam ex recordatione, non tantum Patefactionis Divinae et Literarum Sacrarum studium semper mihi curae et in deliciis fuisse, sed me etiam per aliquot annos Munus gessisse Ecclesiasticum? Hoc enim spero ut ad bene obeundum Munus meum Academicum aliquid conferre possit. Quippe persuasissimum mihi est, primarium esse Theologiae Professoris officium, ut futuros Theologos minus ad viros, doctrina conspicuos, quam ad idoneos Euangelii Ministros informet, eosque doceat hoc maxime consilio eruditionem et scientiam magni facere et summo studio appetere, ut fructus, inde percepti, in Ecclesiae commodum redundent. Quam ob causam firmiter mihi propositum est, hoc officium in institutione mea nunquam negligere.

Quod quum ita sit, non mirabimini, Auditores, si mihi gratum esse dixero, institutioni meae eam etiam Theologiae committi partem, quae vulgo vocatur *Pastoralis*, meque, circumspicientem materiam orationis, qua munus meum auspicarer, hinc eam repetiisse. Constitui enim hac hora dicere *de Theologiae Practicae studio, futuro Euangelii Ministro prorsus necessario.* Vos benevolas ut mihi aures praebeatis, Auditores humanissimi, etiam atque etiam rogo.

Quoniam nomen *Theologiae Pastoralis* vix aut ne vix quidem omnes Muneris Ecclesiastici partes comprehendit, nostris temporibus magis magis-

que *Theologiae Practicae* denominatio invaluit, quippe quae latiorem habeat sensum. Brevissime definitur: *doctrina praxeos Ministri Euangelici.* Huius igitur doctrinae studium *prorsus necessarium* esse aio *futuro Euangelii Ministro.* Fortasse quis rogabit: Num hoc ab ullo homine, huius rei perito, negatur? Et quid opus est causam, quam nemo in controversiam vocat, defendere? Nonne in Academiis nostris ex Decreto Regio lectiones habendae sunt et habentur *de Homiletica et Pastorali?* Nonne in Ecclesia nostra Reformata (ut alias silcam) valet lex, quae postulat, ut qui ad Munus Sacrum adspirant, antequam admittantur, officiorum eius cognitione se imbutos esse probent? — Minime obloquor, Auditores. Sed nihilosecius argumenti mei defensio supervacua non videtur. Praeterierunt procul dubio ea tempora, quum vel e Theologis celeberrimis nonnulli contendebant, futurum Sacrorum Antistitem Theologiae Practicae studium sine ullo damno posse negligere, multisque in scholis Academicis hoc studium adeo flocci pendebatur, ut ne de *Homiletica* quidem, uti Reinhardus queritur [1]), aliquid traderetur quod ad Oratoris Sacri informationem revera faceret. Sin vero quaerimus, an haec scientia nostra aetate tanta, quantam mereatur, gaudeat aestimatione; an futuri Theologi eam non potius summo digito attingant, quam qua par est diligentia amplectantur, — quis contendere ausit, nullam querimoniae superesse causam? Quam multi sunt Sacrorum Ministri, qui ingenue confiteantur, se, antequam Munus Sacrum aggrederentur, hanc scientiam propemodum penitus neglexisse, unice fere ceteris Theologiae doctrinis navantes operam! Quaenam totius disciplinae pars hactenus inter viros doctos minus quam haec pertractata est? Absit profecto, ut parvi ducam quae iamdudum permulti ad excolendam Theologiam Practicam contulerunt! Attamen recentiori demum memoria, praeeunte imprimis Schleiermachero, sequentibus Huffelio, Marheinekio, Schweizero, Liebnero, Grafio, Gauppio, Nitzschio, Mollio, ad quos nostrates Busch Keiserus, Hengelius, Muurlingius accesserunt, ea ita exculta est, ut desinat esse mera fere coacervatio eorum, quae Euangelii Ministro observanda sunt, et exsistat docta et philosopha

[1]) In libro: *Geständnisse seine Predigten und seine Bildung zum Prediger betreffend.* 1810. S. 49.

Ministerii Euangelici expositio, ideoque *scientia* vere sic dicta, quae suo iure iuxta ceteras Theologiae scientias collocetur. Quae quum ita sint, non abs re existimandum, de huius studii necessitate disserere.

Primum igitur videamus, *quaenam Muneris Ministri Euangelici sit ratio;*

Deinde nobis persuadeamus, *ceterarum Theologiae partium studium non sufficere ad efficiendum, ut quis ad hoc munus recte gerendum instruatur;*

Porro, Theologiae Practicae studio futurum Euangelii Ministrum eo instrui animadvertamus:

Denique observemus, *magnam huius muneris gravitatem omnino poscere ut recte geratur.*

I. Quod ad *Muneris Ministri Euangelici rationem* attinet, breviter eam describit Paulus Apostolus in Epistola ad Ephesios [1]). Christum dedisse docet, tum Apostolos, tum Profetas, tum Euangelistas, tum Pastores et Doctores, „ad perfectionem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi." [2]) Nimirum novae vitae principium, quod Filius Dei sua vita totaque persona humano generi manifestaverat eique virtutis coelestis nomine tradiderat, ut, ea imbuti, omnes mortales et ipsi fierent filii Dei, Illo de terra sublato, in omnium animos se insinuare eosque sibi subiicere non poterat, nisi ab aliis, opus Auctoris suscipientibus eiusque vestigia sequentibus, tum vitae eorum ratione repraesentaretur et commendaretur, tum summa ope longe lateque inter homines propagaretur. Etenim si alios ad meliorem vitam ducere volumus, quocunque modo ad eam excitare oportet eamque imprimis nostra ipsorum vita, utpote exemplo ob oculos posito, commendare. Sapienter igitur Iesus, quum in terris erat, *Apostolos* ad hoc munus informavit, quibus deinde adiuncti

---

[1]) Cap. IV. 11, 12.

[2]) Haud facio cum Clar. Muurlingio, qui operis, titulo *Praktische Godgeleerdheid.* I. Gron. 1851. inscripti, pag. 89 ait, Paulum verbis *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ*, indicare quae Ecclesia Christiana et Euangelii Ministri coniunctim agere debeant. Ex mea sententia dubium non est, quin Paulus hoc sibi velit: Apostolis cet. opus ministerii et aedificationem corporis Christi imposita esse, ut sancti perfecti fiant.

sunt *Profetae*, eodem vocati. Neque ab horum ministerio reapse diversum fuit illud, quod èt *Euangelistis*, i. e. Euangelii nuntiis nullo loco adstrictis, commendatum erat, èt *Pastoribus Doctoribusque*, i. e. certo coetui praefectis. Quorum quodammodo successores dici possunt Sacrorum Antistites recentioris aetatis, sive *Euangelii Ministri*. His igitur ea incumbit provincia, ut sint veluti canales, per quos nova vita, e Christo oriunda, humanum genus magis magisque impleatur, idque ita, ut, hac vita perfusi, divinam Religionis Christianae indolem ipsi adspectabilem faciant aliosque ad eam alliciant, atque omni modo coetus sibi demandati salutem perpetuo promovere conentur. *Pastoris Doctorisque* munera, a Paulo Apostolo pro temporibus illis inter se distincta, Ministri Euangelici munus hodiernum complectitur; quod in Ecclesia nostra tam titulus *Pastoris ac Doctoris* indicat, quam lex modo memorata, quae futuros Theologos Ecclesiasticos de *Pastoris* et *Doctoris* Muneris officiis docendos esse iubet. Nec mirum, cum *instituendi*, tum *regendi* munus ei esse impositum. Videlicet (ut primum de *illo* dicam) sicuti Euangelii annuntiatio praecedere debet, ut quis Christi sectator exsistat; sic homines, nisi notiones ac sensus, inde profecta, apud eos retineantur et alantur, in Christi communione manere non possunt. Quamobrem Euangelii Ministrum, ut ipsum eius nomen declarat, *Euangelium administrare*, sive, ut ex alio eius titulo sequitur, *Verbi Divini Ministrum* esse oportet; quippe qui, tùm exercitiis catecheticis minores natu, et, si opus est, etiam maiores, ita instruat, ut postea in Ecclesiae Christianae socios recipi possint, tùm horis, quae sacris publicis destinatae sunt, totum Dei consilium in hominum salutem pro concione exponat adeoque apud auditores desiderium excitet Deo obtemperandi et ad Christi exemplum se conformandi. *Regendi* vero officium quod Euangelii Ministro impositum est, èt *universum* cui praefectus est *coetum*, èt *singulos eius socios* spectat. Ad *illud* primum pertinet id, quod *Liturgicae* nomine appellamus, et constat cura caeremoniarum actuumque sacrorum in aedibus Deo dicatis: precum nempe communium, cantus Psalmorum et Hymnorum, rituum Baptismi et Sacrae Coenae, novorum Christi Sectatorum receptionis, Presbyterorum et Diaconorum ordinationis, quae omnia ita sunt moderanda, ut Religionis Christianae indolem spirent et adminicula fiant, quibus concio in Christi

fide accrescat. Deinde hîc in censum venit *coetus universi* cura, quae partim posita est in rebus peculiariter hunc spectantibus: in moribus nempe emendandis pauperibusque sustentandis; partim in iis, quae pendent, vel a nexu, quem coetus cum aliis totaque habet Ecclesia, vel ab officio, cuivis coetui Christiano imposito, regni Divini etiam extra orbis sui fines tuendi et propagandi. *Alteram* autem regiminis partem, quae vulgo *cura animarum* dicitur, Euangelii Minister explet, si singulos homines, divinitus sibi commissos, ad sincerum Dei cultum et vitam vere Christianam ducere annititur. Illi igitur, pro varia eorum indole, vita, aetate, conditione, prudenter sunt admonendi, corrigendi, consolandi, ad spem excitandi et in fide confirmandi.

II. Iam, Auditores, nobis persuadeamus, *ceterarum Theologiae partium studium non sufficere ad efficiendum, ut quis ad Munus Sacrum recte gerendum instruatur.*

Neminem quidem, hoc studio neglecto, Ministerii Ecclesiastici munia rite obire posse, omnibus intelligentibus perspectum est. Vae Societati Christianae, si viri, huic Ministerio praefecti, studium illud despiciant! Immo ipse lucis instar esto, qui ad lucem afferendam vocatur. Ergo Literas Sacras, Dei Patefactionem continentes, tam Hebraei quam Graeci sermonis, Euangelii Minister probe intelligito, ut eas perspicue explicare valeat; varias ipsius Patefactionis Dei partes docte et subtiliter perserutatus esto, ut aliis cum tradat; tum rerum Christianarum historiae usque ad sua tempora teneto cognitionem, ut alios doceat, quomodo Ecclesia ad hodiernam formam pervenerit. Verum, Auditores, quamquam Euangelii Minister his aliisque huius generis disciplinis minime carere potest, plane temerarium esset opinari, earum studium sufficere, ut quis ad legitimam Muneris Sacri administrationem instruatur. Qui in illas tantum Theologiae partes incubuit alios fortasse doctos Theologos informabit; sed hoc non est officium Euangelii Ministro propositum. Sicuti enim vidimus: homines, ut vulgo sunt, omnis generis, indolis, vitae, conditionis, culti et inculti, ab eo ita informandi sunt, ut fiant pii Christi sectatores. Hoc unum ei spectandum est. Itaque fere in novum et prorsus incognitum orbem transfertur, qui, illis tantummodo disciplinis imbutus, Munus Sacrum

aggreditur. Nunc non, aut saltem rarius, doctrinae ad scholae severitatem explicandae et defendendae sunt; sed Euangelium salutis simpliciter pueris tradendum, omnibus annuntiandum et commendandum est. Profecto, doctus Theologus tali labori non est idoneus et impar! Non didicit, quomodo scientia, quam sibi comparavit, in variorum, quin etiam imperitissimorum, hominum usum, ad eos corrigendos, consolandos et in fide confirmandos sit adhibenda. Non didicit, quomodo sacra et instituta, Ecclesiae suae usitata, eo dirigi debeant, ut hominum aedificationem in Christo adiuvent. Non didicit *Politicae* praeëssé *Ecclesiasticae* et Regiminis Synedrii agere partes. Verbo: fundamenta apud eum iacta sunt, aedificium desideratur. Itaque nullos ferc fructus ferre potest istiusmodi Muneris Sacri administratio.

Haud ignoro, Auditores, non deësse, qui credant, Munus Sacrum a Theologo, etiamsi disciplinis tantum theoreticis imbutus sit, recte tamen geri posse, quoniam in sua sectatorum Christi familia inde ab iuventute, èt aliis modis, èt cultu sacro frequentando, cum Sacrorum Antistitis muneribus familiaritatem quamdam contraxerit. Verum haec familiaritas, uti nonnullas tantum partes spectat, sic non ea sane est, qua ipse ad huius muneris officia peragenda recte praeparetur. Eodem iure quis dixerit, futurum medicum aegrotos bene esse curaturum, quoniam in domo paterna subinde medicos conspexit aegrotos curantes. Licet quis sexcenties orationes sacras ex alio audiverit, ideo nondum ipsi succedet eiusmodi orationis elaboratio. Dixerunt insuper nonnulli, Theologum, dummodo Logicam et Psychologiam didicerit, et tùm sensu pulchri et boni, veterum Classicorum lectione exculto, tùm hominum cognitione praeditus sit, absque dubio bonum futurum esse *Oratorem Sacrum* [1]). At non animadverterunt, quantoperc oratio sacra ab alia qualibet differat. Quid quod sola locorum Veteris Novique Testamenti, qui ab eo pro concione tractandi sunt, magna diversitas proprium idque difficillimum requirit studium? — *Catechetam* quod attinet, nemo facile videbit, quomodo ille sine maioribus subsidiis, quam supra dictum est, rite informari possit [2]). Huic enim negotio nec

[1]) Vid. Planck, *Einleit. in d. theol. Wissensch.* II. S. 602.
[2]) Vid. annotatio praecedens.

Classicorum lectio, nec boni pulchrique sensus satis inservit, nec vero talis hominum cognitio, quali recens Euangelii Minister gaudere potest. — Similiter a vero aberrant, qui *curam pastoralem* a Theologo agi posse contendunt [1]), dummodo operam Theologiae navarit *Morali*, omnium officiorum elementa comprehendenti, ex quibus sponte intelligat, quae sint sui muneris officia. Haec enim officia ita comparata sunt, ut qui eorum careat familiaritate, impar omnino sit ad ea sibi excogitanda et viam, qua expleri debeant, inveniendam.

Fortasse quis obiiciet, permultos fuisse eximios Euangelii Ministros, qui non nisi in theoreticis Theologiae partibus diligentiam posuissent. Sed viri illi, postquam munus suum aggressi erant, usu et studio, meditatione et aliorum consultatione, idonei demum facti sunt Sacrorum Antistites: prouti et hodie non desunt qui confiteantur, se hac solum ratione Munus recte gerere didicisse. At sic ipsi concedunt, se absque necessaria praeparatione munus suum capessivisse, atque sic ultro nobis assentiuntur. Magnus adeo Reinhardus, in confessionibus de sua ad oratoriam sacram conformatione [2]), candide agnoscit, se, quum in iuventute institutione hac de disciplina caruisset, desiderio eius laborare nunquam omnino desiisse.

III. Tertio loco animadvertendum, *Theologiae Practicae studio futurum Euangelii Ministrum ad munus suum recte gerendum instrui.*

Theologia Practica, uti iam diximus, est docta et philosopha muneris, Ministro Euangelico demandati, expositio. Describit nempe haec doctrina, quid sit Munus Sacrum, quo consilio sit institutum et quid generatim cuivis, qui eo fungatur, sit spectandum. Quae singula secundum Patefactionis Divinae, in Christo datae, et Regni Divini, ab Eo conditi, normam constituit illa et veluti inde deducit. Porro docet, quomodo hoc in munere sit agendum et quid adhibendum ne frustra laboretur. Quamobrem varias exponit Muneris Sacri partes, quales et adhuc in usu sunt, et manere debent ut Muneris consilio universo probe respondeant; item varia Sacrorum Antistitis officia, hinc orta, varias quoque ingenii animique

---

[1]) Vid. et hîc Planck l.l.

[2]) L. c. p. 86. sqq.

dotes, quae huc requirantur, variosque modos, quibus Muneris officio ab eo sunt peragenda. Haec vero dum omnia subtili indagatione explorat, immemor non est veteris sentcntiae, historiam esse magistram, idcoque quantum potest in usum suum convertit experientiae testimonia.

Quae quum ita sint, unusquisque paulo prudentior intelliget, futurum Euangelii Ministrum Theologiae Practicae studio idoneum reddi, cui Munus Sacrum demandetur. Nam hocce modo via, quam inire debet, ducis periti manu ei monstratur. Tali autem qui utitur duce nonne ei, qui suam sibi ipse lucem sufficerc putat, longe antecellat neccsse est? Quis enim, si vel omnium sit sagacissimus, suopte ingenio reperiat, quae omni temporc cx virorum doctorum meditationibus monitisque in posteritatem redundarunt? E tenebris eruere rei cuiusdam principia; explorare, quomodo partes eius cum his principiis conveniant; perspicere, quare partes illae sint ut sunt, et quomodo essc debeant, — eccui quaeso continget, aliorum institutionem et auxilium aspernanti? Et vel sie tamen haec omnia, Auditores, ad Munus Sacrum rite obeundum sunt necessaria. Etenim illa demum, quae nobis sunt perspicua, quac bene fundata essc agnoscimus, quae comprobamus ipsi, èt revera vellc, èt recte facere possumus. Itaque tunc demum munerc nostrò bene fungemur, si omnes actiones nostrae proficiscentur ex clara rerum, nobis commissarum, intelligentia, et omnes muneris nostri partcs ob oculos nobis versabuntur veluti radii, in unum centrum vergentes, veluti varii tramites, eodem tendentes, vcluti rotac machinarum, inter se cohaerentes, quarum nulla sine damno deësse possit. Quamobrem extra controversiam positum est, Theologum solummodo per Theologiam Practicam ad *omnes* et *singulas* muneris sui partes religiosc obeundas informari. Fuerunt, qui in hac illave parte negligentissimc versarentur: quac agendi ratio fortasse inde explicanda cst, quod Theologiam Practicam non attigerant. Hac cnim neglecta, neutiquam perspexerunt, quanti ponderis sit singulas Muneris partes curarc, sequc opinionum suarum libidine usquequaque rapi passi sunt. — Haud minore iure sumimus, Thcologiae Practicae studium magnam vim habcre in *modum*, quo Munus Sacrum exerceatur. Per eam enim omnia, quae huius muneris sunt, ad principia reducuntur, quae principia Euangelii Ministrum, cuius menti iniecta sunt, veluti instinctu quodam impertiuntur, cuius ope per-

sentiscat, quid muneri suo consentaneum et quid sibi agendum sit. Atque sic quidquid agat magis magisque muneris sui officiis respondere videbit. Non serviliter alios imitans, abusus, si qui sint, facile observabit et tollere conabitur. Cuius generis exemplum cernitur in ratione pro concione dicendi, quae praecedenti seculo pervulgata erat, quum coram populo Christiano sermones haberentur, linguarum peregrinarum vocabulis aliisque rebus ineptis onerati. Non magis vestigia sequetur corum, qui nostra aetate orationibus mere dogmaticis fastidium auditoribus creant, vel hanc fraudem iis faciunt, ut sectatoris Christi magis esse opinentur in rebus theoreticis, quam practicis versari. Neque etiam sectabitur eos, qui, phantasiae suae indulgentes, auditorum animos minus ad Christum erigant, quam aures eorum oratione, poëtarum imaginibus cumulata, mulceant. Eodem modo puerorum memoriam non, ut nonnulli solent, rebus supervacuis obruet, necessarias leviter tantum attingens. Neque minus decora et Christianae Religionis maiestati contraria, quae passim in aedibus sacris fiunt, auctoritate sua tuebitur. Domesticam, quae dicitur, visitationem non cum quibusdam aversabitur, sed religiose potius obibit, ut homines, curae suae mandatos, magis magisque sensibus impleat vere Christianis. Quid plura? Mirum enim est, quam multa nostris etiam diebus reformarentur, si modo Theologiae Practicae regulae cognoscerentur et observarentur. Mirum est, quam multa placita, praesertim ad Homileticam et Liturgicam pertinentia, tunc brevi obsolescerent, quae nunc ab haud paucis, qui cum Theologia Practica vix aliquam consuetudinem contraxerunt, magna interdum iactatione et veluti ex tripode partim defenduntur, partim reprobantur.

IV. Restat ut observemus, *magnam Muneris Sacri gravitatem omnino poscere ut recte geratur.*

Ab eo, qui muneri alicui praepositus est, iure poscitur, ut illud gerere sciat, quoniam nunquam desunt, quorum intersit, qua ratione in eo versetur. Quo maior vero est munneris gravitas, quo plurium interest quomodo peragatur, quo ampliora bona cum eo connexa sunt, eo maiore iure poscitur, ut non nisi viro, bene ad hoc parato, mandetur, eo plura, quoties perverse geritur, damna inde oriuntur, quoties vero recte, emolumenta.

Itaque quanti intersit, Euangelii Ministrum ad munus suum bene instructum esse, nemini dubium esse potest. Nam hoc munus nonne *summae* est gravitatis? Nonne mortalium spectat res gravissimas? Nonne hòc consilio institutum est, ut homines ad vitam vere Christianam perducantur, atque ita a peccato eiusque miseria liberentur Deoque concilientur; verbo: ut genus humanum summa eaque aeterna beatitate impertiatur? O gravissimam Euangelii administrationem, qua id ipsum agitur, cuius causa Pater Coelestis ne Filio quidem suo pepercit, et Hic ipse, quamquam imaginem Dei ferens, se depressit servique imagine suscepta, obedientem se praestitit usque ad mortem crucis: cuius causa laetitia est inter coelicolas, ubi vel unum hominem resipiscentem contemplantur! O cogitationem, qua erigitur animus: hominem, ipsum ante Dei oculos maculis non vacuum, vocari, ut aliis dux existat ad vitam aeternam! Profecto, haud mirum, Paulum Apostolum Munus Sacrum dixisse *praestans opus* [1]), et gloriatum esse in Euangelii annuntiandi gratia sibi data [2])! Sed ubi summam huius muneris gravitatem observamus, nec hòc mirari possumus, ne exempla quidem deësse eorum, qui Munus Sacrum, quamquam illud vehementer obire cuperent, tamen nullo modo suscipere ausi sint. Valde quidem iis arridebat provincia mortalium animas servandi, unde perenne sibi sperarent gaudium; sed anxie retrocedebant simulatque animo volverent, se perversa et negligenti eius administratione nonnullis perniciei auctores fieri posse. Et quis inficiabitur, eos, qui Munus Sacrum perverse aut negligenter gerant, ipsos facile auferre fructus, qui e recta Euangelii administratione in Christi sectatores redundare queant? Quid quod ex huiusmodi agendi ratione miseriae oriri possunt in aeternum deplorandae! Si ipse Euangelii Minister vitae expers est vere Christianae, exemplo suo alios ad Christum non alliciet; verbis suis, quae factis non respondent, vix aliquid efficiet; imo forte ansam dabit, ut nonnulli, ad vitam eius se componentes eiusque exemplo abutentes, in perniciem ruant. Si homines qui curae eius commissi sunt sibi relinquit; si fideles non firmare, vacillantes non corroborare, errantes non reducere, afflictos non erigere, desperantibus animum

[1]) 1 Tim. III. 1.
[2]) Eph. III. 8.

non addere conatur, vel eos omnino male regit, quam multis igitur hominibus, turpi eius segnitie, inscitia aut incogitantia, desunt auxilia, consilia, incitamenta, solatia utilissima; quam multi eius culpa perire possunt! Si nescit, quomodo auditoribus pius Dei cultus commendandus Euangeliumque pro corum ingenio, indole, conditione annuntiandum sit, vel si, quod multo peius est, in eius praedicatione id tantum agit, ut facultas sua oratoria elucescat, fortasse admirationem sui excitabit, sed neminem ad Christum perducet, ne dicam in Christi fide confirmabit. Quid plura? Praeclare illud Pauli Apostoli effatum, quo se „purum omnium *sanguinis*" declararet [1]), Euangelii Ministrum, Munus male gerentem, ad se converterc non posse, ex dictis facile intelligetur. Quod quum ita sit, Auditores, quisque agnoscet, magnam Muneris Sacri gravitatem summopere flagitare, ut illud recte geratur.

Eo autem quum Theologiae Practicae studium, ut vidimus, requiratur, apertum est, quanti ponderis sit, quemvis futurum Euangelii Ministrum nihil sanctius habere, quam ut illi operam navet diligentissimam. In omnes Theologiae partes incumbere debet; in hanc praecipue, persuasum sibi habens cum Schleiermachero [2]): Theologiam Practicam primarium inter partes illas obtinere locum eamque veluti arboris esse coronam.

Oratione de Theologiae Practicae studio ad finem perducta, pauca mihi dicenda supersunt.

Primum gratum meum animum significare licitum sit Vobis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, huius Academiae Curatores! pro honore insigni, qui, Vobis auctoribus, a Rege nostro Augustissimo ad me delatus est. Lubens confiteor, verba mihi deësse, quibus quantas debeo gratias Vobis agam; at publice asseverare nullus dubito, gratam benignitatis Vestrae erga me recordationem dum vivam intimo pectore meo inco-

---

[1]) Art. XX. 26.

[2]) In libro: *Kurze Darstell. d. theol. Stud.* Berol. 1811.

lumem reservatum iri. Verum haud ignoro, Vos a doctore Academico postulare, ut ad iuventutis commoda promovenda nullum negligat officium, sibi demandatum. Sed declarare non vereor, mihi, quamvis virium mearum tenuitatem perscntiscam, sinceram saltem voluntatem non deësse munere meo religiose fungendi. Vobis omnibus gratias ago, quod praesentia Vestra desideratissima hoc solemne ornare non recusastis. Quod etiam Tibi dictum accipias, Vir Gravissime, Gevers van Endegeest! quem si clarum hunc in locum ab Augustissimo Rege vocatum videmus, ut Curatoris nomine Academiae praeësse inciperes, haud scio equidem utrum magis huic doctrinarum sedi, an Tibi gratulandum sit. Te autem, et Vos omnes, Viri Illustrissimi, Deus Omnipotens benigne tueatur, diuque hunc laetissimum curae Vestrae Vobis praebeat fructum, ut hanc Academiam magis magisque florentem videatis.

Secundo loco ad Vos me converto, huius Academiae Professores, Viri Clarissimi et Spectatissimi! quos ab hac hora collegas appellare mihi licebit. Quoties coronam Vestram inclytissimam oculis perlustro, tenuitatis meae cogitatione deprimor. Antea, quum huius Academiae eram alumnus, Vestrum nonnulli iam Professoris munere fungebantur, eosque hoc ipso in loco cum reverentia adspiciebam. Quod quum mecum reputo, menti metus subrepit, ne inferior sim quam ut Vestrum in ordinem recipiar. At vero animum recreat recordatio Vestrae erga me benevolentiae, quam tribus abhinc fere annis luculenter testificati estis, quum honorem Doctoris Theologiae in me conferretis. Et hoc mihi documento est, quid mihi nunc de Vobis sperare possim. Vos dubitare nolite, quin sinceris meis in votis sit, ut Deus multos per annos Vos incolumes servet, in salutem iuventutis Academicae et carissimae Patriae.

Vos autem inprimis compellandi estis, Viri Clarissimi, Facultatis Theologicae Professores! quibuscum muneris ratione arctiore vinculo coniunctus sum. Quid mirum, si dixero, me non nisi trepide hanc cathedram adscendisse, ut Vestro in ordine locum capesserem? Etenim Vos quum intueor, non minorem mihi provinciam demandatam esse sentio, quam viris, qui siderum instar in hac Academia splendent et Patriam collustrant; tum vero merita mecum reputo Viri aestumatissimi Ioannis Frederici van Oordt, praematura morte literis et Ecclesiae erepti,

cuius desiderium equidem is non sum qui extinguere queam; et in memoriam redeo Viri doctrinae incomparabilis Ioannis Clarisse, quo ante hos quindecim annos me praeceptore usum esse nunquam lactari desinam. Sed ante oculos quoque obversantur iucundi dies, quum veluti ad Vestros etiam pedes, Viri Clarissimi van Hengel et Kist! sedere mihi contigit. Nunc quum Vestrum in ordinem vocatus sum, vix aut ne vix quidem Vos collegas dicere ausim. Attamen recordans benignitatis, qua quondam me prosecuti estis, et recentis Vestrae erga me benevolentiae, in spem erigor fore ut mediocritati meae amanter succurratis. Mihi nihil sanctius et antiquius erit, quam me praestare collegam, qui Vester quotidie discipulus esse cupiat. — Neque Te, aestumatissime Scholten! qui Tuam in me propensionem luculentissime iam ostendisti, spem meam in Te positam frustraturum esse, persuasissimum mihi est. — Et Te, honoratissime Kuenen! quocum nuper eandem fortunam sortitus sum, tanquam fratrem dilectum mihi fore toto animo confido. — Ceterum Vobis omnibus grates ago pro consiliis et auxiliis, quibus me adiuvistis. Prosperet Deus O. M. quidquid ad huius Academiae florem, Patriae nostrae gloriam Societatisque Christianae salutem annitamini. Et Tibi, Clarissime van Hengel! otium quo frueris meritissimum, quamquam profecto non otiosum est, diu conservetur, ut bonorum copia ex singulari Tua doctrina, tum in multos alios, tum in nos redundare pergat.

Postremum ad Vos venio, Adolescentes Generosissimi! qui litterarum et disciplinarum causa huius Academiae cives estis; praesertim ad Vos, qui Theologiae nomen dedistis, et quibuscum muneris mei ratio me arctius coniunget. Publice gratias Vobis ago pro benevolentiae Vestrae documento, quod mihi, vix hanc in provinciam vocato, allatum est, meque alacriorem fecit ad eam suscipiendam. Sic enim eosdem agnoscere mihi videbar Academiae *Lugduno-Batavae* alumnos, qui ab antiquo caros habuerunt praeceptores, quorum institutionem sibi prodesse posse censebant. Equidem, quas Deus mihi largitus est, animi vires ad promovenda Vestra commoda et emolumenta impendere conabor. Vos autem huius Academiae estote cives, qui probitate et humanitate excellant omnisque pulchri, boni et veri studio atque ardore ferantur. Quae si in hoc doctrinarum stadio Vos ornant, in posterum huic Patriae nostrae eritis decori Vestrisque

parentibus et propinquis insigni gaudio. Vos imprimis, Optatissimi Iuvenes, quotquot Theologiae vitam dicastis, meminisse nunquam desinite, quo religiosius cum indefesso doctrinarum studio recti et honesti amorem coniungatis, eo meliores Vos aliquando Euangelii Ministros Gregisque Christiani Pastores esse futuros.

Tu vero, Deus Optime Maxime, hisce primitiis benigne faveas, Tuoque numine hanc literarum et disciplinarum sedem tuearis!

DE
NEDERLANDSCHE TAALKUNDE
IN HAREN AARD EN HARE STREKKING.

REDEVOERING,

TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT
AAN DE HOOGESCHOOL TE LEIDEN,

DEN 29STEN OCTOBER 1853,

UITGESPROKEN

DOOR

D^R. M. DE VRIES.

EDELGROOTACHTBARE HEEREN, CURATOREN DER LEIDSCHE HOOGESCHOOL,

WELEDELGESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN,

HOOGGELEERDE HEEREN, RECTOR MAGNIFICUS EN VERDERE HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE VAKKEN VAN WETENSCHAP, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEER, LECTOR IN DE HOOGDUITSCHE LETTERKUNDE,

EDELACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR VAN DEZE STAD, EN DE HANDHAVING DES REGTS IS TOEVERTROUWD,

WELEERWAARDE HEEREN, LEERAREN DER GODSDIENST,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN IN DE VERSCHILLENDE FACULTEITEN,

AANZIENLIJKE SCHARE VAN JONGELINGEN, DIE U AAN DEZE HOOGESCHOOL OP DE WETENSCHAPPEN TOELEGT,

GIJ ALLEN VOORTS, VAN WELKEN RANG OF STAND, DIE DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT,

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS,

Sedert den aanvang der tegenwoordige eeuw is in de meeste landen van het beschaafde Europa een nieuw tijdperk aangebroken voor de beoefening der volkstaal. Ziet bij onze stamverwanten in het naburige Duitschland. Is daar niet binnen één menschenleeftijd het gebouw eener Germaansche taalwetenschap verrezen, dat den aanschouwer met verbazing vervult, en aan een edel broederenpaar de onsterfelijkheid verzekert? Ziet het Noor-

den. Heeft niet Denemarken aan de Duitsche wetenschap, zoo al niet den weg gebaand, dan toch zich waardig aangesloten, en, in eendragtige zamenwerking met Zweden, voor de Noordsche talen een licht ontstoken, dat heldere stralen verspreidt tot in den nacht der grijze Scandinavische oudheid? Ziet Engeland. Is daar niet eene levendige belangstelling ontwaakt in de taal van het Angelsaksisch voorgeslacht, en is niet die studie de grondslag geworden eener diepere kennis en krachtiger ontwikkeling van het hedendaagsche Engelsch? Ook bij de volkeren van den Romanischen stam openbaart zich hetzelfde streven. In Frankrijk, waar de taalkennis lang met bekrompene eenzijdigheid tot het bloote spraakgebruik bepaald bleef, is allengs het onderzoek verruimd en met een beteren geest bezield, en thans reeds is het mogelijk geworden, in het wezen der Fransche taal een dieperen blik te slaan, dan ooit te voren kon worden vermoed. Het voorbeeld van Frankrijk wekte de verwante natiën tot navolging op: ook Italië en Spanje bleven niet achter. Wilt gij meerdere bewijzen? Ziet, hoe de Keltische bewoners van Ierland en de Schotsche Hooglanden met opgewekten lust hunne aloude spraak in eere herstellen; hoe elders de talrijke volkeren van Slavonisch ras niet alleen het gebied der wetenschap met een nieuw veld van onderzoek hebben uitgebreid, maar ook door eigen arbeid dien akker moedig ontgonnen, en thans reeds welige vruchten gekweekt. Doch genoeg. Waarhenen wij ons ook wenden, bijna overal vinden wij de taal des lands in hoogere schatting gerezen, hare beoefening opgewassen tot een vroeger ongekenden bloei.

Een verschijnsel, zoo eenparig en gelijktijdig overal waargenomen, moet noodwendig zijne verklaring vinden in de rigting des tijds, het moet een uitvloeisel zijn van de geschiedenis der laterc jaren. Die verklaring is dan ook niet verre te zoeken. De groote gebeurtenissen, die in de laatste halve eeuw ons geheele werelddeel hebben geschokt, hadden overal de strekking om de volkeren op te wekken tot het bewustzijn hunner nationaliteit. Hetzij eene natie, na langdurigen sluimer, eindelijk ontwaakte tot het besef harer lang miskende regten, en, in overmoedig gevoel van zelfstandige kracht, zich een nieuw volksleven schiep; waarin het tooverwoord *nationaal* de leuze werd, die op aller tongen zweefde. Hetzij de vaderlandsche geest, door vreemde wapenen bedwongen en gekromd onder het

wigt der verdrukking, straks daarna zieh met dubbele fierheid verhief, en bij den jubel der heroverde vrijheid in dubbelen ijver ontgloeide. Hetzij eindelijk het nationale gevoel, bij voortduring verdrukt en vernederd, of, bij eene willekeurige indeeling van Europa's grondgebied in zijne heiligste belangen gekrenkt, juist daardoor in het hart des volks des te dieper werd ingegrift, en te sterker den boezem deed kloppen, als éénig steunsel van bemoediging en hoop. Kon het anders of die nationaliteit, overal tot kraehtiger zelfgevoel geprikkeld, moest ook overal eene hoogere geestdrift doen ontstaan voor de taal der vaderen, de taal, die van die nationaliteit de uitdrukking en het onderpand was, de taal, wier uitroeijing de heersehzueht, waar zij het volksbestaan eens voor al wenschte te vernietigen, zieh boven alles ten doel had gesteld?

Doch er werkten ook andere oorzaken, om de opgewekte geestdrift ten goede te leiden en tot een werkzaam leven te bezielen. Bovenal moet ik wijzen op de uitbreiding van de studie der geschiedenis. Herinnert u, hoe in de tweede helft der vorige eeuw zich overal een wakkere ijver vertoonde voor het onderzoek naar de voormalige toestanden, instellingen, regten en zeden des volks: een onderzoek, dat zeer zeker tot de groote staatsomwenteling het zijne heeft bijgedragen, maar wederkeerig door die omwenteling en hare gevolgen met dubbele kraeht werd bevorderd. Met die toenemende beoefening der geschiedenis ging tevens die der letterkunde gepaard. En niets was natuurlijker. Of is het niet de letterkunde, wier gedenkrol het inwendige leven des volks en den gang zijner ontwikkeling in een nog helderder en vollediger tafereel ontvouwt, dan de reeks der uitwendige feiten, die de stof van het geschiedverhaal uitmaken? Geschiedenis en letterkunde: hoe zijn die beiden in de latere jaren met reuzenschreden vooruitgegaan! Maar geene uitbreiding van die beiden was mogelijk, of de taalkennis moest er den heilzamen invloed van ondervinden. Noeh geschiedenis noch letterkunde kon hare hulp ontberen. Zij moest, als getrouwe tolk, beider jaarboeken uitleggen, wat in den loop des tijds was verduisterd, met haar licht bestralen, en de stem van het voorgeslacht voor het nakroost doen herklinken in oorspronkelijke klaarheid. Zij weigerde die medewerking niet, en ziet, van de hulp, die zij aan de zusterwetenschappen bood, oogstte zij zelve een tienvoudig loon. Want naauwelijks had

zij de nieuwe baan volijverig betreden, en de kennis van de vroegere toestanden en historische vorming der taal tot het doel van haar streven gesteld, of die studie had op haar zelve een herscheppenden invloed, en het bleek dat zij nu eerst den weg had gevonden, die tot hare eigen ontwikkeling en volmaking kon leiden. En hoe meer zij zich hiervan bewust werd, hoe verder zij in die rigting vooruitschreed, hoe meer zij in eendragtig verbond met geschiedenis en letteren haren werkkring verruimde, des te meer nam zij toe in omvang en diepte, in vastheid en volledigheid van kennis, des te meer verhief zij zich tot den rang eener zelfstandige wetenschap. Maar die ontwikkeling droeg nog eene andere vrucht. Bij de vorderingen, door de historische taalstudie gemaakt, bleek het meer en meer, dat die studie bestemd was, ook voor de taal zelve weldadig te werken, dat zij, en zij alleen, een veilig rigtsnoer aanbood tot toekomstige verrijking, beschaving en veredeling der taal. Nu verkreeg de wetenschappelijke beoefening nog hoogere waarde, nu zij het beginsel bleek te zijn van praktische volmaking. En nu had tevens, in die beiden vereenigd, de geestdrift voor de moedertaal, die de vrucht was der opgewekte nationaliteit, eene waardige taak, eene schoone roeping gevonden.

Ziedaar, G. T., de verklaring van den bloei der nieuwere taalkunde, in verband tot den tijd waarin zij ontsproot. Wel mogen wij dien bloei als een verblijdend verschijnsel begroeten, wel mogen wij ons verheugen, dat ook ónze taal allengs begint te deelen in den algemeenen vooruitgang. Ook bij ons hebben de gebeurtenissen dezer eeuw het nationale gevoel tot een nieuw leven gewekt, en de liefde tot de moedertaal verhoogd. Ook bij ons is voor de geschiedenis en letteren des vaderlands een levendige ijver ontwaakt, en de hervormende invloed op de studie der taal is niet achtergebleven. Ook bij ons is die studie allengs toegenomen, allengs uitgebreider en grondiger geworden; en meer en meer over elke belemmering zegevierende, streeft de jeugdige wetenschap met frissche krachten eene veelbelovende toekomst te gemoet. Doch hoe gunstig deze omstandigheden des tijds ook mogen wezen, nog zijn de belemmeringen niet alle uit den weg geruimd. Nog heeft de Nederlandsche taalkunde te dikwijls tegen laauwheid en vooroordeel te kampen, nog wordt zij niet overal in hare waarde gekend en begrepen. Niet bij allen staat nog de overtuiging

vast, dat zij eene wetenschap is, die ook wetenschappelijk kan en moet worden behandeld; en zelfs bij velen, die zich aan hare beoefening wijden, ontbreekt het maar al te zeer aan een helder inzigt in haren aard en hare strekking. Dringend noodzakelijk is het, dat hierin worde voorzien, opdat de arbeid werkelijk vruchten drage, opdat niet veler pogingen verspreid en verspild mogen worden, maar die van allen eendragtig zamenstreven naar een zelfde doel. Wat is het, dat de taalkunde onderzoekt? Wat stelt zij zich bij dat onderzoek voor? Hoeverre moet het zich uitstrekken? en hoe moet het ingerigt zijn? ziedaar vragen, wier beantwoording eene levensbehoefte mag heeten, indien de wetenschap met bewustheid hare taak zal kunnen volbrengen. Doch het antwoord op die vragen moge in het hoofd van enkelen tot helderheid zijn gekomen, velen zweeft het slechts nevelachtig voor oogen, en nooit werd het tot hiertoe in geregelden zamenhang uitgesproken. Het was deze bedenking, die mij als van zelf het onderwerp mijner rede scheen aan te wijzen bij de plegtige gelegenheid van dezen dag. Geroepen tot de eervolle taak, om hier, aan de Leidsche hoogeschool, mijne krachten te wijden aan het onderwijs en de bevordering der vaderlandsche taalkunde, meende ik, bij het aanvaarden dezer gewigtige betrekking, geene gepaster stoffe te kunnen kiezen, dan zulk eene opzettelijke ontvouwing van het begrip der wetenschap, die mij is opgedragen. Ik acht mij verpligt, aan Ulieden, in wier midden ik werkzaam zal mogen zijn, rekenschap te geven van de beginselen, die mij zullen geleiden; maar ook gevoel ik mij gedrongen, bij mij zelven het besef te verlevendigen van de dure verpligting, die ik heden op mij neem. Welaan dan, G. T., schenkt mij goedgunstig uw welwillend gehoor, wanneer ik u uitnoodig, met mij *de Nederlandsche taalkunde in aard en strekking te beschouwen.* Ik stel mij voor, de vier vragen, die ik zoo even noemde, te beantwoorden, door achtereenvolgens uwe aandacht te bepalen bij het *voorwerp*, het *doel*, den *omvang* en de *vereischten* van het taalkundig onderzoek. Mogt het mij gelukken, ook in vlugtige trekken, het rijke onderwerp niet onwaardig te behandelen.

De bepaling van het begrip eener wetenschap hangt in de eerste en voornaamste plaats af van de zaak, die het *voorwerp* van haar onderzoek

uitmaakt. Wat nu onderzoekt onze taalkunde? Wat anders dan hetgeen wij gewoon zijn de *moedertaal* te noemen? De moedertaal! Kort en eenvoudig woord, maar rijk en krachtig van beteekenis, en door zijne liefelijke zamenstelling reeds wijzende op al het teedere en innige, dat in het begrip ligt opgesloten. Inderdaad, dat woord is de uitdrukking eener geheele reeks van grootsche gedachten en streelende gewaarwordingen. De menschelijke spraak, ontwikkeld tot het kunstig zamenstel eener beschaafde taal, en de band geworden die ons als volk vereenigt. Welk eene stof tot overpeinzing! Of is niet de spraak de kostbaarste gave, aan ons sterfelijk geslacht verleend, het wonderbare vermogen, dat meer dan iets anders getuigt van 's menschen edelen oorsprong en verhevene bestemming; de spraak, het werktuig, ja — meer nog! — „het zintuig der rede," [1]) evenzeer het middel om al onze geestvermogens tot zelfbewustzijn, tot ontwikkeling en rijpheid te brengen, als de vorm, waarin die vermogens naar buiten werken, om de denkbeelden die ons vervullen, of de aandoeningen die wij gevoelen, in anderen over te storten; de spraak eindelijk, die de steun is der zamenleving, de grondslag der beschaving, het beginsel van de volmaking der menschheid? En met die spraak, reeds zoo merkwaardig als oorspronkelijk vermogen, heeft de menschelijke geest, door aanhoudende vorming en veredeling, een gewrocht tot stand gebragt, dat zijne schoonste schepping mag heeten: de volledige, geregelde taal. De taal, die harmonische eenheid van eindeloos verscheidene klanken, die voor elke gedachte, voor elke gewaarwording, onmiddellijk de juiste, bepaalde, evenredige uitdrukking aanwijst, en de fijnste omtrekken en schakeringen scherp en zuiver wedergeeft; die de verbinding en den zamenhang der denkbeelden, de geheele aaneenschakeling der rede, met keur van vormen en wendingen afbeeldt, ja alles, wat er omgaat in geest of gemoed, als in een helderen spiegel weerkaatst. De taal, dat kostelijke speeltuig, waaraan de hand des meesters bezielde toonen weet te ontlokken, hetzij daarheenrollende in den breeden stroom der welsprekendheid, of op den adem van dichterlijke verrukking zich verheffende tot hooger akkoord.

---

[1]) Van Der Palm, *Verhandelingen, enz.* I. 60.

Doch hoe uitstekend ook de waarde zij, aan het denkbeeld van spraak en taal op zich zelve te hechten, hoe aanlokkend ook de beschouwing van de gansche rij der vroegere en latere talen: nog is de belangstelling, die ons dit alles inboezemt, zwak en koel bij hetgeen wij gevoelen voor die ééne taal, die als een deel is van ons eigen wezen; voor die klanken, van de lippen eener moeder ons toegevloeid, waarin ons gemoed zijne dierbaarste indrukken ontving, en ons innigst zielsgevoel zich lucht geeft, welke snaar daar ook trille, van de stille verzuchting des harten tot de edele aandrift der heiligste geestvervoering. En die taal behoort niet aan ons zelven alleen: neen, zij is het gezamenlijk eigendom van alle onze broeders en stamgenooten, zij is het erfgoed van dat land, dat alle voorwerpen van ons aller liefde met éénen band omvat, van het vaderland. Zij is, met en door den stam waaruit wij geteeld zijn, opgewassen in den grijzen voortijd, en reeds voor eeuwen inheemsch geworden op dezen grond, dien wij bewonen. Zij volgde al de lotgevallen en wisselingen, die de tijd aan onze vaderen aanbragt; beurtelings gerezen en gedaald, deelde zij in hunnen voorspoed en bloei, maar ook in hun teruggang en verval; en van alles wat in den loop der tijden ons volk heeft gedaan en geleden, gedacht en gevoeld, zijn in haar de onuitwischbare sporen afgedrukt. Zij bewaart in haren schoot den gansehen schat der opmerkingen en lessen, door de ondervinding van het voorgeslacht verkregen; zij is de afspiegeling onzer geschiedenis, de uitdrukking van ons vaderlandsch karakter, het merkteeken van ons volksbestaan, band en pand onzer nationaliteit.

Ziedaar, G. T., u vlugtig geschetst, wat het woord *moedertaal* in zich besluit. En zouden wij dan eene zoo kostbare bezitting gedachteloos genieten? Neen, altijd hebben wijsgeerige denkers in de diepzinnige geheimen der spraak een waardig voorwerp hunner beschouwing gevonden; altijd hebben scherpzinnige vernuften zich toegewijd aan het onderzoek en de vergelijking der talen; en voor de beoefening der eigene taal, wij zagen het, is overal een hoogere ijver ontstaan. Ook bij ons heeft de moedertaal aanspraak op grondige nasporing en zorgvuldige bearbeiding, al ware het alleen, ómdat zij onze moedertaal is. Doch hoeveel te meer mag zij die aanspraak doen gelden, omdat zij door innerlijk gehalte haren beoefenaar een overvloedig loon verzekert, en hare voortreffelijke eigenschappen te

Nog een woord tot U, edele Jongelingen, kweekelingen dezer hoogeschool! Voorzeker, het is eene schoone taak, voor U te mogen optreden, om mede U te geleiden op den weg der wetenschap. Maar dubbel schoon is die taak, waar het eene wetenschap geldt, die aan de heiligste belangen van het vaderland zoo naauw is verbonden. O! mogt ik er in slagen, het vuur, dat in mij blaakt, in uwe borst over te storten, U te doen ontgloeijen in liefde voor de dierbare moedertaal, voor de letteren en geschiedenis van ons doorluchtig voorgeslacht! Mogt ik er in slagen, uwe geestdrift ten goede te rigten, uwen ijver te bezielen tot vlijtige inspanning, maar bovenal U het pad te wijzen, dat leidt tot degelijke kennis; want zij alleen is het, die den ijver en de geestdrift kan vormen tot eene zedelijke kracht. Maar behoef ik nog te twijfelen aan uwe gezindheid, om met mij die leuze te volgen? Staat niet in het gedenkboek dezer hoogeschool schier op elke bladzijde gegrift, hoe steeds hare kweekelingen in liefde tot het vaderland een roemrijk voorbeeld hebben gegeven? Heeft niet de klagt, die zoo menigmaal werd aangeheven over de verwaarloozing onzer moedertaal, weerklank bij Ulieden gevonden, en U elke poging doen toejuichen, die strekken kon om haar te herstellen in haar onvervreemdbaar regt? Maar die klagt zelve was het bewijs van herleefde belangstelling, de onmiskenbare uiting van den vooruitgang der wetenschap, dien mijne rede U aanwees. Welaan dan, slaat moedig de handen aan den arbeid, om tot dien vooruitgang mede te werken, zooveel in uw vermogen is. Zal onze wetenschap werkelijk de plaats innemen, waarop zij aanspraak heeft, en geheel hare bestemming vervullen, dan moet haar leven en krachtige bloei uitgaan van onze hoogescholen, van ons jeugdig geslacht, dat de hope der toekomst in zich draagt. En in dien edelen wed-

ijver mag vooral ons Leiden niet achterblijven, Leiden, dat op zoovele herinneringen boogt, zoo dierbaar aan het nationale gevoel, Leiden, dat in de klassieke en oostersche letteren een onvergankelijken roem heeft verworven, en des te meer aan de vaderlandsche wetenschap dure verpligtingen heeft. Jongelingen! waardeert uwe roeping, gevoelt wat gij aan het vaderland schuldig zijt! Wat mij betreft, ik ken geen hooger genoegen dan met U te streven naar dit edel doel; en wel mag ik er trotsch op zijn, dat mij daartoe het regt is gegeven. Met vertrouwen aanvaard ik mijn werk in uw midden, en ik durf het verwachten, dat eerlang tusschen U en mij die vriendschapsband zal worden aangeknoopt, die alleen den goeden uitslag van ons gemeenschappelijk pogen kan waarborgen. Als ik herdenk aan de jaren, die ik daar ginds met uwe broeders heb doorgebragt, aan de gevoelens, die hen en mij verbonden, en, nog voor weinige dagen, ons afscheid vergezelden, dan gevoel ik dubbel de waarde van zulk eene schoone betrekking. Maar het is mij, als zag ik reeds de voorteekenen, dat ik in denzelfden vertrouwelijken omgang mij ook met U zal mogen verheugen. Zie ik niet in enkelen Uwer diegenen weder, die ik reeds in Gruno's veste onder mijne vrienden mogt tellen? Zie ik niet velen onder U, die, in jeugdiger leeftijd, een gelijke band aan mij heehtte, toen, in deze zelfde stad, een andere werkkring mij het voorregt schonk, mede hen voor te bereiden tot de loopbaan, die zij thans aan deze hoogeschool betreden? Gij, mijne vrienden, ontvangt mijnen groet! Sluiten wij op nieuw ons aaneen, om thans, op hooger standpunt, onzen vroegeren arbeid te vervolgen. En gij allen, burgers dezer hoogeschool! vereenigt U met ons in eendragtigen ijver, tot ernstige behartiging der wetenschap, tot handhaving van de regten der moedertaal, tot bevordering van het welzijn des vaderlands!

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1853.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

T. G. J. Juynboll Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis Exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... horâ VIII,
et die Jovis, ... I.

Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. Roorda, Winero, Uhlemanno), diebus Jovis, Veneris et Saturni, ... VIII.

Cum provectioribus discipulis legere pergct Al-Bayāno'l-Mogrib, ex ed. Cl. Dozyi, die Martis, ... II,
et Hamāsae Carmina cum Tibrizīi Commentario, die Veneris, XII—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhāwiani, die Jovis, V—VII.
Chrestomathiam Syriacam a Bernsteinio editam, die Jovis, II.

M. Siegenbeek, provectae aetatis causâ rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake interpretabitur Ciceronis *Libros de Oratore*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.

Platonis aliquot *Dialogos*, initio facto a *Protagora*, iisdem diebus, ... X.

Ex *Antiquitatibus Atticis* selecta capita tractabit, die Lunae, I—II.
Scholas paedagogicas habebit, die Mercurii, ... I—II.

A. Rutgers, Jesajae *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interprctabitur, diebus Lunae et Martis, ... horâ IX,
et die Mercurii, ... VIII.
Priorem Regum Librum cursoriâ lectione tractare perget, die Martis, ... I,
et die Jovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanskritam docebit et Mahabharatam explicare perget, diebus Lunae et Mercurii, ... I—II.
J. H. Stuffken, Logicam tradet, diebus Jovis et Saturni, . . . IX,
et die Veneris, ... XI.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Ethicam explicabit, diebus Lunae et Jovis, ... XII.
Paedagogicam exponet, diebus et horis auditoribus commodis.
C. G. Cobet, Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Historiam veterem provectiores docebit, diebus Lunae et Mercurii, ... I.
Locos selectos ex Scriptoribus Graecis et Latinis Antiquitatem Romanam illustrantes interprctabitur, die Jovis, ... XII.
Scholas paedagogicas habebit, diebus Martis et Jovis, . . . II.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris, . I.
Initia Palaeographiae Graecae Candidatis Literarum explicabit, diebus Veneris et Saturni, ... IX—XI.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis, ... XI.
R. P. A. Dozy, Prof. Extraord., Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Locos historicos difficiliores et varia Historiae Literariae capita tractabit, diebus Jovis et Veneris, ... XII.
**** Scholae Literarum Belgicarum et Historiae Patriae indicabuntur, simulatque Cathedrae vacanti prospectum erit.

FACULTAS MEDICA.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... horâ I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio academico, quotidie, ... XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis, ... I.
G.C.B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Mart. et Jov. et die Saturni, ... XII, IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ... IX.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Jovis, ... IX.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis, ... X.
F. W. Krieger Theoriam Disciplinae chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, . . . XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ... XII—III.
Operationes chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam, demonstrabit, horis deinde indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, . . . X—XII.
Medicinam forensem, diebus Lunae et Jovis, ... I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris, . . IX.
A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam Artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni, ... VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit quotidie, ... IX.
Doctrinam operationum tradet, et operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitiâ, tum in cadavere instituendis, praeërit, die Mercurii, ... I.

Gynaecologiae et gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Lunae, ... horâ II.
Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, modcrabitur.
H. Halbertsma, Just. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ... X.
Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus, ... IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . XI—III.
F. W. Krieger et H. Halbertsma disputandi exercitiis publicis praeërunt, die Martis, ... II.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. Tydeman, Emeritatum nactus et cessans a praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.
C. J. van Assen interpretabitur Digestorum locos selectos, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
Justiniani Institutionum Libros IV cum Theophili paraphrasi, diebus Lunae et Mercurii, ... XII,
et die Veneris, ... XI.
Jus Civile Hodiernum, secundum compendium a se editum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Legem Judiciorum privatorum corumque historiam, et rem judiciariam privatam, die Jovis, ... X—XII,
et die Veneris cum exercitationibus forensibus, ... X.
Gaji Institutionum et Auctorum classicorum selectos locos, ad Jus Romanum pertinentes, horis constituendis.
H. Cock tradet Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii, et Jovis, ... IX.
Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, X.
Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.

Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... horâ XII.

J. DE WAL explicabit Encyclopaediam et Methodologiam Juris, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.

Historiam Juris Romani enarrabit, iisdem diebus, ... X.

Jus Mercatorium exponet, die Jovis, ... XII,

et die Veneris, ... IX—XII.

Historiam Juris in Patriâ nostrâ, inde ab Unione Rhenotrajectinâ, tradet diebus Lunae, Martis et Jovis, ... V.

S. VISSERING Statisticam patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... I.

Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... II.

Oeconomiam politicam, die Jovis et die Veneris, ... I—II.

Locos selectos ex Oeconomiâ politicâ et Statisticâ tractabit, die Veneris, ... IX.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, provectae aetatis causâ rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.

Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris, VI.

N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit imprimis antiquam, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

Christianae Morum Disciplinae partem exponet practicam et asceticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.

Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris, ... XII.

Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis, ... XI.

Orationibus Sacris praeërit, die Martis, ... II.

J. H. SCHOLTEN Dogmaticam Christianam tradet, diebus Lunae et Veneris, ... X,

et diebus Martis et Jovis, ... XI.

Theologiae naturalis, sive Philosophiae de Deo, historiam enarrabit, diebus Jovis et Veneris, ... horâ I.
Librorum N. F. historiam tradet, diebus Lunae et Martis, I.
Orationibus Sacris praecërit, die Mercurii, ... II.
A. NIERMEYER LUCAE librum, *Acta Apostolorum* inscriptum, interpretabitur, diebus Martis et Jovis, ... VIII,
et die Mercurii, ... IX.
Theologiam practicam tradet, diebus Jovis et Veneris, . . . IX.
Orationibus Sacris praecërit, die Jovis, ... II.
A. KUENEN, Prof. Extraord., Hermencuticam librorum N. F. tradet, die Lunae, ... VIII,
et die Jovis, ... X.
Librorum V. F. historiam enarrabit, die Mercurii, ... I,
et die Veneris, ... VIII.
*** Publice disputandi Exercitationibus praecërunt, die Veneris, ... II,
N. C. KIST, J. H. SCHOLTEN, A. NIERMEYER et A. KUENEN.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.
J. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ... XI.
Mineralogiae et Geologiae elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... II.
Anthropologiam sive Historiam naturalem Hominis docebit, diebus Martis et Jovis, ... I.
A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus, XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis, . . . horâ XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum Studiosis provectioribus de Physiologiâ chymicâ colloquetur, die Veneris, horâ vespertinâ, ... V—VIII.

G. J. Verdam Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis, ... X,
et die Veneris, ... IX—X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Jovis et Veneris, ... VIII.
Arithmeticam universalem, sive Algebram, tradet, diebus Martis et Mercurii, ... VIII,
et die Jovis, ... IX.
Geometriam analyticam, Calculum differentialem, et Mechanicam tractabit, diebus et horis, postea indicandis.
Scholas paedagogicas habebit, die Lunae, horâ commodâ.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.
Astronomiam practicam iisdem diebus, ... X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet, diebus Lunae et Jovis, horâ vespertinâ, ... V.
Post ferias paschales autem horâ quâdam matutinâ, Auditoribus commodâ.
Theoriam motus corporum coelestium, et disquisitiones selectas de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis commentabitur.
Singulos suos Auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore, singulis diebus, ... II.
Plantarum indigenarum et medicâ virtute praeditarum historiam illustrabit, verno et aestivo tempore, diebus iisdem, VII.
Physiologiam plantarum exponet, dieb. Lun., Mart., Merc. et Jov. II.

Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus, . . horâ I.
Excursionibus botanicis praecërit, die Saturni, aptâ tempestate.
Historiam plantarum, medicâ virtute praeditarum, et pharmacognosin regni vegetabilis et animalis, duce Pharmacopoeâ Neerlandicâ, futuris Pharmaceutis tradet, horis commodis.

P. L. Rijke, Prof. extraord., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ... XII.
De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.
Physicam mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris, VIII.

P. O. van der Chijs, titulo Professoris Extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, quae Auditoribus convenient.

J. A. Boogaard, M. Doct., Prosector, Anatomiam pathologicam tradet, die Veneris, ... II—IV.
Anatomiam generalem exponet, et aptum Microscopii in eâ colendâ usum indicabit, die Jovis, ... II—IV.

C. A. X. G. F. Sicherer, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum Germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia poëseos genera explicet Auditoribus.
Si qui sint, qui, Linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiunt, his quoque lubentissime vacabit.

C. G. Lokkers, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

D. VIII MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLIV

INDICTI.

Ex Regis, Augustissimi GUILIELMI III liberalitate et munificentiâ, Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae omnes Academiarum hujus Regni Cives et Athenaeorum Alumnos in proximum annum ad Certamen Literarium invitant et evocant, propositasque a singulis Ordinibus academicis sequentes quaestiones jubent promulgari.

ORDO PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM

hasce proponit quaestiones:

I.

Exponatur de L. *et* T. Munatiorum Plancorum *vitâ et rebus gestis, tum ex Tullianis Epistolis, tum aliunde.*

II.

Locus Psychologiae de libertate explicetur ita, ut diversae hac de re Philosophorum sententiae enumerentur et ponderentur.

Ad hanc quaestionem explicandam licebit patrio sermone uti.

In utriusque argumenti expositione postulatur sermo purus, dilucidus et elegans.

ORDO MEDICORUM

sequentem proponit quaestionem:

Quaeritur in tuberculorum genesin et evolutionem quam exerceant vim motus corporis, tum univcrsi, ut in locomotione, quae vocatur, in perficiendis laboribus, in excrcitatione gymnasticâ, tum particulares, ut in loquelâ, in cantu aliâve laterum intentione? Quid in solvendâ quaestione effici potcst ex morbi tuberculosi frequentiâ pro vario, quibus victus paratur, opificiorum genere, tum etiam ex calculo phthisicorum in monasteriis, ergastulis, carceribus, aliisquc locis, motum corporis in aëre pleno, ut dicunt, impedientibus?

Ad quam quaestionem tam latine quam patrio sermone respondere licebit.

ORDO JURECONSULTORUM

quaestiones proponit sequentes:

I.

Instituti, quo summae Reipublicae Administri procurationis suae rationes reddere tenentur, natura, origo, progressus, commoda et incommoda exponantur.

II.

Instituatur comparatio Juris Neêrlandici et Anglici de societatibus mercatoriis.

ORDO THEOLOGORUM

hanc proponit quaestionem:

Exponantur doctrinae moralis in humano genere initia, ejus per principiorum moralium quae dicuntur inventionem variamque definitionem progressus, atque ad haec principia ulterius explicanda Religionis Christianae vis et auctoritas.

ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

has proponit quaestiones:

I.

In stellas variabiles, quotquot solâ oculorum acie et per temporis indicti spatium conspici possunt, Argelandro *duce* (*Astronomisches Jahrbuch, für das Jahr* 1844, *herausgegeben von* H. C. Schumacher), *novis observationibus inquiratur.*

II.

Algarum Nederlandiae historia, etsi haud parum exculta, eo tamen progressa nondum esse videtur, ut eam, si plures ejusdem partes et geographicas stationes spectemus, perfectam et absolutam habeamus. Quo igitur melius cognoscantur nostrae Algae, Ordo requirit, ut Algae, quae inhabitant munimenta maritima, rivulos fluentes, lacuum aquas, canales fossos, stagnaque turfosa, ea maxime quae nondum pervestigata sunt, explorentur, earumdemque genera et species, sive jam cognitae sive nondum inventae, enumerentur, novarum, si quae sint, natura exponatur, formae describantur et figuris illustrentur, harumque specimina, secundum artis regulas parata, Ordini tradantur.

Commentationes, latinâ oratione conficiendae, nisi in casibus singularibus aliter fuerit constitutum, aliâque quam Auctorum manu describendae, ante diem 1 m. Novembris hujus anni mittantur ad Virum Clarissimum T. G. J. Juynboll, Senatûs Academici acta curantem. Singulae lemmate inscribuntor adjunguntorque schedulae obsignatae, Auctorum nomina et praenomina integris literis continentes, eodemque extrinsecus lemmate distinctae.

Ordinum de acceptis Commentationibus Judicia pronuntiabuntur optimarumque responsionum Auctoribus, examine ante instituto, praemia tribuentur ipso die Academiae natali VIII m. Febr. a. MDCCCLV.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1853.

E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LIT. HUM.	E FACULTATE MEDICÂ.	E FACULTATE JURIDICÂ.	E FACULTATE THEOLOGICÂ.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	TOTUS NUMERUS.
29	89	216	134	19	487.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hîc examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in Facultate	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .		12
//	//	Medicâ	45
//	//	Juridicâ	54
//	//	Theologicâ	45
			156.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE 9 FEBRUARII 1853 AD 8 DIEM FEBRUARII 1854.

Die 26 Februarii. MAURITIUS JACOBUS VAN LENNEP, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Diario nautico*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 14 Martii. PETRUS BERNARDUS VAN HYFTE, e pago Sancti Laurentii Flandrensis, Med. et Artis Obstr. Doct., defensis Thesibus chirurgici argumenti, Artis Chir. Doct.

D. 19 Martii. JOH. ZACHARIAS HERMAN, e Promontorio Bonae Spei, Med. Doct., defensis Thesibus argumenti obstetricii, Artis obstetriciae Doct.

Eodem die. JOH. ZACHARIAS HERMAN, Med. et Art. Obst. Doct., defensis Thesibus, Chirurgiae Doct.

Eodem die. JACOBUS CHRISTIANUS JOHANNES VAN DER SCHALK, Schiedamensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 4 Aprilis. EDUARDUS VAN DEN BOSCH, Haganus, Jur. Rom. Doct., defensis Thesibus, Jur. Hod. Doct.

D. 6 Maji. JACOBUS CORNELIUS RASCH, Haganus, defenso Specimine *ad articulos* 152 *et* 153 *Codicis de re Judiciariâ in causis civilibus*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 7 Maji. JANUS BREUNISSEN TROOST, e pago Drunen in Prov. Brabantiae septentrionalis, *publice* defensâ Dissertatione *de Discipulo, quem in quarto Euangelio dilexisse Jesus dicitur*, Theologiae Doctor, *magnâ cum laude.*

D. 12 Maji. FRANCISCUS VICTOR HUBERTUS MERTZ, e pago Horst, Limburgensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 4 Junii. Jacobus Diedericus Adelbertus Schutter, Dordracenus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 7 Junii. Petrus Roverius van Mierlo, Bredanus, Med. et Art. Obst. Doct., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

D. 10 Junii. Henricus Enschedé, Harlemensis, defensâ Dissertatione *de iis Magistratibus, qui publice constituti sunt Depositarii*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Nicolaus Meursinge, Leovardiensis, Med. Doct., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

D. 13 Junii. Eliza Laurillard, Roterodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de locis Euangelii Johannis, in quibus ipse Auctor verba Jesu interpretatus est*, Theologiae Doct., *magnâ cum laude.*

D. 14 Junii. Johannes Josephus Henricus Matthaeus Weve, Haganus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct.

D. 18 Junii. Thomas Annas Klinkhamer, Antverpiensis, defensâ *publice* Dissertatione *de negotiis simulatis*, Jur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 20 Junii. Carolus Josephus van Nispen tot Pannerden, e pago Zevenaar Gelrus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *magnâ cum laude.*

Eodem die. Jacobus Matthias Boom, Tholensis, defensâ Dissertatione, continente *casum morbi rheumatici acuti, qui in pyaemiam transiit*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 21 Junii. Franciscus Christianus Reinhardus Benfort, e pago Soeterwoude Hollandus, defensâ Dissertatione *de aquâ potabili*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 25 Junii. Jacobus Guilielmus van de Laar, Haganus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Janus van Gennep, Roterodamensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 27 Junii. Janus Minnema Buma, Leovardiensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *magnâ cum laude.*

Eodem die. Jacobus Henricus Guilielmus Kool, Haganus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 29 Junii. AGE VAN HETTINGA TROMP, Lekkuma-Frisius, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. CAROLUS EUGENIUS PASCHALIS JOSEPHUS STRENS, Leodiensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 29 Junii. CAROLUS HUBERTUS HENRICUS GISBERTUS LEURS, Buremundensis, defensâ Dissertatione, continente *casum carciomatis ventriculi, observatum in Clinico* Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN, *cum epicrisi*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 30 Junii. JACOBUS MARIUS PIEPERS, Bruxellensis, defensâ Dissertatione, continente *observationes nonnullas e Clinico* Cl. SIMON THOMAS, Med. Doct., *cum laude.*

Eodem die. HENRICUS CORNELIUS KIPS, Haganus, defensâ Dissertatione, continente *observationes quasdam e Clinico* Cl. KRIEGER, Med. Doct., *magnâ cum laude.*

Eodem die. HENRICUS VAN AKEN, Gorinchemensis, defensâ Dissertatione *de assecuratione contra incendium*, Jur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Julii. BERNARDUS LAVINUS VAN TIENEN, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione, sistente *quaedam de magnetismo, ut vocatur, animali*, Med. Doctor.

Eodem die. LAMBERTUS JOHANNES SANDERS VAN LOO, Amstelodamensis, defensâ *publice* Dissertatione, continente *observationem vitii cordis organici*, Med. Doct. *cum laude.*

D. 24 Sept. ANTONIUS CORNELIUS OUDEMANS Junior, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Manganii pondere chymico*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doct., *magnâ cum laude.*

D. 1 Oct. FRANCISCUS RIENDERHOFF, Enchusanus, Med. et Art. Obst. Doct., defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor.

D. 5 Oct. JANUS JACOBUS SCHNEITHER, Roterodamensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 25 Oct. FRANCISCUS JACOBUS TYNDALL, Surinamensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 19 Novemb. FREDERICUS EDUARDUS THEODORUS DITTLINGER, Antverpiensis, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 14 Decemb. Didericus Henricus Ort, Chirurgus Zutphaniensis, *publice* defensâ Dissertatione, continente *casum gastrotomiae cum epicrisi*, Med. Doct. *cum laude.*

D. 19 Decemb. Johannes Bernardus Noordendorp, Haganus, defensâ Dissertatione *ad titulum VI^um^ Libri I^i^ Cod. civ. Necrl.*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 20 Decemb. Leonardus Henricus van Bochove, e pago Nicuwerkerk aan den IJssel, Med. Doct., defensis Thesibus, Artis Obst. Doctor.

D. 21 Decemb. Eduardus Arnoldus Gerbrandus van den Bogaert, Sylva-Ducensis, *publice* defensâ Dissertatione, continente *observationes nonnullas e Clinico* Cl. Pruys van der Hoeven, Med. Doct., *cum laude.*

D. 22 Decemb. Alfredus Ludovicus Augustus Gevers, Haganus, defensis Thesibus, Jur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 16 Jan. 1854. Felix Theodorus Westerwoudt, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de Matre, Patri superstite, Liberorum curam recusante*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Eduardus Nicolaus Rahusen, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de jure retentionis*, Jur. Rom. et Hod. Doctor, *magnâ cum laude.*

D. 30 Jan. Johannes Reynvaan, Antverpiensis, defenso Specimine *de tributo haereditario*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 6 Febr. Guilielmus Eduardus van den Hout, Amstelodamensis, *publice* defensâ Dissertatione *de natura tributorum*, Jur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A. FERIIS AESTIVIS MDCCCLIII,
USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI MDCCCLIV,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY (Extraord.).
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraord.).

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER (Extraord.).
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. C. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER (Extraord.).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, Corn. Jan. Fil.
F. C. DONDERS (Extraord.).
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraord.).

LECTORES

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

G. J. MULDER

ORATIO

QUAM HABUIT

DIE XXVIII M. MARTII A. MDCCCLIV,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

QUI IN HAC URBE AUT JURI DICUNDO AUT CIVITATIS COMMODIS CURANDIS PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI, GRAVISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

CHEMIAE LECTOR, VIR DOCTISSIME!

VERBI DIVINI INTERPRETES, VIRI MAGNOPERE VENERANDI!

QUARUMCUMQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

CIVES HUJUS ACADEMIAE, QUI COLENDIS BONARUM ARTIUM ATQUE HUMANITATIS STUDIIS AD DOCTRINAE LAUDEM CONTENDITIS, COMMILITONES AMICISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS, DIGNITATIS, HUC CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Rectori Magnifico, priusquam provinciam successori tradat, e decreto Regio mandatum est, ut de Academiae statu referat, quaeque per magistratûs sui annum laeta vel tristia ei obtigerint fata, commemoret.

Ad hoc officium eo lubentius equidem aggredior, quum reputem Academiam, cujus natales hodie celebramus, esse *Universitatem scientiarum*, seminarium artium liberalium, ita ordinatum, ut, si quid in eo sit mancum vel imperfectum, hae velut maculae effulgentis splendore lucis facile obruantur.

Haec est causa, cur Universitatem longe anteponendam arbitramur specialibus artis doctrinaeve alicujus scholis, quippe quae, angustis circumscriptae finibus, numquam pleniores illas discendi copias offerre queant, quas liberalis artium cultus et altior eruditio postulant.

Neerlandia gloriatur Universitatibus suis, quas si quis audaci manu abolere conaretur, nae illum justa bonorum omnium indignatio insequeretur. Atque utinam hoc universis civibus esset persuasum, instituta haec omnium existimatione et amore digna esse; ea, si recte ordinata sint, firmissima esse publicae salutis ac prosperitatis fundamenta.

Nostris temporibus, quibus tam multi elaborant ut vetera evertant, nova moliantur, Universitates tamen adhuc intactae permanserunt. Estne cur hac de re laetemur? Id equidem valde dubito; non quod vetera destruenda putem; non quod optem haec reipublicae praesidia tumultuantis multitudinis impetu vel ambitiosorum demagogorum consiliis everti, eorumque in locum popularium hominum arbitrio nova velut aedificia construi. Immo vero, agitato motibus populo, ne optima quidem in civitate novari ac refingi optandum censeo.

Sed propterea non laetor, quod intactus ille Academiarum status arguit, his nostris temporibus in alia potius quam in altioris doctrinae commoda hominum mentes esse intentas, alia magis cordi esse hominibus quam haec liberalium artium instituta, quibus bene ordinata civitas nititur. Universitates ab iis, qui foris sunt, parum curantur; intactae quidem et quietae manent, an vero praesentium rerum temporumque conditioni accommodatae sint, parum quaeritur.

Qui eas frequentant studiosi, plerique id agunt ut artem doctrinamve aliquam addiscant, qua honorem vel victum sibi aliquando parent; qui vero limpidis scientiae fontibus sitim explere cupiant, pauci numerantur.

Non est profecto quod nostrae aetati, quae humanitatis cultu et eruditionis laude tantopere gloriatur, hac de re gratulemur. Sed quum semel res ita sit, et frustra nitatur qui fluminis cursum inhibere aut reflectere velit, meliora vota in sequentia tempora reservemus.

Vos autem, Viri Amplissimi! non potestis non dulci gaudio affici, quoties animadvertitis, Universitatem vestrae curae commendatam, quae ex lege secundum in patria nostra tenet locum, splendore et ubertate primae haud

cedere. Laeti certe exceperitis verba nuper in frequenti curiae conventu edita, aemulationem testantia, non vulgarem et sordidam, sed honestam et ad optima quaeque stimulantem. Quae quidem audientibus persuasum vobis esse debuit, Academiam, quam talis aemulatio prosequitur, prospero statu gaudere.

Et sane viget illa atque floret, eumque florem praecipue debet vobis, Viri Amplissimi, qui eam cura fovetis et amore amplectimini, qui pro praesentibus ejus commodis vigilatis et in posterum optima ei speratis.

Vobis objici nequit, quod non omnes disciplinas, quae in Universitate tractantur, aequa existimatione dignemini; immo vero curam vestram aequabiliter impenditis in omnes doctrinae partes, quae ad altiorem institutionem pertinent. Si tamen sint qui putent, naturales disciplinas prae ceteris vobis cordi esse vestroque patrocinio gaudere, injusta haec opinio est. Sane quidem hae disciplinae ejusmodi sunt, quae sine multipici apparatu et supellectile recte coli et explicari nequeant, ideoque, quantum copiae vestrae suppetunt, necessariis earum usibus large subvenitis; attamen non ideo ceteras disciplinas minore studio fovetis, sed in omnes pariter curam vestram dividentes, cavetis, ne alterius luce altera obruatur utque cunctarum ordo et concentus servetur.

Accipite ex me, Viri Amplissimi! testificationem grati animi, quo doctores aeque ac discipuli assidue Vos prosequuntur! Pergite Trajectinae Universitati favere sicut facitis! Pergite nobis adesse sincera illa benevolentia, immo libere dicam, ea amicitia, quae cunctos nos mutuo vinculo jungit, impellitque ut, Vestris auspiciis, omnibus viribus elaboremus ad tuendam patriae et religionis salutem et incolumitatem.

Sentio equidem, Viri Amplissimi! quantus sit Vester, qui hic adestis, dolor, quod in solemni hoc conventu desideratur venerabilis senex, collegii vestri decus, qui per multorum annorum spatium hanc Academiam, cujus commodis toto animo inserviebat, cura sua tutatus est. Neque minore profecto desiderio quam vos Collegam, nos Maecenatem lugemus.

Laetandum quidem nobis et gratia Deo habenda est, quod Nobilissimus A. Lunenburg eum attigerit aetatis terminum, quem paucis attingere licet; sed amor non numerat praeteritos dies et annos, neque virtus certis aetatis

terminis est adstricta. Comitas, benignitas, amor, gratia, beneficentia, liberalitas non senescunt annis, sed perpetuo vigent atque veris instar novo semper flore revirescunt. Quis autem illo affabilior, benignior, humanior, quis officiosior, liberalior, beneficentior illo, qui Academiam et Civitatem mutuo quasi vinculo copulabat; quem juvenes senes, divites pauperes, docti indocti acque colebant et amabant, omnes tanquam patrem salutabant. In memoria habetis vespertinos illos coetus, lautos et opiparos, ad quos domum suam vocare solebat omnes, qui, si non vitae consuetudine, at studiorum consensione essent juncti; omnes quos rerum sacrarum et civilium, artium et doctrinarum cultus aliquo necessitudinis vinculo consociaret.

Est hoc amoris proprium, quod mentes conjungit et societatem condit tacito animorum consensu conciliatam. Illustrissimi senis exemplum nos docet, benevolentiam et comitatem civilis vitae esse vinculum et ornamentum. Repraesentemus modo nobis viri imaginem: placidum illum vultum, os affabile, oculos candoris plenos: quis hanc intuens non commotum se sentiat ut illius bonitatem vita et moribus imitetur?

Quidquid autem futurum est, Lunenburgii memoria numquam oblivione exolescet, ejusque exemplum fructuosum erit huic Academiae, quamdiu ullus ex hoc coetu erit superstes, qui Viri merita suspexerit et virtutem amarit. Ita autem venerandi senis memoriam optime colemus, si, quae ille cupiebat et optabat, nos eodem studio sequamur et expetamus. Requiescat sicut vixit, sitque illi terra levis!

Nuperrime decreto Regio vir consultissimus Ab Hoytema designatus est ad vacuam defuncti sedem occupandam.

Superiore anno civitati nostrae contigit honore et gaudio frui, quorum recordatio recens adhuc omnium mentibus inhaeret. Semper Neerlandiae cives beatos se praedicarunt, quoties adspicere et salutare liceret Principem, ortum ex ea domo, cujus salus cum patriae incolumitate arctissime cohaeret; ex ea familia, quae populi libertatem, sacram et civilem, sanguine suo fundavit. Quantus hominum concursus, quantae acclamationes, quanta pompa esse solet, quoties Arausiacum Principem excipiant, urbes et oppida visitantem ea comitate, qua parens natos, immo potius frater

fratres amplectitur. Quanta omnium laetitia et exsultatio, quum plateae tricoloribus velis opertae, Io! clamore resonent, et nocturna lumina tenebras fugent omnemque caliginem dispellant.

Jam Rex adest inspecturus florentem nostram urbem, inspecturus Academiam, omnibusque civibus sui conveniendi copiam facturus.

Mutata urbis facies: plateae in viridaria conversae; Nympharum habitationem te videre crederes, arcubus et picturis ornatam, sertis, coronis, lintcis undique cinctam. Festa et laeta omnia, hilaris omnium vultus, unus omnium sensus, una voluntas: amor erga Regem et Patriam.

Felicem jure praedicemus civitatem, quae sic Principi suo congratulatur; felicem populum, qui, anteactarum rerum memor, beneficia a majoribus accepta etiam in posteris colit et amorem fidemque, quibus semel adstrictus est, constanter servat.

Proximum post Regis adventum dies Almae Matri erat dicatus. Rex, peractis negotiis publicis, quibus horas matutinas quotidie impertiri solitus est, in magnum Auditorium se contulit, ubi Academica juventus praestolabatur, Augustum Principem salutatura.

Videre adhuc nobis videmur Ipsum hic stantem, circumdatum coetu intimorum familiarium, magistratuum provinciae et urbis, Academiae curatorum; ab hoc latere professores; hic viri honorati; illic juventus, spes patriae, amor parentum, Almae Matris cura; supra corona matronarum et virginum, gaudio nostro interesse cupientium.

O felix et nunquam obliviscenda hora, quum Regem adspiceremus stantem exadversus florem juventutis, Principem, patrio in liberos animo, exadversus parentum delicias, spem patriae, nostram curam.

Quidni equidem fatear, Auditores! me tum eo loco pro vobis verba facientem ita fuisse commotum atque perculsum, ut vix possem recto talo consistere. Commovebat me scilicet et personae majestas et officii solemnitas et vero animi sollicitudo, ne imposito mihi muneri non ita satisfacerem, ut rei dignitas postulabat.

Atrium auditoribus refertum, altum silentium, intenta omnium ora, ita ut ipse Regis vultus tacitam animi commotionem proderet. Pauca oratori verba, sed candido e pectore edita, sufficiebant ad fidem, qua cuncti, senes et juvenes, Regi se adstrictos sentiebant, testificandam;

unanimi sensu juravimus omnes, pro Patria et Rege devovere nos paratos esse.

Mox parietes resonant laeto juvenum cantu: "salve Princeps, iterum salve!" Ad quem cantum quis tam durus, tam ferreus fuit, quin intimo pectore commoveretur, quin omnibus membris atque artubus contremisceret? Cantui coronam imponit festa acclamatio: Io, Rex! vivat, Io! Exinde iterum silentium.

Rex commotus animo, ut vix lacrymas teneret, procedit, coetum compellat, et candido ore pro vestra omnium et singulorum salute optima vota fundit.

Nunc effusi omnium animi, nullus clamoribus et plausibus modus; parietes resonant vocibus gratulantium, dum Rex sacrarium hocce relinquit, cujus amorem nulla dies ex ejus animo evellet. Nulla dies extinguet memoriam ejus horae, qua Rex promisit, semper sibi tam hujus Academiae decus quam artium doctrinarumque cultum cordi futura.

Accipite, optimi juvenes! eximii testificationem favoris, quo Rex vestri erga se studii et observantiae pignora accepit. Memoria solennis illius horae et tam vestra quam totius civitatis congratulatio semper inhaerebunt in animo Augusti Principis, cui candor et fides ante omnia cara sunt. Pia semper mente talem Regem colamus, pias fundamus preces pro ipsius incolumitate, et quae tum fecistis vota, ea nunc hacce hora instaurate, mecum intimo ex animo clamantes: Vivat Rex!

Vivat sane et valeat longum in aevum ille, qui verbis et factis testatus est, salutem populi, litterarum et artium florem, omnia denique, quae publicam prosperitatem augeant, praecipuam esse cogitationum suarum curam.

Respicite modo, quae nuperrime Princeps decrevit, consilio usus virorum, qui gratia et odio liberi, nec novarum rerum studio abripiuntur, nec suae sapientiae opinione elati ceteros omnes tanquam imperitum vulgus despiciunt.

Nonne collegae nostri, Viri Clarissimi Dondersius, Goudoeverus Junior, Opzoomerus, Geerius, debitis laborum suorum praemiis sunt ornati? Nonne docentium numerum Gunningio Lectore auctus est? Et quis am-

plius loquitur de abolenda Academia, quo tamquam infausto omine omnes nostri conatus et curae pro doctrinarum flore et pro patriae commodis augendis impediebantur?

Sublatus est Damoclis gladius, qui faucibus nostris imminebat. Verum ne ideo dormitemus! Vigilemus, ne forte oscitantes opprimamur. Propugnemus tanquam pro aris et focis, pro iis quae nobis cara sunt!

Cara nobis est Academia, non propter lucrum et quaestum, quae undecumque parari possunt; non ob ventrem et guttur, quibus nemo bonus ducitur. Academia nobis est domus nostra. Pro hac sicut pro aris et focis pugnamus; hanc si quis tangere audeat, sive id faciat gloria ductus et ambitione, ut novae reipublicae conditor praedicetur, sive, quod gravius, superbia, ut vi opprimat quicumque non ad nutum suum se accommodent, uni quippe servientes rationi et honestati; tum arma accingimus et forti animo obsistimus hosti, persuasum nobis habentes, non penes audaciam et fraudem, sed penes virtutem et consilium esse victoriam.

Qui pro tribus Academiis unam institui velint, his equidem respondeo, ad doctrinas addiscendas unam fortasse sufficere, sed ad juventutem formandam plures esse necessarias. In hoc positum est omne sententiarum discrimen. Qui nudam sectantur rerum scientiam, qua alios redarguere, suam causam tueri ipsique regnare valeant, hi doctrinarum scholas laudant et extollunt; qui vero existimant omnem hominis vitam institutione regendam et excolendam esse, hi Academias esse volunt vitae scholas, quibus juvenes primum honestiores, deinde doctiores reddantur.

Academica supellex et apparatus tales sunt, ut nobis liceat esse contentis.

Bibliotheca a bene multis, tam Academiae civibus quam aliis, peregrinis etiam, assidue frequentatur. Librorum numerus insigniter auctus, non tantum pecunia partim ex aerario publico, partim liberalitate Curatorum attributa, verum etiam pretiosis muneribus a privatis oblatis. Ex his peculiaris hoc loco mentio facienda est doni, quod, accommodatione virorum, qui Vatemarianae librorum permutationi praesunt, oblatum est, amplum continentis librorum apparatum, maxime ad historiam et res Americae Septentrionalis pertinentium. Praeterea vir amplissimus Eyck a Zūilichem

Rumphii herbarium Amboncnse, manu ipsius Rumphii scriptum, cum effigie herbarum quae ab ipso auctore pictae et coloribus distinctae sunt, e bibliotheca cognati sui, JOANNIS BURMANNI, dono dedit. Codex quidem lacer est, sed vel sic etiam magni pretii habendus et cura Clarissimi BERGSMA, quantum fieri potuit, ordine dispositus.

Postremo, mense Januario, post obitum viri amplissimi LYNDENI A LUNENBURG, nobilissimae defuncti filiae, nomine patris Bibliothecam ornari voluerunt splendidissimo WILKENSONII opere, cujus titulus est: Manners and Customs of the ancient Egyptians: quod opus nondum allatum, brevi in memoriam LYNDENI in Bibliotheca exponetur.

Hortus Botanicus, ut acccpi, laeto gaudet statu. Idem praedicare licet de collectionibus speciminum et instrumentorum, quarum quidem notitia ad me perlata est. Collectiones hae pergunt tam Academiae quam urbis hujus civibus inservire, eaedemque aliis quoquc artium doctrinarumquc institutis optata adjumenta subministrant.

Ita altioris doctrinae studia simul conducunt ad cultum earum artium, quae huic civitati maxime sint utiles, et utriusque, Academiae atque hujus urbis, prosperitas arcto vinculo copulatur. Eo fit, ut Acadcmia Rheno-Trajectina evadat, quae aliquatenus esse debet, Acadcmia civitatis Rhcno-Trajectinac.

Prae ceteris autem memoratu digna est constructio novae speculae astronomicac, qua mox absoluta consecuturi sumus, ut praeclara haec doctrina pro rei dignitate et cum fructu discentium in hac Universitatc coli et explicari queat. Eadem res, quod non silentio praetereundum, generosac opportunitatem dedit aemulationi, qua ducti Lugduno-Batavae Academiae cives suam quoque Universitatem nova specula ornare instituerunt. Praeclare factum, quo illi dignos se probant tali matrc alumnos!

E dictis videtis, Auditorès! doctrinae instrumenta et supellectilem talia esse, ut partim necessariis usibus sufficiant, partim largissimc suppetant.

Quod ad Academicam institutioncm attinet, omnes disciplinae tam divinarum rerum quam humanarum, tam earum quae mente quam quae sensu percipiuntur, suis gaudent doctoribus, et quisquis annuam lcctionum seriem perlustrat, et reputat earum plcrasque, praecipuas certe, juste accuratcque haberi, agnoscet profecto doctrinae comparandae copiam hic non deesse.

Collegae mei unanimi voce mihi testificati sunt, se laborum suorum fructu et studiosorum industria esse contentos.

In Academiae statu nulla facta est mutatio. Promissam legem de altiore institutione ordinanda non impatienter exspectamus: persuasum enim nobis est, etsi sint quae corrigi et emendari queant, tamen illud quo altior institutio cernitur, studium, ardorem, spiritum, vel quodcumque illud sit quod animat, alit, auget, nulla lege posse parari.

Neque tamen omittendum est unum decretum a Rege factum, quamquam ad tempus, de quo magnopere laetamur. Aditus ad Academiam non amplius cuilibet patet. Didicisse aliquid oportet, pervenisse ad aliquam ingenii et doctrinae maturitatem, qui Academiam intrare velit. Et merito. Quid enim? Si in honestarum matronarum circulum nemo admittitur nisi decenter vestitus et comptus; si in orchestram nullus recipitur, nisi qui canere didicerit: in Musarum templum admitti incultum et agrestem, quis ferat?

Gratia ergo habenda Regis Administro, qui Musarum sacra profanari non sivit.

Et sane, si optandum est ut inter literarum artiumque cultores major in dies exsistat studiorum et voluntatum concentus, necesse est, eos magis etiam quam adhuc factum est, communi institutione praeparari atque formari. Quodsi diutius Academiae janua promiscue omnibus fuisset aperta, actum fuisset de liberalibus studiis, atque praecipuus doctrinae fructus tanquam in herba fuisset oppressus.

Vobis autem, aestumatissimi Collegae, qui spargendis veri honestique seminibus omne vitae tempus impenditis, Vobis ex animo gratulari me juvat ob prosperam messem, quae conatus vestros remuneratur. Quid testimoniis opus est, ubi facta loquuntur? Nonne justis laetamini laborum vestrorum praemiis? nonne plenae sunt auditoribus scholae? nonne assidua discentium studia? nonne grato vos amore prosequuntur discipuli? nonne civitas denique haec et provincia laetantur fructibus, qui ex vestra institutione redundant?

At nulla lux sine umbra, nulla voluptas doloris expers.

Wolterbeekius, Clarissimus vir, etsi jam non amplius vitae et studio-

rum vinculo cum Alma Matre conjunctus, tamen animo et voluntate ei conjunctissimus, sicut haec vicissim illum pro eximiis erga se meritis amabat et colebat; WOLTERBEEKIUS proximo anno e vita discessit triste sui desiderium nobis relinquens.

Juniores quidem illum noverunt ut celebrem in hac urbe medicum, professoris titulo insignitum; praedicari audiverunt fidelem et alacrem viri curam in medicandis aegrotis, pro quorum salute se devovebat; ingenuum animi candorem, ab omni artificio et fuco alienum; indefessam laboris patientiam, qua dies noctesque pro aliorum commodis vigilare ad extremum usque spiritum non destitit. Audite modo eos, quos dubiis et sollicitis in rebus consilio et ope juvit: quantopere illum amant, laudant, extollunt! Profecto qui ita se gessit, non frustra vixisse putandus est.

Seniores vero WOLTERBEEKIUM noverunt Medicinae Professorem et Academicae juventutis ducem; ego ipse, qui nunc ad vos loquor, unum ex ejus discipulis me fuisse gratus agnosco. Quare, si non lex jubcret decedentem Rectorem defunctorum Professorum memoriam recolere, ipsa me pietas juberet dilecti praeceptoris meminisse.

MATTHIAS GEUNSIUS, vir celeberrimus, cujus nomen in hujus civitatis et Academiae memoria semper inhaerebit, GEUNSIUS fuit, qui WOLTERBEEKIUM juvenem in Aesculapii templum deduxit et augustis sacrorum arcanis initiavit. Dignus tali magistro discipulus primum se in hac urbe, in qua natus et educatus erat, ad medicinam factitandam applicuit. Deinde Medici Academici titulo est ornatus. Aliquanto vero post, mortuo DYLIO, in hujus cathedram vocatus est, non quod, ut civis hujus urbis et Academiae medicus, ipsa quasi necessitudine commendaretur ad obtinendam provinciam quam optaret: a tali commendatione nemo erat WOLTERBEEKIO alienior: quamquam quomodo res acta sit ignoro, tamen viri ingenium et animus omnibus pignori sunt, solam qua fruebatur experientiae et eruditionis existimationem effecisse, ut Praxeos Medicae professor crearetur.

Talem eum omnes novimus, medicum in praxi versatissimum, dies noctesque in aegris curandis occupatum. Num ergo scientia ei defuit? num defuit accurata cognitio eorum, quibus in amplo medicinae campo nova in dies inventa pariuntur? Tantum abest, ut difficile sit dictu, utrum plus lectioni an exercitationi tribuerit.

Minime autem erat novarum in medicina rerum laudator et fautor. Ineredibilis qua instructus erat lectionis copia adjumento ei erat, ut ex ingenti aeervo inventorum, quae a sui temporis medicis, naturalium praesertim disciplinarum indagatione duetis, proferrentur, bona a pravis aeute diseerneret. Universe vero eum ad novas medendi vias minus proelivem fuisse, in GEUNSII diseipulo non est quod miremur.

In tradenda arte magistrum se praestitit fidelem et assiduum, amieum diseipulis, liberalem, eandidum, emancipantem se nemini.

Vegeta adhuc aetate abdicavit se Professoris munere totumque tradidit medicinae exercendae, in quo opere non minus peritia ejus quam liberalitas eluxit. Memoria Viri omnibus qui eum novere semper in honore habebitur.

ROYAARDSII sedes in hoe consessu vaeua? Vacua sedes illius, qui numquam ab hoc coetu aberat? Abest vir ille integra valetudine, robustis viribus, qui rupis instar stabat saevis tranquillus in undis! ROYAARDSIUS, columen illud Aeademiae nostrae, solemni hoece die deest!

Sed quid clamito? Quid manes evoeo? Prius terra de cursu suo deflectat, quam e sepulcri eaverna ullam vocem elicias. Effode tumulum, amplectere urnam, humecta lacrymis, nullum responsum referet gementi!

Sed modum statuam querelis, Auditores! ne vos ae memetipsum gravius eonturbem, neve obliviscamur, hominem decere Deo se submittere et divinae Providentiae deeretis acquieseere. Non conturbare animos vestros, sed eonsolari potius vos et meipsum cupio; neque ideo tumulum ante oeulos posui ut ploremus, sed ut per sepuleri caliginem in lucem nos erigamus et ad altiora evehamur.

Si cuiquam eontigit, ut laboris eonstantia et studii industria doctrinae thesauros sibi pararet, qui in totius vitae usum large suppeterent, ea felicitas desideratissimo nostro collegae obtigit.

Jam in adolescente eluxit studium indagandi historiam, hoc est, innumerabilem illam praeteritorum seculorum aetarumque rerum molem, non rudem et indigestam, sed apte eolligatam, lueide dispositam et ita ordinatam, ut in eo tanquam illustri monumento generis humani vita ejusque praecipuae vicissitudines agnoscantur.

Ut Heusdii discipulus idemque patriae amantissimus, historiam patriae praecipuo amore coluit; ut theologo patre natus et ipse theologiae destinatus, historiam Ecclesiae, Ecclesiae praesertim patriae, prae ceteris omnibus sibi tractandam elegit eique illustrandae totum se dedidit.

Verbi divini minister factus, quum per breve tempus eo munere functus esset, in hanc Academiam vocatus est ut studiosae juventuti de vigiliarum suarum fructibus impertiret. Neque multo post clarissimo patri in cathedram successit. Itaque praeter historiam Ecclesiasticam, Patristice quae vocatur et Ethica Christiana ei sunt mandatae; quarum quidem docendi munere, valens viribus et ardens doctrinae amore, per triginta annos ita functus est, ut numquam in suo opere cessaverit.

Ecce! tempestas oritur, prostrata jacet arbor, quae fertili in solo uberrimis nutrita succis, laete vigebat, atque amplis diffusa ramis larga fructuum copia nos beabat.

Profecto Royaardsius non sine usura reddidit, quae a Deo acceperat. Parcus erat temporis; horae ad singula opera accurate dispertitae; semper occupatus in sua bibliotheca, unde non nisi necessariis negotiis avocari se sinebat; alacer et vigil in labore; ampla supellex, usu splendidior. Quantum ille talibus instructus praesidiis non praestare non potuit!

Numerosae et multiplices sunt commentationes ab illo editae. Quid autem dicam de ejus institutione? Quid de omnis generis curis et negotiis quae semper occupatum tenebant?

Praeceptorem se praestitit gnavum, diligentem, sincerae fidei, integro veri amore. Numquam defuit muneris sui officiis, ejusque benevolentiam declaravit amor et obsequium, quo ipsius discipuli eum certatim sunt prosecuti.

Ubicumque utilitatem aliquam afferre posset, Royaardsius praesto erat. Res Ecclesiae et Civitatis pariter cordi habebat, utrisque aeque inserviit. Num mirandum, si ita se gerendo tantam adeptus est civium existimationem, ut in omnibus rebus gravioribus auctoritas ejus maxima esset?

Vos autem, Collegae conjunctissimi! vosque, Auditores, quotquot illum novistis et dilexistis, omnes mecum testabimini, Royaardsium fuisse virum bonum, amicum candidum, optimum civem.

Academia vero ademtum sibi luget fautorem, patronum, vindicem, cujus desiderio tanquam gravi vulnere saucia diu moerebit.

Semper viri memoria nobis in honore erit. Vivet ejus nomen in animis nostris et exemplum stimulabit, ut imposito nobis officio fideliter et strenue fungamur. Si dolemus orbatos nos esse virtutis ejus lumine, orbatos doctrinae thesauris unde nobis large suppeditabat, orbatos dulci familiaritate qua collegio nostro junctus erat, dolorem hunc solabitur cogitatio: quidquid a Deo factum, bene factum!

O caducam et fragilem rerum humanarum sortem, quae quotidie nostrae nos mortalitatis admonet! Si vitae lux ideo potissimum jucunda et laetabilis est, quod homines mutuo amore jungit et copulat, nonne eadem amara et luctuosa, quae junctos divellit, quidquid tibi carum est adimit, donec ipse hinc arcessaris, ut amicos et carissima pignora in perpetuum relinquas? Royaardsius in meliores sedes abiit, quo nos serius ocius sequemur. Sit illi bene!

Ad vacuam defuncti sedem occupandam decreto Regio vocatus est Bernardus ter Haar, quem delatam sibi provinciam suscepisse laetamur.

Tibi, amicissime Dondersi, si valetudo intacta fuit, animus tamen gravi dolore sauciatus est. Profecto ex omnibus, quae homini optanda sunt, nihil dulcius, nihil optabilius caritate matris. Haec tenera pectora amore imbuit, qui mortalibus ad optima quaeque dux est; haec molles animos voce et exemplo fingit et format et ad altiora erigit; hinc ducimus salubrem illum succum, qui vires alit et recreat et ad quidvis agendum fortes et alacres nos reddit. Amori enim nihil arduum; amor sperat omnia, vincit omnia.

Tibi acerbum vulnus inflixit dolor ob mortem matris nuper tibi ademtae. Sed quamquam ademta tibi, non tamen periit. Quod bonum est non moritur; nedum optimum, quod mortalibus datum est, periret! Vivit tibi mater et tamdiu vivet, dum virtutis scintillae, quas in animo tuo fovit, non extinguentur.

Confide animo et perge alacriter incumbere in eam disciplinam, in qua primas obtines!

Sed nondum expletus est hujus anni luctus. Dolorem vix mitigatum ante paucos dies renovavit funesta mors unius Academiae nostrae Lectorum, qui jam pridem languidum corpus trahens, succubuit, defletus, heu! omnibus quotquot illum noverunt et dilexerunt.

Juvat sane palam eloqui, in quo omnes scio me habiturum consentientes: Te, desideratissime Rueb! quotquot noverunt non potuerunt non diligere et magni facere.

Tu abundabas iis animi dotibus, quas plerique aut numquam obtinent, aut non nisi magno labore, post grave certamen multasque offensas, consequuntur.

Comitas, humanitas, benevolentia, fides, modestia tantae in te erant, ut exemplar omnibus esses. Alienus ab inani gloria, quae tam saepe mortales transversos agit, liber eras omni ambitione; idque ipsum in causa fuit, cur ad contentiosam hanc et plenam ambitionis vitam minus aptus habebare.

Eo aptior vero eoque maturior eras, ut speramus, ad altioris illud vitae consortium, ubi verae virtuti sua praemia non desunt.

Accedebat his dotibus admirabilis scientiae copia, multiplex et varia eruditio, judicium acre et perspicax, mens veritatis amore flagrans.

Sed major erat tua modestia, excellentior tua virtus quam plerique eorum, quibuscum a teneris vixisti, possent suspicari. Ego, qui per triginta amplius annos talem te cognovi, qualis ab omnibus amicis exstimaris, aperte dico: illos, quos nosse tuam indolem a teneris decuerat, parum cognitam habuisse ditiorem illam ingenii venam, qua unus in paucis natura praeditus eras! Et quod quis non cognovit, quomodo amet? quod non amat, quomodo curet et foveat? Hoc tu expertus est, cara anima! quod si te vivente toties dixi, quidni de mortuo palam eloquar?

Tuam mortem afflicta dolore luget vidua conjux; te orbi liberi, adultiores aliquando facti, moestis animis patrem desiderabunt; tuam memoriam numerosi amici tristi silentio usque recolent.

Utinam tibi illucesceat melior sors quam terra tibi dedit! utinam frui tibi contingat pura illa veri bonique contemplatione, cujus in vita avidus semper fuisti!

Mors tibi fuit terminus longae aegritudinis, quae jam per multos annos amicis tuis sollicitudinem injicicbat. Jam animus tuus, quasi carceris vinculis libcratus, fruatur puriore illa voluptate, quae sola mente est percipienda!

Corpus exstinctum jacet, animi vis sempiterna vigebit.

Si moeremus discessu illorum, qui coetui nostro sunt erepti, est quod laetemur incolumitate tot praestantium virorum, qui indefessa industria Academiae et altioris institutionis commodis inserviunt. Juvat me praesentes hic adspicere ceteros collegas, quibus non possum non ex animo gratulari et bona omnia precari. Vobis dico, clarissimi Viri, decora hujus Academiae, qui operam navatis, ut patrios mores et nativum illum nostrae gentis sensum, amorem dico ordinis et reverentiam legis, constanter alatis; qui omnes ingenii vires intenditis ad juventutem boni pulcrique amore imbuendam; qui scientia vestra utimini ut humanitatis et doctrinae lux in dies latius diffundatur; qui pro Patriae salute et pro hujus Academiae laude constanti cura vigilatis.

Felices vos dico, de quibus talia possunt praedicari; felicem quoque me, cui contigit talibus uti collegis, quorum sapientia et experientia meos qualescumque conatus pro tuenda Academiae gloria fultos esse gratus agnosco.

Gratias agimus Deo Optimo, quod vitae vestrae pepercit concessitque, ut integris corporis animique viribus munere vestro strenue fungi potueritis, atque caverc ut haec Academia praeterito anno manserit, qualis omnium intelligentium judicio praedicatur, lumen patriae.

Utinam et in posterum Deus vos servet et fulciat, ut indefesso et alacri animo operam dare possitis altiori illi artium doctrinarumque cultui, qui humana cum divinis conjungens, supra terrena nos erigit, ad coelestia evehit. Hoc est illud, quo altior institutio tendit.

Uni vestrum e legis praescripto honorificum otium assignatum est. Et quis illud otium majore jure sibi vindicare poterat, quam Tu, Praestantis-

sime SUERMANNE! cujus septuagenaria vita series laborum et vigiliarum fuit. Tu apis instar flores ubicumque obvios delibans, mella collegisti, non tibi ad fruendum reservata, sed in alveos congesta, unde quam plurimi fructum ex iis capere possent.

Sed industriâ tuâ major fuit benignitas. Tu praestitisti te orborum patrem, viduarum patronum, moerentium consolatorem. Inter tot autem tantasque curas et labores assidue medicinae arti operans, innumeros homines ope tua juvisti, tantamque adeptus es famam et existimationem, ut inter principes patriae nostrae medicos nomen Tuum eluceat.

Deniquc, quasi tot tantaque merita non sufficerent, cumulus iis accessit Academica tua institutio. E tua schola plurimi prodierunt germani Aesculapii filii, qui magistrum suum aemulati urbes et vicos circumeunt ut laborantibus levamen, periclitantibus salutem afferant.

Utinam possem, venerande senex! sic te laudare, ut animus meus gestit, atque coronam tibi nectere meritis tuis dignam! Sed nec tua modestia nec mei mores me sinunt Te palam efferre iis laudibus, quibus omnes tacite virtutes tuas honorant.

Praestabilior vero omni laude est grati animi sensus, quem non possum non palam tibi testari. Profiteor me unum e discipulis tuis, unum ex eorum numero, qui si quid boni vel fecerint vel in posterum facturi sint, id non minima pro parte tibi se debere agnoscunt. Nullum igitur dulcius mihi esse potest officium, quam Tibi, qui senex juvenili adhuc pulcri bonique ardore cales, sincero animo gratulari, et omnium nomine, qui te patrono et magistro usi sunt, precari, ut Deus senectutem tuam beet tuaque in alios promerita large remuneretur!

Tranquillus fruare otio tibi concesso, ut senectus, tibi sit portus in quo requiescas ab aerumnis et aegritudinibus, quibus vita tua fuit obsessa. Quot, eheu! acerba fata, quot frustratae spes, quot anxiae sollicitudines animum tuum afflixerunt! Tantis vero malis Tu fortiter restitisti, fretus nimirum altiore illo praesidio, in quo optimus quisque omnem rerum suarum spem habet repositam. Hoc praesidio fultus vivis et vales et inter nos versaris, egentibus opem, moerentibus solatium, periclitantibus auxilium afferens.

Placida sit tua senectus, velut serena vespera post ardentem solis aes-

tum, et sero accipias palmam quam nostra omnium vota tibi assignant. Ita faxit Deus!

E civium Academicorum numero quinque nobis fato sunt erepti. Si vel unius amissio justo nos dolore afficit, quanto magis tot carissimorum capitum desiderio nos commoveri par est! E vita excesserunt Focquin, de Quertenmont, van Binsbergen, van Nispen et Mock, omnes optimae spei juvenes, parentibus suis et amicis aeque ac praeceptoribus cari et desiderati. Illorum memoria animis nostris penitus inhaerebit. Placida pace quiescant!

Si scholae alicujus praestantia aliquatenus censeri potest discentium frequentia, ea profecto laus nostrae Academiae denegari nequit. Sed doctrinarum institutio est ex earum rerum genere, quae non numero, sed pondere aestimandae sunt. Non magis in multitudine auditorum quam in bonitate cernitur flos Universitatis.

Ad vos igitur me converto, dilectissimi juvenes! qui huc venistis ut ingenii vires excolatis, animos optimis studiis formetis, et doctrinae copias colligatis, quibus instructi gravissima vitae munera digne tueri aliquando possitis: quid de vobis mihi licet praedicare?

Rector Magnificus e muneris sui ratione in tali statu est collocatus, quo ei cum civibus Academicis arctior necessitudo crebriusque commercium intercedit quam ceteris collegis. Et quod ad vos quidem attinet, optimi juvenes! audens et lubens ego hanc provinciam suscepi. Multorum enim annorum spatium, per quod in hac Academia docendi munere functus eram, me edocuerat, quanta esset vestra humanitas et erga praeceptores observantia. Neque hanc meam de vobis existimationem hujus anni experientia fefellit, immo confirmavit potius et auxit. Si excepero unam et alteram offensiunculam; quas memoro, ne quid praeteriisse videar; offensiunculas dico ejusmodi in quas ipsi convenire fatemini vestrum illud elogium: *misce stultitiam consiliis brevem!* nihil quod non honorificum vobis sit, referre habeo.

Auditis haec, Viri Amplissimi et Gravissimi, coram vobis testor, nihil me habere, quod lectissimo huic juvenum coetui objiciam vel exprobrem.

Neque ego is sum qui id dissimularem, si secus esset, eum in ea sim sententia, nemini laudem esse dandam, nisi meritis debitam.

Sed non satis est vacare culpa. Illud ex vobis quaero: Num omni ope enitimini, ut eo perveniatis quo tenditis? num bene memores estis illius praecepti, naturam sicut arborem, dum tenera adhuc est, flecti oportere, ne sero frustra torqueas? num quotidie vosmetipsos interrogatis: qua ratione providebo, ne a recta virtutis via deflectam? num parentes et monitores debito obsequio colitis? num industria vestra par est rerum gravitati? num in omni scientiae studio et cognitione illud meministis, altiore doctrina vos esse formandos, hoc est, eâ quae animos et mentes ad altiora erigit?

Si haec vosmetipsos interrogetis, fortasse eveniat vobis quod plerisque nostrum quotidie evenire solet: agnoscatis in multis vos labi et offendere. Verum ne diutius in his morer: summa est, quod assidue ad meliora tenditis, idque factis probatis.

Laeto igitur animo vobis acclamo: Macte vestra industria! Pergite sequi arduam virtutis viam! Pergite studio vestro tam commilitones quam duces vestros ad optima quaeque instigare! Imbuite pectora vestra penitus patrio illo et nativo gentis nostrae sensu, Batava sinceritate ac fide! Mementote, a vobis magna pro parte pendere futuram patriae prosperitatem! Facite ut, quando semel e schola in vitam egressi eritis, ea quae Alma Mater vobis impertivit, cum foenere patriae reddatis! Vobis Augustissimi Regis verbis precor, tam cunctis quam singulis optima quaeque largiatur Deus!

Unum adhuc mihi commemorandum restat, quod me ipsum attingit. Valetudo mea non amplius talis est, ut in posterum muneri mihi mandato, honorifico sed laborioso, satisfacere possim ea fide eaque industria, quam mihi semper tanquam regulam praescripsi.

Quodsi igitur solo officio, nulla alia causa, me adductum sentiam, ut hinc discedam, animus tamen, ut adhuc fuit, semper hic praesens erit.

Plura equidem hac hora de me ipso dicere alienum puto, sed ea, quae intus cum animo volvebam, reticescere non potui.

Jam ad officii hujus terminum accedo.

Ex Augustissimi Regis decreto in proximum annum Academiae Rector Magnificus designatus est Vir Clarissimus Henricus Egbertus Vinke.

Tu, conjunctissime Collega! cape locum dignitati tuae debitum.

Salve, Magnifice Rector! ex animo salve! Tibi lubens ego hoc munus trado, non quasi aliqua parte eo me gravatum sentiam, quod contra leve ac jucundum mihi fuisse aperte fateor: adeo mihi et Curatorum benevolentia et Collegarum amicitia et Discipulorum humanitas muneris onera levarunt; sed propterea lubens tibi trado, quod Tuae curae bene creditum esse scio.

Salve igitur, Rector Magnifice, iterumque salve! Fruare in tuo magistratu eo gaudio, quod muneris religiose gesti conscientia parit. Vigila pro salute Universitatis tibi creditae! Deus, precor, obsecundet tuis conatibus, et faxit ut, Tuis auspiciis, Academia haec floreat ad decus et prosperitatem patriae.

ACTA IN SENATU

A°. 1853—1854,

RECTORE GERARDO JOHANNE MULDER,
GRAPHIARIO PETRO HARTING.

Die 7 m. Aprilis. Senatus amplissimus in cathedram deducit Virum Cl. F. C. DONDERS, qui orationem habuit: *„De justa necessitudine scientiam inter et artem medicam et de utriusque juribus ac mutuis officiis.* Deinde Academiae fata enarravit et judicia ordinum in certamine litterario promulgavit, praemiaque studiosis distribuit, qui in hoc certamine palmam retulerunt.

Praemia aurea acceperunt:

J. TELTING,
W. N. DU RIEU,
G. VAN LEEUWEN.

Praemia argentea:

F. SCHAAFT,
G. J. R. HENNY,
S. H. RINKES,
A. W. DE KLERCK,
H. WORST.

Tandem magistratum deposuit et in proximum annum Rectorem magnificum renunciavit Virum Cl. G. J. MULDER.

Die 14 m. Septemb. Quum Rex augustissimus Guilielmus III hoc die solemni more civitatem Rheno-trajectinam visitare constituisset, Senatus a Rectore evocatus convenit ad Principem salutandum. Senatores in curiam se contulerunt ibique ad Regem admissi sunt. Ibi Rector, Regem allocutus, Academiae Senatus et reverentiam illi testatus est et laetitiam, quod praesentem Principem hic salutare contingeret. Porro declaravit illi prosperum Academiae statum, tam numero studiosorum quam industria florentem; commemorat Academiae Instituta, Bibliothecam, Musea, Laboratoria cet. studiosorum usui inservientia et maxima pro parte ipsorum scopo satisfacientia; denique Universitatis et doctrinarum commoda cognito et spectato Regis favori commendat. Ad quae Rex benigne respondit: nihil sibi gratius accidere quam praesentes adspicere Rectorem et Professores Academiae tam frequentia quam doctrinarum cultu florentissimae, nec quidquam antiquius se habiturum quam ut Academiae prosperitati et doctrinarum studiis adjuvandis quantum posset, inserviret.

Die 15 m. Septemb. Senatus convenit ut Regi Academica aedificia et Instituta inspecturo praestolaretur. In Academiae vestibulo Principem expectant Rector magnificus cum Graphiario et Assessoribus; introgressum deducunt in Auditorium majus, ubi et caeteri Professores et cives Academici congregati erant ad Regem honorifice excipiendum. Ibi Rector Principem allocutus, juventutem academicam Illi proposuit et habita oratione commendat tanquam: spem patriae, parentum amorem, almae matris curam, eorumque erga patriam, leges et Regem reverentiam atque amorem justa laude prosequitur. Ad haec Cives academici tam acclamatione quam chorico cantu Regi congratulantur. Rex juventutem academicam his verbis alloquitur: „Verba mihi desunt, quibus animi „sensus, qui nunc penitus me commovent, declarem. Tantum „ad vos dixisse sufficiat: si quid fecisse mihi contigerit ad patriae „universitatum decus, prosperitatem, gloriam augendam, id de„bitum aeque ac dulce mihi officium fuisse testor. Vobis autem

„ut Deus tam cunctis quam singulis omnia bona largiatur, ex „animo precor." Deinceps Rex ex auditorio, deducente Senatu, recedit.

Die 6 m. Martii. In Senatus conventu vir eruditissimus M. P. Lindo, Londinus, honoris causa creatus est Philosophiae theoreticae magister et Literarum humaniorum doctor, promotionis formulam recitante Cl. Karsten.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI CIↃIↃCCCLIII, USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLIV,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

GERARDO JOHANNE MULDER.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ I.

Mechanicam analyticam R. VAN REES, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI.

Physicae mathematicae capita selecta R. VAN REES, diebus martis et iovis, horâ XI.

Chemiam theoreticam G. I. MULDER, die lunae, horâ X.

Chemiam generalem et applicatam, tam organicam quam anorganicam, tradet G. I. MULDER, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Chemiam physiologicam G. I. MULDER, die veneris, horâ IX.

Chemiam analyticam G. I. MULDER, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Chemiam practicam G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, horâ XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. BERGSMA, diebus lunae et martis, horâ XII.

Anatomiam plantarum C. A. Bergsma, diebus et horis auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. Bergsma, diebus mercurii et saturni, horâ XII, duce compendio suo: *Handboek voor de Vaderlandsche Landhuishoudkunde*, ed. Traj. ad Rhen. 1842.

Excursionibus Botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. Bergsma.

Zoölogiam docebit Th. G. van Lidth de Jeude, diebus lunae et martis, horâ X.

Anatomiam comparatam Th. G. van Lidth de Jeude, die mercurii, horâ X.

Anatomen et *Physiologiam plantarum* docebit P. Harting, diebus lunae et iovis, horâ pomeridianâ II.

Excercitationibus in usu microscopii studiis zootomicis, phytotomicis et chemicis applicato quotidie praeerit P. Harting.

Astronomiam theoreticam et practicam quater per dierum hebdomadem tradet A. S. Rueb, Astronomiae Lector, diebus et horis auditoribus commodis.

Astronomiam popularem, bis per dierum hebdomadem, A. S. Rueb, diebus et horis auditoribus commodis.

Elementa matheseos docebit C. H. D. Buys Ballot, ante ferias hiemales quotidie; post illas, diebus lunae martis et mercurii, horâ VIII.

Stereometriam, trigonometriam sphaericam et *algebram* ante ferias hiemales quater per dierum hebdomadem, horâ X.

Geometriam descriptivam, post ferias hiemales, diebus lunae, martis et mercurii, horâ XII.

Partes quasdam matheseos sublimioris tractabit, diebus lunae, mercurii, iovis et veneris, horâ I.

Oryctognosiam exponet P. J. J. de Fremery, diebus lunae et martis, horâ II.

Geologiam tradet P. J. J. de Fremery, diebus mercurii iovis et veneris, horâ II.

Geographiam physicam docebit P. J. J. de Fremery bis per dierum hebdomadem, horâ auditoribus commodâ.

Excercitationibus mineralogicis praeërit P. J. J. de Fremery die saturni, horâ I—III.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Encyclopaediam theologicam brevissimo conspectu tradet H. Bouman, diebus veneris, horâ X.

In *Philosophiam de Deo*, sive *Theologiam Naturalem*, cum commilitonibus inquiret H. Bouman, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Critices ac *Criseos sacrae* leges et exempla tradere perget H. Bouman, diebus lunae, horâ IX.

Hermeneuticae sacrae priorem partem tradet H. Bouman, diebus martis, horâ IX.

Jeremiae Vaticinia selecta atque alia *Hebraeorum Carmina* sacra interpretari perget H. Bouman, diebus iovis, horâ X.

Prioris ad Corinthios Epistolae Capita postrema et *utramque ad Thessalonicenses Epistolam* explicabit H. Bouman, diebus lunae et martis, horâ X.

Historiam Ecclesiae Christianae antiquam et mediam, duce *Compendio* suo *Hist. Eccl.* Vol. I. enarrabit H. I. Royaards, diebus lunae et martis, horâ XII, et mercurii, horâ II.

Jus Ecclesiasticum Nederlandicum, imprimis de vinculo civitatem inter et Ecclesiam hoc nostro tempore, exponet H. I. Royaards, diebus iovis horâ XII.

Patristicam docebit, duce *Chrestomathia Patristica*, a se edita, H. I. Royaards, diebus iovis, horâ I.

Theologiam dogmaticam tradet H. E. Vinke, diebus lunae, martis et iovis, horâ XI.

Collocutionibus *de Catechesi Heidelbergensi*, cum commilitonibus habendis, vacabit H. E. Vinke, diebus iovis et veneris, horâ II.

Ethicam Christianam docebit H. I. Royaards, diebus lunae, martis et mercurii, horâ I.

Theologiam pastoralem tradet H. E. Vinke, diebus martis, iovis et veneris, horâ VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. Vinke, die veneris, horâ XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. Bouman, H. I. Royaards et H. E. Vinke, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, horâ commilitonibus commoda, H. Bouman, H. I. Rooyaards et H. E. Vinke.

IN FACULTATE IURIDICA.

Doctrinam Pandectarum Mühlenbruchianam e voll. II et III enarrabit A. C. Holtius, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Exegeticas lectiones idem habebit die saturni, horâ XII.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. J. L. de Geer, diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, horâ VIII.

Historiam Iuris Romani tradet B. J. L. de Geer, diebus lunae, horâ XII, iovis, horâ X, et saturni, horâ XII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. J. L. de Geer, diebus martis, mercurii et veneris, horâ I.

Ius civile Nederlandicum docebit J. van Hall, die lunae, horâ XII, diebus martis, mercurii et iovis, horâ I.

Ius mercatorium et maritimum exponet J. van Hall, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit J. van Hall, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ X.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, item *repetitorio de iure civili, mercatorio et maritimo* praeerit J. van Hall, diebus horisque postea indicandis.

Historiam iuris patrii civilis adumbrabit J. van Hall, die lunae, horâ I.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. Ackersdyck, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Statisticam I. Ackersdyck, iisdem diebus, horâ XI.

Oeconomiam politicam docebit I. Ackersdyck, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. Vreede, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. Vreede, diebus lunae et martis, horâ VIII.

Ius gentium Europaeum G. G. Vreede, diebus martis et saturni, hora X.

Selecta *de necessitudine Batavorum cum populis exteris, ab anno* 1581 *usque ad nostra tempora*, tradet G. G. VREEDE, die saturni, horâ I.

Ius criminale, tam *Batavum* quam *commune*, docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

Codicem Questionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, diebus iovis, horâ X, veneris, horâ I, saturni, horâ VIII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, horâ II.

Metaphysicam C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, horâ III.

Historiam philosophiae veteris enarrabit S. KARSTEN, diebus lunae et iovis, horâ II, aliâve commodiore.

Litteras Latinas A. VAN GOUDOEVER docebit, diebus martis, iovis, veneris, horâ XI, interpretando Sallustii *Belli Jugurthini* partem posteriorem et Virgillii l. III *Aeneidos.*

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, iovis, veneris, horâ X.

Litteras Graecas docebit S. KARSTEN, diebus lunae, martis, iovis et veneris, horâ XII, interpretando locos selectos ex Homeri et Hesiodi carminibus, e Platonis opere *de Rep.*, et Plutarchi Vitas *Periclis* et *Alexandri M.*

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus mercurii et veneris, horâ IX.

Litteras Hebraicas tradet I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum exponenda *Grammaticâ*, tum *hujus* ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, horâ I, martis, horâ II, mercurii, horâ X et II.

Litteras cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, die martis, horâ XI, et die mercurii, horâ XII.

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Ceterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. Swyghuisen Groenewoud.

Litteras Belgicas et litterarum Belgicarum Historiam exponet L. G. Visscher, diebus lunae, martis, veneris et saturni, horâ X.

Praecepta Stili bene Belgici L. G. Visscher, diebus martis, iovis et saturni, horâ II.

Historiam gentium antiquarum, praecipue *Imperatorum Romanorum* aetatem, enarrabit S. Karsten, die martis, horâ I, mercurii, hora XII, iovis, horâ I.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. Ackersdyk, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Historiam Patriae L. G. Visscher, diebus lunae et martis, horâ XI, iovis, horâ X, saturni, horâ XI.

Institutiones paedagogicas habebit S. Karsten, die saturni, horâ IX et X, partim *metrica* explicanda, partim moderandis scribendi et interpretandi exercitiis.

Disputandi exercitationes, alternis hebdomadibus instituendas, moderabuntur A. van Goudoever et S. Karsten.

G. Dorn Seiffen, Litt. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum quam recentiorum gentium historiae facta enarrabit, gentesque, quod ad culturae progressus, inter se comparabit, diebus mercurii et saturni, horâ XI aliâve, commilitonibus magis commodâ.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. Schroeder van der Kolk, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. Schroeder van der Kolk.

Anatomen generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam* demonstrabit P. Harting, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Physiologiam I. L. C. Schroeder van der Kolk, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII matutinâ, die mercurii, horâ IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. Donders.

Biologiam generalem exponet F. C. DONDERS, die mercurii, horâ XI, die iovis, horâ X.

Pathologiam, sectionibus cadaveris illustratam, exponet F. C. DONDERS quater per dierum hebdomadem, horâ IX.

Anatomen pathologicam, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ auditoribus commodâ.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ II.

Pharmacologiam et *Historiam plantarum medicinalium* tradet P. HARTING, die iovis, horâ XI et veneris, horâ XII.

Pharmaciam G. I. MULDER, die martis, horâ XI.

Nosologiam et therapiam specialem G. I. LONCQ, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, horâ XI, in Nosocomio Academico.

Exercitationes clinicas in ophthalmiatria moderari cupit F. C. DONDERS, ac, data opportunitate, moderabitur.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, quater per dierum hebdomadem, horis deinceps indicandis.

Exercitationes polyclinicas in arte chirurgica, diebus lunae, mercurii et veneris horâ IX; *opthalmiatricas*, diebus martis, iovis et saturni, horâ X; *clinicas* vero tum *chirurgicas* tum *ophthalmiatricas* quotidie moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER.

Operationibus chirurgicis in cadavere instituendis qualibet oblata occasione praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die lunae horâ V—VII post meridiem.

Artis obstetriciae theoriam, *morbos puerperarum et neonatorum* exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii et iovis, horâ I post meridiem.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, diebus lunae et veneris, horâ XII—II, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, inde a feriis aestivis usque ad d. XV m. Februarii, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ II.

B. F. Suerman, aetatis caussa munus academicum jamjam ex lege depositurus, pro lectionibus, quas antea habuit, selecta quaedam e disciplina pathologica et chirurgica tractabit capita, speciminibus e museo suo illustranda, diebus lunae et mercurii, horâ VIII matutina.

Summam item eorum, quae de rite perfungendo medici officio ipse longo artis exercitio didicit, cum commilitonibus communicabit, diebus et horis deinceps indicandis.

I. I. Wolterbeek, quamvis munere suo defunctus sit, civibus tamen Academicis officia humanitatis praestare, praesertim Medicinae studiosis qualibet opportunitate prodesse, haud recusabit.

J. H. Hisgen, litterarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Litteras Germanicas et Litterarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

J. Venning, litterarum Lector, *Litteras Anglicas* docebit, horâ auditoribus commodâ.

L. de France, Academicus gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis et saturni, ab horâ XII in IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab horâ I ad III, unicuique patebit. Museum Zoölogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DIE 31.DECEMBRIS 1853.

---

in Facultate		Theologicâ	201.
//	//	Juridicâ	154.
//	//	Medicâ	45.
//	//	Disc. Math. et Phys.	5.
//	//	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	12.
			417.

Praeterea in album academicum nomina studiosorum, in diversis Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hîc examinentur et Doctores creëntur, quorum:

in Facultate		Theologicâ	22.
//	//	Juridicâ	25.
//	//	Medicâ	21.
//	//	Disc. Math. et Phys.	2.
//	//	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	2.
			72.

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

A. 1853—1854

DOCTORES CREATI SUNT:

IN DISCIPLINIS MATHEMATICIS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

d. 20 m. Junii 1853. JANUS GUILIELMUS GUNNING, Flardingo-Batavus, post privatam defensionem Disquisitionis chymicae *de aquis nonnullis Neerlandicis.*

" 21 " " " NICOLAUS GUILIELMUS PETRUS RAUWENHOFF, Amstelodamensis, post privatam defensionem Dissertationis historico-chemicae *de viridium plantarum partium cum aëris oxygenio et acido carbonico necessitudine.*

" 7 " Sept. " LUDOVICUS MULDER, Roterodamensis, post privatam defensionem Disquisitionis historico-criticae *de* XXIV *metallorum pondere chemico.*

" 8 " " " WOLFERT ABRAHAM JOHANNES VAN GEUNS, Rheno-Trajectinus, post privatam defensionem Speciminis historico-chemici *de pondere specifico elementorum aëriformi nec non de pondere chemico elementorum quae organica dicuntur.*

" 12 " " " GERARDUS GREVEN, Culenborgensis, post privatam defensionem Dissertationis physico-mathematicae *de elliptica luminis polarisatione.*

" 21 " Nov. " EDUARDUS MULDER, Roterodamensis, post privatam defensionem Disquisitionis historico-criticae *de* XIII *elementorum pondere chemico.*

IN THEOLOGIA.

d. 8 m. Febr. 1854 ALLARD PIERSON, Amstelodamensis, post publicam defensionem Disquisitionis historico-dogmaticae *de Realismo et Nominalismo.*

IN JURISPRUDENTIA.

d. 19 m. April 1853 CORNELIUS VAN CITTERS, ex pago Heinkenszand, Zelandus, privatim defensis Thesibus.

" 21 " " " ERNESTUS LUDOVICUS VAN HARDENBROEK, e pago Hardenbroek, privatim defensis Thesibus.

" 30 " " " LAMBERTUS JAN BOURICIUS, Leovardiae natus, privatim defensis Thesibus.

" 3 " Maji " ABRAHAM MATTHIAS CORNELIS SANDBERG, Zwollanus, privatim defensis Thesibus.

" " " " " JOHANNES THIEBOUT, Zwollanus, privatim defensis Thesibus.

" 13 " " " JOANNES HUBERTUS THEODORUS MICHEELS, Mosa-trajectinus, privatim defensis Thesibus.

" 14 " " " GUILIELMUS JOHANNES MARIA BOSCH, Rheno-trajectinus, privatim defensis Thesibus

" " " " " FRANCISCUS ALEXANDER LUDOVICUS VAN RAPPARD, Haganus, privatim defensis Thesibus.

" 17 " " " HERMAN JOSUA VAN LENNEP, post publicam defensionem Dissertationis historico-juridicae de *dominii ademtione, utilitatis publicae causa.*

" 31 " " " CLEMENS POLIS, Mosa-trajectinus, post publicam defensionem Dissertationis juridicae *de novi operis nuntiatione.*

" 7 " Junii " ANTONIUS MICHAËLUS HERMANUS CAROLUS KOCK, e pago Heemstede, privatim defensis Thesibus.

" 18 " " " STEPHANUS JOANNES VAN GEUNS, Rheno-trajectinus, post publicam defensionem Speciminis historico-juridici *de perigrinis receptis et civitatis donatis in patria nostra usque ad annum* MDCCXCV.

d. 27 m. Julii 1853. Fredericus Johannes Constantinus Schimmelpenninck, Haganus, privatim defensis Thesibus.

" 1 " " " Henricus Antonius Ludovicus Hamelberg, Zaltbommeliensis, privatim defensis Thesibus.

" 2 " " " Aemilius Augustus Gulianus Nolthenius, e pago Heemstede, privatim defensis Thesibus.

" 1 " Oct. " Henricus Sebastianus Carolus Theodorus Ruempol, Soerabaiensis, privatim defensis Thesibus.

" 6 " " " Janus Carolus Josephus Arriëns, Arnhemiensis, privatim defensis Thesibus.

" 4 " Nov. " Martinus Plooy, Mosa-trajectinus, privatim defensis Thesibus.

" 10 " " " Elias Tielenius Kruythoff, Tiela-Gelrus, privatim defensis Thesibus.

" 12 " " " Guilielmus Theodorus Didericus Yssel de Schepper, Arnhemiensis, privatim defensis Thesibus.

" 14 " " " Johannes Gerardus de Groot Schimmel, Harlemiensis, privatim defensis Thesibus, Juris Doctor creatus.

" 19 " " " Gustavus Libertus van Meerbeke, Mosa-trajectinus, privatim defensis Thesibus.

" 6 " Dec. " Petrus Alma, e pago Bergum, Frisius, privatim defensis Thesibus,

" 9 " " " Laurentius Carolus Leopoldus Ernestus Schmidt, Mosa-trajectinus, privatim defensis Thesibus.

" 23 " Jan. 1854. Rudolphus Guilielmus Jacobus van Pabst van Bingerden, privatim defensis Thesibus.

IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS.

d. 27 m. Junii 1853. Everardus Johannes van Gorkom, Zutphaniensis, post privatam defensionem Dissertationis historicae *de Philopaemene megalopolitano.*

" 2 " Julii " Johannes Franciscus Hubertus Wolters, Mosa-trajectinus, post privatam defensionem *Commentationis literariae in Juvenalis satiram primam.*

d. 8 m. Julii 1853. JOHANNES LEONARDUS MARRES, Mosa-trajectinus, post privatam defensionem Dissertationis literariae *de Favorini Arelatensis vita, studiis, scriptis.*

„ 12 „ „ „ DIDERICUS HENRICUS JURRJENS, Amstelodamensis, post privatam defensionem Disquisitionis literariae *de Democratiae apud Athenienses origine et processu.*

IN DISCIPLINIS MEDICIS.

d. 23 m. Maji 1853. HENRICUS GERARDUS ALPHERTS, Culemborgensis, post privatam defensionem Dissertationis historico-medicae *de Brayera anthelminitica, vulgo Kousso, famoso Abassinorum adversus Taeniam remedio, observationibus cum aliorum, tum propriis comprobato*, Medicinae Doctor creatus.

„ 16 „ Junii „ ADRIANUS CHRISTOPHILUS VAN TRIGT, Dordracaenus, post privatam defensionem Dissertationis ophthalmologicae *de Speculo oculi*, Medicinae Doctor creatus.

„ 27 „ „ „ ANTONIUS JOANNES D'ALLY, Amstelodamensis, post publicam defensionem Dissertationis medicae, *exhibens nonnullos peritonaeitidis casus*, Medicinae Doctor.

„ 1 „ Julii „ ADOLPHUS FREDERICUS DE LESPINASSE, Hasseleto-Transisalanus, post privatam defensionem Dissertationis obstetricae *continens quaedam de Chloridi formyli in acte obstetrica*, Medicinae Doctor creatus.

„ „ „ „ „ ARNOLDUS DANIEL RENEMAN, ex urbe Almelo, post privatam defensionem Speciminis academici *de depressione et extractione cataractae inter se comparatis*, Medicinae Doctor creatus.

„ „ „ „ „ FREDERICUS CORNELIUS VAN OPDORP, Bergensis ad Zomam, Medicinae et artis Obstetriciae Doctor, privatim defensis quaestionibus, Chirurgiae Doctor creatus.

„ 2 „ „ „ GERARDUS CORNELIUS PETRUS DE RUITER, Rhenotrajectinus post privatam defensionem Dissertationis

physiologico-medicae *de actione Atropae Belladonnae in iridem*, Medicinae Doctor creatus.

d. 24 m. Oct. 1853. Arnoldus Daniel Reneman, ex urbe Almelo, Medicinae Doctor, privatim defensis Thesibus, Obstetriciae Doctor creatus.

" 18 " Nov. " Cornelius Joannes van Persyn, Koudekerka-Batavus, Medicinae et artis Obstetriciae Doctor, privatim defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor creatus.

" 16 " Dec. " Guilielmus Nicolaus Koopman, Rheno-trajectinus, Medicinae et artis Obstetriciae Doctor, privatim defensis Thesibus, Chirurgiae Doctor creatus.

" 17 " " " Leonardus van Loenen, Rheno-trajectinus, post privatam defensionem Dissertationis Medicae *de contagio morbi syphilitico inprimis secundarii*, Medicinae Doctor creatus.

" 22 " " " Adolphus Fredericus de Lespinasse, Hasseleto-Transisalanus, Medicinae Doctor, privatim defensis Thesibus, Obstetriciae Doctor creatus.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI,

INDE A DIE XIII OCTOBRIS MDCCCLIII AD XII OCTOBRIS MDCCCLIV,

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.
J. A. C. ROVERS.
J. J. PH. VALETON.
J. A. C. VAN HEUSDE.
G. J. A. JONCKBLOET.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. NIENHUIS.
J. H. PHILIPSE.
C. STAR NUMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

J. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
J. HISSINK JANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
J. GUIL. ERMERINS.
NICOL. MULDER.
GUIL. A. ENSCHEDÉ.
P. J. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
GUIL. MUURLING.

LECTOR PAEDAGOGICES.

GUIL. HECKER.

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS

ORATIO

DE

AETATE NOSTRA HISTORIOLOGIAE FAUTRICE:

PRONUNCIATA GRONINGAE

A. D. XII M. OCTOBRIS A. MDCCCLIV,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES.
CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES EXOPTATISSIMI.

Nullum umquam Academiae Rectorem parum lubenter tempus memorantem audivi, quo fasces successori traderet. Neque tamen gaudium, quod animo praecipitur, curis vacuum est. Etenim sollennia, quae festo illo die celebrantur, non votis continentur pro Academiae salute nuncupandis, nec iunctis dextris alter alteri hanc sedem honoris cedit; sed postulatur rerum, quae Academiae per integrum annum in utramque partem evenerunt, commemoratio. Quam si oratio non antecedit, parata est reprehensio eorum, qui, quantum nos iis tribuimus, tantum ipsi avitae tribuunt consuetudini. Et haec quidem oratio habenda est Latine; unde ab his dapibus, quae Senatui Amplissimo variarumque disciplinarum tum Doctoribus tum Studiosis parantur, arceri necesse est permultos, quorum tamen plurimum interesse perhibetur oratorem audire, ut, qua sint humanitate, eius solitudinem in maximam convertant audientium celebritatem. Quod si statuere liceret, ipsam illam linguae Latinae intelligentiam eorum, in quibus Rectorem acquiescere oportet, auditorum ingenia ita paullatim obtudisse, ut ampullas et sesquipedalia non amplius animadverterent, ne biduo quidem tota constaret hoc magistratu abituri praeparatio. Sed quum de hac suspicione nondum omnibus persuasum esset, quumque ipse eos etiam affore nossem, quorum de egregia perspicacitate haec studia nondum quidquam detraxisse appareret, meum esse putavi tertium huic biduo quartumque diem addere, ne venia erranti mihi negaretur. Huius idcirco dulcissima spe fretus in hunc locum prodii, primum de argumento verba facturus, quod neque a temporibus nostris seiunctum et vero coniunctum

cum studio Historiae, cultissimum quemque allicit et invitat, ut, balbutiente oratore, ad placidam rerum utilissimarum meditationem se, tamquam in portum, conferant. Dicam enim de

aetate nostra Historiologiae fautrice.

Antequam meam hac de re sententiam explicem, non committam, si qui forte in hoc titulo haerent, eos ut parum curare videar. Quod igitur Historiologiam dixi, tuentur hoc vocabulum exempla et auctoritas similium in vario eruditionis genere vocabulorum, veluti Geologiae, Pathologiae tum medicae tum literariae et, ne a diuturno usu frequentatis novissima divellamus, Theologiae et Histologiae. Usus autem eo vocabulo sum ad indicandum illud, quo exquisitam Historiae scientiam consequamur. Historia continet ea, quae acciderunt. Horum vero quum iusta intelligentia quaesita sit, inde doctrina effloruit; sicut quoque ars exstitit probe intellecta sic describendi et exponendi, ut alii in eiusdem suavitatis communionem veniant. Haec demum iure suo dicitur *Historiographia*, illa *Historiologia* audit. Nos autem, omissa altera, quam Guilielmi Humboldtii et Gervini [1]) monita ex vero suspicere docent, aetatis nostrae contemplemur erga alteram favoram. Quem tamen quum in hac temporis brevitate non sic exponere possim, ut nulla vel argumenta desiderentur vel exempla, sinite, quaeso, A. A., praecipua quaeque ad pauca capita revocari, quo ipsi, alii quidem alia, referatis, oratoris aut prudentiâ aut imprudentiâ praetermissa.

Itaque, ut hinc ordiar, fundamenta Historiologiae iacit Critica, quae in iis, quorum memoria prodita est, cautissime circumspiciens, singula aurificis statera examinat. Viget illa indagandi libertate plurimumque delectatur, si quid novae materiae affertur, quo plus firmitatis operi accedere possit. Iam vero non est dubium, quin annuat actas nostra, quippe quae nec παῤῥησίᾳ caret in rerum traditarum fide exploranda et studio flagrat novos earum fontes conquirendi.

---

[1]) W. von Humboldt, *über die Aufgabe des Geschichtsschreibers* in *Gezammelte Werke*, Bd. 1, p. 1. Gervinus, *Grundzüge der Historik*.

Huius παῤῥησίας vim primum cognovit veteris aevi maximeque civitatis Romanae memoria, inque acerrimos illius vindices merito refertur Niebuhrius. Quod dicenti mihi haec in mentem veniunt tamquam extrema. Seculo quinto decimo Laurentius Valla, aetatis suae decus et ornamentum, quum Livium in Tarquiniorum genealogia secum ipsum pugnare contendat, apud Pontificem Romanum *Βλασφημίας* in Livium accusatur [1]). Nostro seculo Niebuhrius Livianarum ceterarumque de prisca Roma narrationum stragem edens novamque civitatis Romanae imaginem excogitans, non quidem propterea omne punctum fert, sed, quam in clarissima luce ponit de Romae fatis quaerendi dubitandique libertatem et necessitatem, hanc intelligunt penitusque sentiunt erectioris indolis historici, iidemque praecipientem probant „de perspicuis nec rerum hominumque naturae contrariis veterum institutorum notionibus animo complectendis." Verum secula inter utrumque media, vel etiam tempora ab aetate nostra minus remota, nihilne tulerunt, quo ad necessitatem illam aliquando agnoscendam propius accederetur? Hoc credat, cui ignoti sunt Glareanus, Cluverius, Bochartus et vero Perizonius nostras, augurantes certe dubitandi de his rebus salubritatem: credat, qui Baylii, Viconis, Beaufortii, multum licet inter se diversa, placita non exploravit ideoque superioris investigationis vim in Fergusoni, in Levesquii, in aliorum scriptis neglexit: credat, qui Wolfii Prolegomena in Homerum et Kantii philosophiam nihil quidquam continuisse suspicatnr ad criscos, quae instabat, gravitatem commendandam. Profecto non defuerunt prorsus, quae excellentissimo Niebuhrii ingenio prodessent, exempla et monita; habuerunt eius aequales, quorum disputatione meditanda mentem ipsi suam stimularent et erigerent, ut, quod in illius opere gravissimum esset, hoc paullatim et amplecterentur et alio transferrent et docendo scribendoque commendarent. Sic a tenuibus initiis ortum et lento gradu, ut fieri in causis gravioribus solet, progressum illud est, quod tandem ipso aetatis nostrae iudicio fulciretur. Ex eo tempore in varios historiae antiquae locos singillatim inquirere, veterum historiae scribendae normam acutissime indagare, petere ab iis severam sententiae rationem eorumque argumenta

---

[1]) Vallae *Lucubrat.*, p. 404, eiusque *Disp. ad Alphonsum regem, de Tarquiniis, adversus Livium*, in ed. Drakenb., V. VII, p. 150.

ad obrussam exigere placuit. Neque neglecta sunt, temporibus egregie hortantibus, secula a praesenti aetate minus remota. Quamquam ut in antiquioribus, sic in his ipsis multa supersunt, quae criseos diligentiam requirunt.

Sed hîc, A. A., vocabulo usus sum multis, ut opinor, grato. Criseos *diligentiam* se malle dicunt quam *libertatem*. Quasi vero eae, quarum arctam optamus necessitudinem, indole ipsae sua, ut aqua et ignis, distent. — Verumtamen haec, aiunt, quam tu probare videris, libertas torrentis instar, quum „sternit agros, sternit sata laeta boumque labores", sic praecipiti impetu ruit: non differt a licentia: spreta testium fide, dicunt isti quidquid in buccam: si Romulo tantum carendum esset aut Mucii in comburenda dextra animo intrepido, taciti ferremus horum heroum desiderium, ne liberi nostri, sua scilicet sapientia elati, nos parentes irriderent: sed seriem adeo virorum illustrissimorum ad personas, si Dîs placet, mythicas aut symbolicas referri, sed plures omnis aevi honestos viros laudibus privari, extolli homines nequam, hoc sane non ferendum est. — Bona verba, quaeso. Est haec indignatio Quinti Ciceronis, reprehendentis tribunitiam potestatem. Sed opportune ea recordor, quae dulcissimo fratri Marcus respondet: iniqua est in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio vitiorumque selectio; esto in illa *libertate* quiddam mali, sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non habcremus. Est autem illud bonum eiusmodi, quo nihil melius Historiologiae excogitari possit. Etenim hoc consecuti sumus, ut certius appareat, quaenam nobis sit rerum gestarum *cognitio*, quo *scientiae* gradu simus. Si qui ad extrema ruere cupiunt, si in opinionum splendore et audacia ingenii sui divinitatem osculantur, quis tantas iis invideat delicias? Sed in aedificanda domo si parietes et tectum superstruuntur fundamentis non diligentissime cognitis, praestare firmitatem aedificii nemo potest. Non differt causa doctrinae, quae, ne gravissimo muneri desit, *factis* niti debet, quorum auctoritas quam minimum lateat. Hoc probe intelligere aetatem nostram, declarat etiam assidua illa novos rerum fontes indagandi cura.

Multi vestrum meminerunt vocem eorum, qui ad varia *Actorum* genera undique diligentius conquirenda et exploranda incitarunt. Haec autem vox quanto studio ab intelligentissimo quoque excepta est! Ut ab eo tem-

pore paullatim in variarum regionum provinciis et urbibus viri docti, tum publice ad id invitati tum societate iuncti, in bibliothecarum latebras, in tabularia aedium sacrarum, monasteriorum et curiarum, in scrinia principum hominumque veteris prosapiae oculos convertcrunt et multiplici, quod identidem cognoverant, Chartarum generi describendo, disponendo, discipulis in schola explicando edendoque operam navarunt! In iis autem ab interitu servandis multorum hodie diligentia prope aequare pristinam negligentiam videtur, qua quis definiat quoties piper chartis amictum sit non, ut ille ait, ineptis, sed auro pretiosioribus. Haec fontium cura amplissimorum exstitit consiliorum auctor, quibus vasta debentur maximoque labore condita opera. Hinc praesertim, ut splendidis utar exemplis, Corpus Inscriptionum Graecarum auctoritate Academiae litterarum regiae Borussicae a Boeckio editum: hinc societas aperiendis fontibus rerum Germanicarum medii aevi, cuius auspiciis Pertzius monumenta publici iuris facit Germaniae historica: hinc sylloge documentorum historiae Francicae ineditorum, cuius editione regi Ludovico Philippo commendanda Guizotii disciplinarum historicarum amor suam ornavit institutionis publicae praefecturam. Scio, nondum omnibus horum bonorum dominis persuaderi posse, ea ut in lucem proferri sinant. Alios vis inertiae premit: aliis metus gloriae illustrium maiorum religionem iniicit: fuit nuper, cui thesaurum suum (?) ea lege civitati donare placeret, ut Liberi Baronis dignitas praemium esset donationis [1]: sunt etiam, qui sibi priorum temporum tenebras potius quam lucem prodesse putent, non tamen, si quid video, inexorabiles futuri, quippe non omnino *ἀδωροδόκητοι*. Verumtamen bene sperare haec iubent tempora, quibus abhinc annos decem ipsa Septimancae claustra cesserunt. Perspicua est argumenti vis. Ad huius enim arcis Hispanicae thesauros aditus non tantum Robertsono, historiam Americae cogitanti, exterisque ante Gachardum omnibus negatus est, sed ipsis indigenis, etsi historiographi regii titulo ornatis, ita prope praeclusus fuit, ut per tria secula unus modo e Chartis ibi asservatis profecisse tradatur [2]). — Haec autem

[1]) De Bavay, *Procès du Comte D'Egmont, et pièces justificatives, d'après les manuscrits originaux trouvés à Mons. K. en Letterb.*, 1854, N°. 26, p. 206.

[2]) Gachard, *Notice historique et descriptive des Archives Royales de Simancas* in *Correspondance de Philippe II*, Vol. 1, p. 49 sqq.

memorans, lenissimam audio reprehensionem: videri illam aetatis nostrae in novorum fontium indagatione curam, quamquam laudabilem, prudenter tamen regendam esse, ne ipsa, inveniendi spe modum excedens, persaepe decipiatur, nam fieri non posse, quin plurima aliunde nota afferantur. Facilis est, A. A., et expedita responsio. Cognita afferri, saepius gaudio est quaerentibus non quid novi, sed quid certi sit. Vultisne exempla? Duo succurrunt haud inepta. Herodoti in primis fide didicimus, Cyrum et Cambysen priscos fuisse imperii Persici reges. Contra haec ante hos novem annos subtiliter acuteque disserens Georgius Dux Mancestriensis [1]), persuasit nonnullis, principes illos et serius vixisse et potius praefectorum regiorum munus obiisse quam reges fuisse *αὐτοκράτορας*. Videtis, primam historiae Persicae aetatem prorsus immutari. Sed interea a Rawlinsono descripta erat inclusa illa Behistani Inscriptio, quam Darius Hystaspis filius sub annum quingentesimum quintumdecimum praerupto ad fines Persiae saxo inculpi iussit. Iam, huius parte explicita, ipsum regem Dáryawush de utroque decessore suo loquentem audimus et ita res suas narrantem, ut Magi quoque coniuratio huiusque caedes, a nonnullis ad traditiones populi relatae, commemorentur [2]). Quae in his nota occurrunt, ecquis sanus negligit, neque potius gaudet, haec eo confirmata esse modo, qui modus omnem sustulit dubitanti locum? Alterum exemplum aetatis est recentioris. A pueris accepimus, Ducem Albanum crudeliter saeviisse in maiores nostros. Verum iterum percrebruit sententia, iniquum ferri de hoc viro deque rege Phillippo iudicium; caedibus et publicationibus bonorum tamquam remediis paulo acrioribus aegrotantis populi saluti subveniendum esse; utrumque pariter atque praefectos ipsorum summo eum dolore suo carnificis opera uti consuevisse. Sed ecce Literae eorum variique generis Chartae et Acta iudicialia e locis abditis, ex ipsis ruderibus turris, in urbe Monte Haenoviae ante biennium vetustate collapsae [3]), in lucem protrahuntur. De animo paterno silent, nisi forte clamare censentur, quo-

[1]) *The times of Daniel, chronological and prophetical examined*, by George Duke of Manchester.

[2]) Benfey, *Die persischen Keilinschriften*, et Vaux, *Niniveh und Persepolis*, übers. von Zenker, p. 281.

[3]) Altmeijer, *eene Hulp-regtbank bij den Bloedraad*, vert. door Uden Masman Jr., p. 103.

ties fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps; eorum contra, quae veterem sententiam pepererunt, testes sunt locupletissimae. Itaque id nos in lucro deputamus, cognita illa et trita non amplius niti iudiciis adversariorum, quorum errores paene cum lacte matris suxisse perhibemur, sed ipsis niti auctorum testimoniis, quae hi frustra crassis tenebris circumfuderunt. Aut fallor aut confidere his monumentis licet. Quamquam haec non ita a me disputantur, ut parum novi nobis impertiri existimem. Et contra statuo et plurima eorum, quae hoc nomine se commendant, gravissima esse contendo. Quod si singillatim persequi vellem, tempus me citius quam argumentum deficeret. Nam sive patriae nostrae res cogitamus illas, ad quas mentione Philippi sponte deferimur, sive Carolum spectamus eiusdem patrem, sive sacrorum, cui suo uterque modo restitit, emendationem vel etiam eos attendimus, quorum fata ab hac conversione non omnino separari possunt, Mariam Stuartam, Gustavum Adolphum, Cromwellum, alios, sive recentiora animo obversantur, ubique, ne Turcarum quidem imperio excepto, in ea incidimus, quibus ex huiusmodi monumentorum studio lux tum affulsit tum merito speratur. Neque seculis proxime exactis contineretur oratio, sed per plures percurreret medii aevi partes, quae post Robertsonum et Hallamum ad Grimmios fratres simili ornatae sunt ex limpidis fontibus hauriendi cura. Quid, quod eadem in antiquitatem recederet, non tantum Inscriptiones tum Asiaticas tum Graecas Latinasque memorandi causa, sed omnium maxime ut ex gravissimis iisque admodum arduis varii generis laboribus studiisque aetatis nostrae in aperiendis fontibus alacritatem ostenderet? Priscae Aegypti rudera volo, silentium rumpere coacta: fructus dico itinerum in Asiam Occidentalem maximeque in Lyciam susceptorum: et vero reliquias intelligo Niniviticas, in posteritatis tamquam conspectu poni coeptas. Etenim, si aedes regiae eaeque splendidissimae post viginti quinque secula solo eruuntur et gentis antiquissimae in cultu et humanitate progressus, quos ne suspicati quidem eramus, innotescunt; si hinc necessitudo artis orientalis et occidentalis, si chronologia et interpretatio Codicis Sacri aliaque plura lucem capiunt; denique si in his non fortuna dominatur, sed cognoscendi amor, omnium contemtor difficultatum, primas agit, ineptum est huc transferre poëtae illud „quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?" Ego contra sic col-

ligo et concludo: quum aetas nostra summa ope nitatur, ut Historiologiae fundamenta cognoscantur, firmentur et amplificentur, huic illa plurimum favet.

Sed eadem quaeritur num hoc ardore adeo delectetur, ut suo se munere functam esse censeat, parum curans, quaenam his fundamentis superstruantur, aurum, argentum, gemmae, an vero fenum et stipula? Dicam, quod sentio, eoque lubentius, quo facilior haec est ad *ipsam* Historiologiam via. Et mihi quidem cogitanti, quid diutissime in rerum gestarum cognitione praecipuum visum sit, bella occurrunt et fata principum et politica gentium conditio atque necessitudo. Haec quo arctius suis singula causis nexa suoque effectu tamquam stipata in scriptorum operibus prodibant, eo maior ad ipsa tempora intelligenda progressio facta esse censebatur. Quod vos, A.A., vereor ut probetis, sic, nisi multum fallor, statuentes, in his, licet minime contemnenda sint, non tamen ad rem difficillimam assequendam posita esse omnia. Nam saepius hominum liberaliter eruditorum sermones indicant, alia exstare multa, quae iis diligenti commentatione summaque investigationis assiduitate digna videantur. Hos tenent ordinis plebeii in civitate partes et quaevis commutatio, quam affert vel praesagit suarum in eo virium conscientia: illi artes et literas undecumque allatas in orc habent, laudantque et has humanitatis testes et, eodem nomine praedicandas, linguarum quarumvis reliquias tum etiam traditionum, rituum, institutorum, morum, iurium et opinionum nullius non seculi varietatem: multis mentio soli, officinarum, mercaturae, institutionis et disciplinae popularis eorumque omnium, quae tam in incolarum conditione et civitatis salute quam in coniunctione gentium vim habent, adeo grata est, ut, quo se animo et cogitatione convertant, facile appareat. Sed animadvertitis, A.A., nos, quaerentes de aetate nostra, incidisse in medias res. *Ipsa* enim horum omnium momentum urget: *ipsa*, quamquam suum cuique esse probat in quo elaborct, improbat eorum, quae alii tuentur, vel despicientiam vel negligentiam: *ipsa* ad nullarum non linguarum studium earumque inter se comparationem invitat, hoc probe tenens *quot quis linguas callet, toties est homo*, nec vero praetermittens, in his velut in speculis gentium cerni ipsiusque hominis naturam: *ipsa* intelligens, quoties

in rerum gestarum descriptione tempora tum ex inscientia tum ex iudicandi temeritate permixta sint, suum singulis temporibus locum et colorem rationemque propriam et ab aliis aetatibus discretam tribui iubet: *ipsa* denique, quippe iuncta aetati illi, qua, *novus*, aiebant, *seclorum nascitur ordo*, multa tulit malis quidem mixta bona, sed consuetudine sanctis opposita et idcirco ad mentem varic movendam eamque, rerum usu exercitatam, facilius alio transferendam aptissima. Memorabilis est Quineti sententia de rerum usu deque studio hominis, aequalis nostri, fructuosissimis ad tempora diligentius exploranda a nostris non nimis aliena [1]; sed memorabilius est cxemplum Niebuhrii, qui, quantumcumque doctrina vim promovit insitam, e muneribus tamen publicis omninoque e schola vitae politicae in eum Berolini traductus est locum, quem continuo luculentis illustravit de conditione Romanorum politica disquisitionibus [2].

Iam vero horum omnium memores, ipsam spectetis quaeso doctrinam iuste intelligendi ea, quae acciderunt. Hanc enim Historiologiam diximus, et has providimus quaestiones: *Quaenam* accidisse, *quando* haec iuste intelligi ea doctrina censet?

Nemo vestrum in legendis praecipuis de Historia operibus locum neglexit, quem institutis populorum publicis et privatis tribuunt scriptores. Alios omitto. Sed Schlosserus et Groteus quam diserti in hisce sunt! Quantas partes moribus, vitae publicae, artibus et literis tribuunt! ille tamen titulo operis ad haec praeparat argumenta; hic vero nihil aliud nisi historiam Graeciae se scripturum esse professus, similem requiri putat argumentorum varietatem. Talia legentes, testes nobis audire videmur illorum, quibus hodie suus constat honos, pariterque interpretes vocis *facta*. Pericles in horum numero est, optimatium consilia frangens, proelio decertans cum Spartanis, industriam promovens, civitatis reditus administrans eamque sibi vindicans auctoritatem, ut Athenis, ipso moderatore, nomine democratia, re autem principis viri imperium esset: sed Pericles quoque huc pertinet *ὁ φιλόκαλος*, tantum patriae splendorem concilians, quanto Musarum illa sedes cvasit et *Ἑλλάδος Ἑλλάς*: et ipsa illa huc pertinent Musarum opera,

[1] *Rev. des deux mondes*, Mai 1854.
[2] *Lebensnachr. von B. G. Niebuhr*, Bd. 1.

una cum gentis sermone eximiae pulchritudinis monumenta, iuventutem generis humani spirare visa, certissima humanitatis indicia. Neque ea, quae ingenii animive sunt, in accessionem veniunt vel ornamentorum causa conferuntur; sed in iis, quae acciderunt, eo graviorem locum tenent, quo efficacius fere reliqua provocant et moderantur. Nam iusta omnium intelligentia agitur, quae, Historiologia iudice, quando parata est? Si nocturnis chartis impallueris infinitamque rerum copiam, e fontibus haustam et Critica expurgatam, mente comprehenderis? O felicem illum, cui constans et perpetua discendi cupido hanc scientiam largita sit! Nam ipsa quidem non est ultimum illud et extremum quo referantur omnia, — quod cum Rankianae scholae reprehensione monuit Schlosserus, — sed ex ipsa tamen efflorescit ampliora consequendi facultas, spes omnino, studio insinuandi temetipsum in variorum temporum indolem aucta, fore ut mentis oculo ipsam cernas gentium vitam. Haec demum vel iusta intelligentia dicenda est vel effectrix eius et certissimum argumentum. — Sed eo, inquit, principes quoque narrationum fictarum scriptores nostra aetate sibi tendendum esse statuunt. — Sit ita. Nihil hoc ad rem praesentem, quamquam inquirendi diligentiam probat studiorumque, in quae illi scriptores incumbunt, gravitatem. Quarum quidem laudum fructu quantopere, ut his utar, *Charikles* Beckeri *Iter Anacharsidis* superat a Barthelemyo conscriptum! Equidem, si de Historiographia agerem, earum exponere conarer narrationum indolem, quae ab Historia nomen habent, ut neque varia scriptionis genera neque modum me confundere appareret, quo singulae mentis vires in iis praesto esse debeant. Nunc autem id tantum habeo quod respondeam, ex illo scriptorum numero eos certo suspiciendos videri, quos falsas historicorum opiniones erroresque diuturnos detexisse et sustulisse novimus; cuius rei exemplum ab Aug. Thierryo e rebus Angliae seculi undecimi affertur ipsi unum in paucis iucundum [1]). Sed illuc revertor. Iustam illam, quam indicavi, intelligentiam qui expetit, mirctur necesse est, praestantissimo rerum An-

[1]) Pour tous ceux, qui avant ces derniers temps, ont traité l'histoire d'Angleterre, il n'y a plus de Saxons après la bataille de Hastings et le couronnement de Guillaume-le-Bâtard; il a fallu, qu'un romancier, homme de génie, vînt révéler au peuple anglais que ses aïeux du onzième siècle n'avaient pas tous été vaincus dans un seul jour. Aug. Thierry, *Hist. de la conquète de l'Anglet. par les Normands*, Introd. p. XVI.

glicarum scriptori, qui in domos introducit aequalium Caroli secundi, huiusmodi excidisse verba: — equidem non recusabo, quo minus neglecta mihi exprobretur Historiae dignitas, dummodo contingat, Anglos seculi undevicesimi accurata donare vitae maiorum imagine [1]). — Quis enim mentis compos exprobrabit? Aut quae est observantiae erga severam doctrinam negligentia, modo, quorumcumque e vita illa mentio fit, neque futilia haec sint et studium appareat ea sic in lucem veritatis proferendi, ut ne in forma quidem ficti quid aut exornati accedat? Sed fortasse, de pristina ephemeridum, cauponarum viarumque conditione, de reditibus publicis, de itinerum difficultatibus, de audacia praedonum, de nocturnis tenebris quae narrantur, in Anglia sunt qui parum curent? *Si* tamen omnes curarent: *si* homines natalium splendore conspicui cogitarent, maiores suos iis caruisse vitae commodis, quibus hodie ipsorum famuli fruuntur: *si* liberi eorum tenerent, olim lauti patrimonii heredes vel equisonibus et silvae custodibus usos esse magistris vel ex meliore diciplina in villam paternam reduces praecipuam operam navasse explorandis frumenti speciminibus, contrectandis porcis lupoque et pecori inter cerevisiae cantharos emendis: *si* Ecclesiae ministri illorum meminissent, qui eo tempore ruri domesticis nobilium sacris praepositi, in horum domo etiam cursoris publici munere fungebantur, equos rhedarios pectebant et Armeniacas alligabant, coenae autem tamdiu intererant, ut carne salsa et carotis vescerentur, bellaria ex angulo cubiculi adspicientes indeque a patrefamilias arcessiti ad gratias agendas pro coena omnibus praeterquam ipsis dubia: talia igitur horumque in aliis regionibus non omnino dissimilia *si* alii alia mente volverent, haud scio an pauciores essent temporis acti praecones. Quod non dico, A. A., seculi nostri amore abreptus; — quamquam *nos* e Republica Platonis detrusos videri ad faecem Romuli, submolesta est cogitatio: — verum hoc diligenter animadverti cupio, quanti facienda sit uberrima rerum scientia, ne in temporum comparatione nubem pro Iunone amplectamur. Illa multum abest ut de omnibus temporibus aut iam praesto sit aut aeque comparari posse videatur. Hinc Historiologia, quantumcumque ei prodest aetas nostra, neque ipsa temeraria est et sui studiosos rogat, ne inepti

[1]) *The History of England* by Th. Bab. Macaulay, V. 1, Ch. 1, p. 3.

esse velint: quemadmodum in aequalium, in amicorum, in sua ipsorum vita sint, quae ipsos fugiant, ita in vita gentium et generis humani talia haud deesse: acquiesci oportere in spectaculo suis saepe finibus circumscripto, sed iucundo tamen et gravi, quo iis sic fruendum sit, ut imaginis, quae ante oculos ponatur, lineamenta atque formas, habitum et commutationes hasque ipsas tum orientes tum crescentes tum alio declinantes diligenter intueri conentur. Ardua, quae pulchra, A. A. Haec enim intuendi diligentia quantam in doctissimo quoque postulat variarum mentis virium sanitatem et *ἐνέργειαν*, quantam ipsius vitae intelligentiam quantumque in primis veri amorem, ne complura eo maxime colore splendere censeantur, qui votis consiliisve tuis maxime faveat! De Thierryo, notissimo temporum Merovingicorum scriptore, hoc exstat iudicium: eius opere similiter afficimur ac si iuvenis seculi undevicesimi ingenio excellens cognitis omnibus de Francorum historia disquisitionibus, Galliam seculi sexti peragret et in Itineris sui descriptione omnia, quae animo candido vidit sensitque, oratione exprimat [1]). Non igitur in alia tempora sic te recedere oportet, iis ipsis ut vivere videaris, unde nihil quidquam probare discas, quod non ipsorum sit; sed ea te tam procul quam prope intueri, id est, conscium eorum, quibus tua te ornavit et imbuit aetas, aliorum temporum vitam adspicere oportet. Et haec quidem Historiologiae monita non tantum prudentiae laude se commendant, verum aliquanto pluris sunt, quam illi opinantur, quibus rerum gestarum, ut aiunt, cognitio necessarium videtur aliarum doctrinarum subsidium. Sed Historiologia non illarum, quae ipsius indigent, auctoritate ancillae instar nititur: ipsa per se viget et, licet multis utilissima doctrinis, hunc tamen respuit utilitatis titulum et honorem. Hoc si quis propter aureum illud *cui bono* improbat, cogitet velim, quantum homo praestet doctrinis. Has Clar. De Candolle praeclare dicit regio honore colendas esse, ut *se ipsae* praebeant generis humani ministras. Iam vero hominem curat illa, quae longe alio quam vulgari illo sensu magistra

---

[1]) Havemann in *Gött. Anz.* 1842, St. 125, p. 1245. Scio, non prorsus eodem redire iudicium Loebelli in *Gregor von Tours und seine Zeit*, p. 21. Sed attuli illa verba non tam scriptoris, in cuius praeclaro opere vitia animadvertas virtutibus vicina, laudandi causa, quam ut meam de ipsa re sententiam perspicue explicarem.

vitae est, quodque omnium maxime exoptat, huiusmodi est, ut ex generis humani contemplatione intelligatur, quaenam per gentium et sceulorum cursum facta sit ad humanitatem progressio; unde, quem cultus gradum nos ipsi teneamus, quid aetati nostrae desit quareque illud desit, perspicue efficiatur. Dicunt sapientes, cognitionem sui ad vires intendendas stimulare. Itaque, hac parata, non desperandum fore ut, missis iis, quae a tergo sunt, in ea constantius prospiciatur, quae sunt a fronte, si forte collineari possit.

Finem orationis cogitanti, velut frenos mihi iniici sentio. Agnosco eos, qui a Philosophia Historiae summa omnia exspectant, et eos, quibus contemplationem Historiae ad religionem Christianam revocare placet. Neutri, se silentio praetermissis, orationis cursum confici existimant, utrique, plurimum dissentientes, consentiunt in vestra, A. A., patientia tentanda.

Nostis de sententia multorum, qui Philosophiam Historiae celebrarunt, enitendum esse, ut ex gentium rebus ratio perspiciatur certae illius legis, qua mens, in Historia non minus quam in mundo conspicua, res humanas gubernet. Quomodo haec sententia in Hegelii schola diligentius exposita sit, ibique finita concientia sui tollatur et absoluta cogitandi vis regere tum singulorum tum generis humani vitam censeatur, nunc tradere non licet. Verum illud nobis animadvertendum est, iudicibus nonnullis eorum, qui Hegelii decretis explicandis et corrigendis delectantur, inde non modo praeteritorum intelligentiam pendere, sed futurorum etiam non suspicionem sed scientiam oriri. Perspicitis, hîc non spectari arctam illam temporum necessitudinem ex rerum hominumque natura ortam, quam pulcherrimis declares Wyttenbachii verbis: „praesens aetas parturit futuram: causae rerum, quae aliquando fient, iam magna ex parte nunc adsunt, coeunt paulatim, donec ultima quamvis exigua accedente, numerus mensuraque earum expletur, et effectus in lucem proditur [1])." Sed quid spectetur, Cuvierii in alia doctrina exemplo declaratur. Acer ille et diligens naturae investigator sic et leges perspexit fabricationis animalium et eas, quae necessario una adsint, formas tenuit, ut ex paucis ossium fragmentis ani-

[1]) *Vita Ruhnk.* in Wyttenb. *Opusc.* T. 1, p. 527.

malia describeret, praesenti rerum conditione antiquiora. Non aliter comparatum esse statuitur in Historia. Huc enim redit, quam volumus, disputatio: perspicienda est singularum Historiae partium constitutio et colligatio; tum res praeteritae nostra sunt fossilia, reliquiae illae sunt temporis exacti, ex quibus non singulas res futuras praesagiamus, sed vitam praesciamus et cursum humanitatis; in hac enim gravissima causa non veterum instar sensu ducimur, quo divinantur singula: vatum hoc proprium fuit et hanc Paulo Apostolo vocem expressit, vaticinamur *ex parte;* sed ex quo religio Christiana innotuit, veritatis illa in mundo auctor, vatibus uti desiimus, ingenia praesto sunt cogitando nixa; iam sublata sunt imperfecta, neque amplius *videmus obscurius tamquam per speculum, sed ita ut os ori sit obversum. Aperiuntur adeo Danielis libri, qui ad tempus auctae scientiae obsignati forent.* — Quae vestra, A. A., de his sententia sit, equidem nescio. Me vero et alia mirari subit et hanc utriusque fossilium generis similitudinem, quippe qui corporis partium in altero genere necessitatem ab ingeniorum in altero libertate, quidquid contra disputatur, plurimum differre statuam. Verum dubito, A. A., num me, cui vix illud *philosophari paucis* contigit, horum studiorum iudicem feratis. Itaque gaudeo, hîc non de Historiologia agi, sed hanc doctrinam appellari *Historiosophiam:* quemadmodum a Pythagora ad Hegelium philosophiam fuisse, hanc autem in ipso prope ad maturitatem σοφίας accessisse monemur, ita viam accipimus esse munitam, qua Philosophia Historiae suam consequatur Historiosophiae maturitatem [1]). Iterum gaudeo et disciplinarum historicarum reginae de opera gratulor, quam aetas nostra in rebus gestis accuratissime cognoscendis ponit. Quid enim fiat fossilibus illis, nisi ea nullius artificis manu aut confecta esse aut exornata constat?

Aliud est in generis humani historia mentem illam loqui, aliud Deum loqui, quem explicuit ὁ μονογενής. Eos, qui toti in hoc sunt, si dico religionis Christianae vim in populorum conditione diligenter explorare,

[1]) *Prolegomena zur Historiosophie* von August von Cieszkowski, 1838. Quae *Prolegomena*, a Michelcto exquisita tam laudis quam dissensionis significatione ornata in *Jahrb. für wissenschaftliche Kritik*, Nov. 1838, p. 785 sqq., ipse scriptor acutissimus postea sic citavit, ut spem amplioris de hoc argumento operis augeret. Vid. eius liber *Gott und Palingenesie*, erster, kritischer Theil, 1842, p. 14.

parum dico. Quis enim, neglectis gentium sacris, se vitam earum intellecturum esse putat? Sed quod auctorem huius religionis cardinem vocant, in quo Historia vertatur, hoc longe gravius est, miramque habet, si nihil pusilli admiscetur, tum simplicitatis tum sublimitatis laudem. Omnibus autem, quae spectant, gravitate antecellit studium consilia divina in gentium rebus singillatim assequendi. Sic tendi existimant ad Historiologiae fastigium, unde cernens, quemadmodum res eorum, quibus aditu ad summam libertatem haud interdictum sit, divinitus procurentur, non spectaculi particulam videas, sed illo oblectere integro. Praeclarum sane propositum, sed arduum taleque omnino, ut prima sequentem non turpe sit consistere in secundis! Ante hos septem et triginta annos Borgerus e cathedra Leidensi orationem habuit de *Historiae Doctore, Providentiae divinae administro.* Hanc orationem lectitavi, aliorum scripta meditatus sum, Historiae me in disciplinam tradidi cumque eius praeceptis vocem contuli, quam in vitae schola audiveram. Intelligere mihi visus sum, nulla in re ad summa tendenti utilius praecipi *festina lente.* Nam duae obiiciuntur difficultates, quarum altera, si non tolli, certe minui potest et aetatis nostrae studiis et ardore nonnihil nobis visa est levari, altera, semper eadem, habet quod gravitate sua percellat: illa in metu posita, ne consiliorum divinorum interpretatio, quae rupe niti debet, superstruatur arena, haec discrimen spectans hominis et Dei, quo fieri nonnumquam potest, ut utriusque ratio pragmatica aliquantum differat, quin pugnet. Non quaeritur a me *num* res humanae divinitus procurentur. Equidem delector Gustavo Adolpho, qui quum in Borussia ab Axelo Oxenstjerna moneretur, ne audacter se in vitae periculum inferret, ipse tam suum sibi munus divinitus assignatum esse censens quam rerum cursum vita sua circumscribi negans, Deus, inquit, Deus omnipotens vivit [1]). Sed *quemadmodum* illae res procurentur, quid in *singulis* quareque illud Providentia divina agat, quibus legibus et institutis genus humanum regat et temperet, hoc *accuratissime* quaeritur. Qui in haec penetravit tantisque sacris initiatus est, hunc plurimi facio et ab eo discere gestio ut a nemine magis. Qui autem hos nondum fecit progressus, verum in primis elementis occupatus id solum tenet, nihil illi procurationi ad perfectio-

[1]) Geijer, *Geschichte Schwedens.* Bd. 3, p. 247.

nem deesse, is tueatur velim, quamdiu ab Historiologiae fastigio proeul absit, suum illud *ὀλίγον τε φιλον τε* idque omni saluberrimae eommentationis severitate sie roboret, ut, quo plura ad speetaeuli integritatem, eo paueiora ad huius sententiae firmitatem requirat.

Habetis meam, A. A., de aetate nostra Historiologiae fautrice sententiam, brevissime, ut hae temporis angustiae praeeipiebant, deseriptam. Quantum est, ait nonnemo, quod desideramus! Quibus quum non videam quid opponi possit, nihil prius potiusve habeo quam ut vobis, A. A., pro ea, qua me verba faeientem proseeuti estis, benevolentia gratias agam maximas.

Oratione pronuneiata, pergo ad rerum Aeademicarum eommemorationem, cuius qui praeeipuam laudem in diligentia ponunt, dubito num memineriut, quanta de multorum sententia modestiae sit et brevitatis eommendatio.

Studiorum praesidia non tantum integra servantur, verum etiam prudenter augentur et amplificantur. Testis huius prudentiae in primis est Aeademiae Bibliotheea, euius ineremenla in tantis, quantis ea premitur, subsidiorum publieorum angustiis alioquin perexigua essent. Has equidem nonnumquam explieo illis, qui Bibliotheeae inopiam queruntur, addoque de eivium Traieetinorum erga suae Aeademiae Bibliothecam liberalitate et saepius magna et ante hoc biennium tanta, ut a nonnullis ditioribus eivibus tria fere florenorum millia in eius usum eonferrentur [1]). Obstupeseunt et continuo affirmant, se de illa munifieentia eertiores faeturos esse amicos Groninganos, qui sint in sestertio quinquagies aut eenties: prospieiendum enim in primis esse Bibliotheeae, quippe quae omnium diseiplinarum studiosis pariter prosit. — Sie illi, haud immemores tamen eorum Professorum, qui libros Bibliotheeae donarunt, et vero Praefeetum eius a diligentia, humanitate studioque diseentium et virorum doetorum eommoda omni ratione iuvandi exquisitis verbis laudantes. Ceterum obtreetationem, si

---

[1]) Vid. v. c. Rect. Magn. Or. in *Annal. Acad. Traiect.* 1823—1824, p. 45 et in *Annal.* 1836—1837, p. 51 et Opzoomer, Or. *de Philosophiae natura*, 1852, p. 27.

forte aliis studiorum adminiculis lautius prospici fertur, ab horum censorum urbanitate prorsus abesse, non est quod affirmem.

Hortus Botanicus et Musea docentium studiis et institutionis diligentiae inservire pergunt.

Haec de doctrinae in Academia nostra adminiculis, quibus amplificandis quod aliquando multum profuturum esse speramus, Peculium Professorum, hoc anno eum in modum auctum est, ut stipendium Academicum constitui possit. Hoc stipendio si iuvenis ornatur qui studiis proficit nec moribus deficit, habebit Clar. van Hall, ante hos undecim annos, non sane plaudentibus omnibus, peculii condendi auctor, quod sua gaudeat cura et perseverantia, neque eos aut Professores aut veteres Academiae alumnos aut agri Groningani cives, quorum splendidis donis et annua collatione peculium valde crevit, suae poenitebit erga illud liberalitatis.

Sed venio ad graviora, quorum nihil, ut par est, anteponitis huius Academiae saluti. Salva haec est et viget, nondum tamen nullo a perfectione abest intervallo; sed hoc et ipsa pulchre novit et omnes norunt aequi rerumque periti iudices, quorum sententiam non diligentissime perpendere tam turpe ipsi videretur quam haud ineptum iudicaret aliorum vocibus illud opponere: *αὐτὰϱ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδὸν.*

Vehementer gaudemus, hoc anno nullum nobis neque Curatorem morte ereptum esse neque Doctorem Academicum, discipulorum neminem flore aetatis occidisse. Academiae autem Apparitorum honestissimus van der Tuuk, cuius per tres et quinquaginta annos perspectae in variis muneribus sunt fides et diligentia, vix ante de statione vitae decessit quam senio confectus mortem sibi in lucro deputare debuit.

Sed annum sine clade nostra exactum esse, eo lubentius memoro, quia et aliis collegis valetudo minus commoda fuit et tu, Clar. van Deen, gravi conflictatus es morbo. Sed ex eo quum lente convalueras, summo ardore ad Physiologiam tuam rediisti; et hodie animum pascis trium illorum iuvenum virtute, quorum commentationes Quaestionis Medicae, te in primis auctore positae, gravitatem probant.

Utinam magistratus mei tempus non tantum sine clade nostra, sed etiam sine luctu nostro fuisset! Verum vos, Amplissime Wichers et Clarissimi Muurling, Enschedé, Numan et Mulder iis orbati estis sive

cognatis sive affinibus dilectissimis, quos non lugere animi profecto esset duri et ferrei. Et tu, Clar. van Hall, dolore affectus es, eoque omnium fere acerbissimo. Mauritium tuum amisisti, ipsa pueritiae amabilitate vigentem, domus tuae florentissimae delicias. Quid ex hoc dolore te eriget atque reficiet? Tempus, ratio, officiorum multitudo, vita in docendo et discendo utiliter occupata? Admirabilis est et numquam satis praedicari digne potest horum omnium vis ad mentem sensim alio avertendam abducendamque tandem a carissimorum capitum cogitatione. Sed si quis hanc evanescentem illorum memoriam parentibus indignam iudicat: si nobis exoptat, ut liberi hac vita functi pernoctent nobiscum, rusticentur, peregrinentur: si illam nobis commendat dolendi voluptatem, qua vel vestigia illorum legentes, locum quaerimus iocis eorum et seriis dicatum singulaque in singulis dicta et facta meminimus, vel in gravissima doctrinae studia incumbentes, avocamur inde ad imaginem recolendam eorum, qui saepius ipsi nos aut volentes aut non nolentes a difficillimo labore avocarunt; si haec demum contenditur vita esse in desiderio vere vitalis, ecquem ad animum roborandum e scrinio promemus de Consolatione librum? Nullum puto. Viros dedecet ab hominibus petere, quod unus tribuit Deus. Ex hoc fonte ut et in nostro et in omnium, quorum luctum indicavi, animo sententia radices agat: quidquid a Deo factum, bene factum: etiam atque etiam opto.

Ante hos paucos menses te adii, Clar. Hofstede de Groot, ut de die sexto mensis Maii tibi gratularer. Et in alios incidimus sermones et me dicere memini, infixum tibi venis et medullis esse illud *ἐργάζεσθαι, ἕως ἡμέρα ἐστίν*. Nunc autem habeo quae addam. Nam per viginti quinque annos spartam, quam sortitus es, sic ornasti, ut, quod nonnulli suspicati sunt te audientes de *Davide poëta* verba facientem, nunc plures consentiant, virum te esse quinque talentorum. Hoc hominum genus, quod pondere censemus, non numero, quoties multum movet, non sane promovet parum; sed in solem atque in pulverem procedens, omnibus sui, si non cognoscendi, certe spectandi iudicandique opportunitatem parat. Hinc ut integri illaesique decederent, ne sua quidem, si qua esset, perfectione impetrarent; nisi aequabilis accederet et prope divina omnium spectatorum virtus. Nosti, vir Clar., quid sit placere his, displicere illis. Ecclesiae historia hominum tibi *explicuit* in caeli portis tum claudendis tum patefaciendis

alacritatem. Euangelium autem te saniora docuit et porro docebit, quorum fructus ut et vita tua incredibiliter occupata et Academia nostra diutissime capiat, in votis est ut nihil magis.

Nomen tuum quamquam nondum pronunciavi, Cl. Ionckbloet, pronunciare tamen non minus quam aliorum nomen honoris causa potueram, si ex collegarum scriptis aut propria confirmare aut refutare aliena valde aptum videretur. Tu enim doctissimorum librorum scriptor es, et Daventriâ huc vocatus ad literas Nederlandicas et historiam Patriae tradendas, hanc cathedram non tantum Oratione salutasti, verum etiam opere ornasti ampliore, eruditionis et perspicacitatis tuae teste locupletissimo. Macte hac virtute esto, collega honoratissime. Cuncta tibi in vita tam domestica quam literata prospere procedant, eaque Groningae floreas et apud omnes gratia et apud Academiae cives auctoritate, tuis ut auspiciis haec gravissima doctrina in multorum animis iustum sui patriaeque amorem suscitet.

Animadvertitis, optimi Iuvenes, a praeceptoris causa causam vestram non separari. Nam Academiae Rector collegis suis fausta quaeque exoptans, probe novit, quanta in felicitatis parte suae quisque disciplinae fructus ponat. Quamquam, vos intuenti, alia etiam mihi in mentem veniunt. Etenim progressus cogito, quos multi vestrum hoc anno in studiis doctrinae fecerunt, eorumque in primis ex ordine vestro imago ante oculos obversatur, quibus disquisitio publica non est industriae propositum, sed opportunitas progressuum in rebus honestissimis probandorum. Ergo haud desunt nobis, unde alii discant, Academias nondum esse officinas, quibus tirones brevissimo tempore ad artem suam cum compendio factitandam instruantur, sed almam matrem id adhuc agere, ut vos, eius alumni, praeparemini, qui aliquando Iuris vel Medicinae vel aliarum doctrinarum scientia imbuti, et haec studia tueamini et rem publicam in gravissimis rebus ornetis atque fulciatis, et hinc vobis tum honesta vitae subsidia tum laudes comparetis meritis quaesitas. Ego quotiescumque de excellenti Academiae cive cogito, toties mihi in eo videre videor eximiam ingenii animique ad praeclara quaeque conspirationem. In artium et literarum studiis, in amicitiae deliciis, stultitiam adeo consiliis brevem miscens, ita inquirere omnia cupit, ut τὸ καλόν sibi eripi haud patiatur. Illud praesertim tenens, pietatem erga Deum fontem esse sapientiae, saluberrimis paullatim imbuitur

vitae praeceptis, quae cum ingenii ad omnem cultum progressione coalescentia et in sanguinem, ut ita dicam, diffusa, plus certe vigoris addunt maiorisque momenti sunt ut suam quandam et propriam vitam degere discat, quam lepidissima hominum commenta. Si ordinis plebeii est, non pueriliter laudando extollit tempora nostra, neque involare gestit in honorum campum, quem illa hominibus novis aperiunt, sed aetate, quae cito pede labitur, diligenter utens, suum sibi in civitate locum fore confidit et gaudet; si generis splendore spectabilis est, non queritur de incredibili illa ex coeno plebeio emergendi facilitate, neque a Iove petit, quod Deorum hominumque pater procul dubio negabit, ut praeteriti referantur anni, sed genus et proavos eo, quo decet, pietatis sensu prosequens, his, quae non fecit ipse, virtute sua ornamento et decori est, et ea vita est, ut, quidquid aut osores aut amatores vestigiorum ruris ineptiunt, poëtae assentiri videatur: sat habet fautorum semper, qui recte facit. O auream iuventutis Academicae aetatem, in quam non tantum illud transfero: ut sementem feceris, ita metes: sed hoc etiam quadrat: penes te est ita serere, ut messis tibi obtingat laetissima.

His verbis ad vos accedo, Iuvenes egregii, quorum in certamine nostro victoria in hanc in primis incidi comparationem. Vestras nobis obtulistis primitias. De his quae sit sententia nostra, et vobis et auditoribus hisce, pulchri bonique studiosis, ex Ordinum iudiciis constabit, quae te, vir Clar., qui Senatus Academici Acta curas, rogo ut recites.

Iuvenes praestantissimi, quam me delectat haec muneris mei pars, quae ad vos refertur laudibus ornandos! Magistratum meum in eum incidere annum, quo victores in certamine literario his sollennibus interessent, insigni saepe cum gaudio praedicavi. Me iuvene, hoc certamen in ore omnium erat, qui ipsam Academiam diligebant. Intelligentissimus quisque illud ad acuendum ingenium iuvenile alendumque studiorum domesticorum amorem, ad iudicium etiam quaestionum paullo graviorum explicatione firmandum aptissimum censebat; et de eius fructibus si quaerebatur, commentationes memorabantur haud paucae docte, eleganter acuteque conscriptae. Sed secuta est vituperatorum aetas. Quis, aiebant, definiat,

quot bonae spei adolescentes gloriae cupidine ab aequabili studiorum proposito abducantur, in argumenta etiam inepta, nihil certe ad se pertinentia, involent; ab hac adolescentia et in hoc progressuum modo requiritur, ut discatur, non ut scribatur: *apage* istum quaestionum ponendarum morem, cui plures acceptas referimus iciunas et exiles commentationes. — *Apage* sonuerunt ii, quibus splendidae in Academias impensae tandem aliquando coercendae videbantur, metuentes, ne haec largitio fundum non haberet. Nostis cetera. Sed abrogato tandem certamine literario, fuerunt in Academiarum Professoribus, qui illud, quamquam, ut sunt humana, non omni numero absolutum, gravissimum tamen et de ipsorum sententia vere Academicum, studiorum praesidium instaurandum censerent. Mox uni alterique Ordini sua auctoritate Quaestiones ad disceptandum ponere placuit. Quorum numerus, pluribus Ordinibus in eandem sententiam abeuntibus, paullatim crevit, non tamen improbantibus civitatis illo tempore gubernatoribus, postea autem adeo probante rege Guilielmo III, ut ipse Professoribus significari iuberet, sibi gratissimum fore, si hic praemiorum egregiis iuvenibus offerendorum honos ab iis ad se tranferretur. Nihil vidimus regia munificentia dignius. Hac autem liberalitate quum Academia Groningana hodie primum fruatur, nos eam lubenter coram vobis, optimi Iuvenes, celebramus; nec vero Augustissimi Principis verba silentio praeminus, Groningae ante hoc biennium pronunciata: *sibi Academias curae esse.*

Te honorifico hoc loco adspicere, dilectissime Homan [1]), suavissimum omnibus accidit, quorum usus es disciplina. Novimus tuam industriam scientiaeque accuratae cupiditatem, et admirati constantiam studiorum sumus, qua vix fratri cedis, optimo Academiae nostrae alumno, cuius in vario doctrinae genere progressus iuventuti Doccumensi ad ingenium animumque excolendum prosunt. Accipe hoc operae in Homero tuo positae

[1]) Quaestio Ordinis Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum prima: Ilias Homerica ita exploretur, ut, adhibito opusculo, quod inscribitur: *Betrachtungen über Homers Ilias von* Karl Lachmann mit *Zusätzen von* Moriz Haupt, *Berlin* 1847, consultisque iis, quae de huius scriptoris sententia continentur libro: *die Sagenpoesie der Griechen, kritisch dargestellt* von G. W. Nitzsch, *Braunschweig* 1852, 1853, ratio et compositio eius diiudicentur.

testimonium. Sed quandoquidem poëtae, si modo unus est dicendus vates qui tibi exquisitae exstitit voluptatis fons, maiores etiam gratias agere decrevisti, per Homerum, quem in oculis fers, oro te, ut Socratis meminisse velis, qui non illud, quod tu, *φιλομαθέστατε* iuvenis, existimare videris, optimum iudicavit, ut mente sana esset, sed sapientissime a Diis mentem sanam precatus est in corpore sano.

Ornatissime Sasse [1]), Ordo Medicorum tuam de liene commentationem exquisite laudavit. Pulchrum est, in difficili argumento ita versari, ut operae pretium facias, sed ita operae pretium facere, ut peritissimo antecellas aemulo, luculentum est praeclari ingenii egregiorumque progressuum argumentum. Lubens hunc tibi trado nummum aureum, munificentiae regiae testem, et spero fore, ut, quando iudicium doctrinae severitate prorsus firmaveris, de omnium consensione locus tibi in praestantissimis Medicis tribuatur.

Tu peritissimus ille aemulus es, mi Stinstra, qui exiguo victorem sequeris intervallo. En nummum argenteum, cuius insignem honorem Rex Augustissimus iure censuit meritis tuis deberi. Sed tu non omnino esse videris aetatis nostrae iuvenis. Nam *sponte tua* eo habitu in certamen descendisti, qui hodie vix senibus conceditur vel aetate provectioribus Medicis. Scio, te non solum Medicinae, sed etiam Philosophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum Candidatum esse, in quo quod haud probant, ferunt tamen propter illud: quo semel est imbuta recens — et tibi quidem faciliores erunt, quoniam Ordo Medicorum orationem tuam Latinam laude dignam pronunciavit. Verum tamen non desunt, quibus tanta audacia omen esse videatur, quod accipiunt, eum te in causis gravioribus aliquando virum fore, qui non pendeat ex aliorum opinionibus, sed, quamquam magnorum

---

[1]) Quaestio Ordinis Medicorum: Exponantur, quae postremis annis ab eruditis facta et scripta sunt ut lienis functio definiretur. Fiat autem ita ut experimentis et observationibus propriis superstruat auctor sententiam, quam amplectatur, sive anteriori alicui assentiendum putet, sive novam ipse proponat.

Ad quam quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

virorum sententiae multum tribuens, suum tamen sequatur iudicium. Quod et Frisium decet et Petri Stinstrae nepotem.

Tibi quoque, ornatissime van Wageninge, haec sollennia valde sunt honorifica. Cedis quidem commilitonibus, sed egregio cedis ornatus industriae testimonio, quod equidem tibi ex auctoritate Medicorum tradens, in votis esse affirmo, ut in laudabili studiorum cursu alacriter perseveres, eamque aliquando ornes disciplinam, quam regia via coli totius interest civitatis.

Argumentum tuae commentationis, ornatissime Hagen [1]), ea pars est Euangelii Iohannei, cuius gravitatem declarare haud possem si vellem, sed vellem profecto si possem. In eam ut accuratius inquireres, fecit Quaestio Theologorum, quibus tuos progressus placuisse hoc testatur, quo de honorifico eorum iudicio palam constat, testimonium. Tu autem in his ne consistas, sed ita te mente animoque in sermones precesque illas insinues, ut coetus Christianus, cuius in animo scribere tuum erit, tuis e sermonibus et vero e vita tua suspicere *μεγάλα* illa *μυστήρια* discat.

Traditis praemiis superest, ut Academiae magistratum in successorem conferam, Cornelium Star Numan. Hunc virum Clar. e regia auctoritate in annum proximum Academiae Groninganae Rectorem Magnificum dico, renuncio, proclamo.

Salve, vir Magnifice! Te hoc nomine salutare, condiscipulum meum Traiectinum et veterem sodalem, longe mihi est iucundissimum. Ergo eorum carissimi Heusdii discipulorum, quos ante hos triginta annos communis Plutarchi amor singulis Saturni diebus suavissime iunxit, tres experti sciunt, — tu autem iterum ipsa re cognoscas velim — minime deesse, quae

[1]) Quaestio Ordinis Theologorum prima: Quum de omni consilio et opere suo sic Ioh. XVII agat Iesus Christus, ut nullam videatur ideam de re Christiana primariam non attigisse, quaeritur: an ibi etiam de spiritu sancto fecerit mentionem? porro si fecerit, qua alia ratione quam Ioh. XIV—XVI? denique, unde haec diversitas sit explicanda?

huius muneris difficultates minuant. Quarti sodalis num veri simile est diversam futuram fuisse sententiam, si tempora viro egregio veterum literarum professionem obtulissent? Sed reprimam me, Numanne, ne hac vitae Academicae mentione eo sensim deferar, unde reditus ad rem praesentem reperiri nullus possit. Quamobrem huc animum adverte. Te Rectore eximie floreat Academia Groningana, sitque tibi, hoc magistratu abeunti, fatendum, eas, quibus usi simus, res optari potius quam sperari a nobis potuisse. Ita faxit ille, cuius providentiae Academiam nostram pie commendamus.

DE BEOEFENING

VAN DE

GESCHIEDENIS DES VADERLANDS

IN WEZEN EN STREKKING.

REDEVOERING

TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT
AAN DE HOOGESCHOOL TE GRONINGEN,

DEN 30STEN MAART 1854,

UITGESPROKEN

DOOR

DR. W. J. A. JONCKBLOET.

EDELGROOTACHTBARE HEEREN, KURATOREN DER GRONINGSCHE HOOGESCHOOL,

WELEDELGESTRENGE HEER, SEKRETARIS VAN HET KOLLEGIE VAN KURATOREN,

HOOGGELEERDE HEER, RECTOR MAGNIFICUS,

HOOGGELEERDE HEEREN, HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE VAKKEN VAN WETENSCHAP, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEER, LECTOR IN DE WETENSCHAP VAN OPVOEDING EN ONDERWIJS,

EDELACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR VAN DIT GEWEST, EN VAN DEZE STAD, EN DE HANDHAVING DES RECHTS IS TOEVERTROUWD,

WELEERWAARDE HEEREN, LEERAREN VAN DEN GODSDIENST,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN, DOKTOREN IN DE VERSCHILLENDE FAKULTEITEN,

AANZIENLIJKE SCHARE VAN JONGELINGEN, DIE U AAN DEZE HOOGESCHOOL OP DE WETENSCHAPPEN TOELEGT,

GIJ ALLEN VOORTS, VAN WELKEN RANG OF STAND, DIE DEZE PLECHTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT,

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS,

„De liefde tot zijn land is ieder aengeboren!"

Zoo sprak de dichter dien wij gewoon zijn als den echten zoon zijns vaderlands te vereeren. Zoo mocht hij spreken, omdat hij de tolk was van wat ieder nederlandsch hart deed zwellen.

Gelukkig voor het vaderland, dat ook thans nog die uitboezeming waarheid behelst, gelijk zij waarheid behelsde voor twee eeuwen. Gelukkig, omdat die ingeboren aandrift ons behoedt voor den grootsten ramp, die een volk kan overkomen, die zijn zelfstandig bestaan ondermijnt: namelijk de onverschilligheid voor den naam, de eer, den roem van het gemeenschappelijke pand, dat wij van onze vaderen geërfd hebben.

„Onbekend maakt onbemind," zegt het vaderlandsche spreckwoord; en het moge hard en onaangenaam klinken, geheel te ontkennen valt het niet, dat het vaderland zelf den meesten onzer landgenooten, en daaronder zelfs van de beschaafdsten, onverschillig zou zijn, indien ook hier liefde alleen uit kennis voorsproot.

Onder vaderland immers verstaan wij niet slechts het land waarin wij leven en geboren zijn, in welks wetten en inrichtingen wij belang stellen omdat zij onze persoonlijke rechten en onze nijverheid beschermen; neen, het heeft een dieper, een edeler beteekenis: die van het land waarin onze vaderen hebben gewerkt, geleden en gestreden, om van lieverlede voor ons die ontwikkeling, die onschatbare voorrechten van allerlei aard, voor te bereiden, waarin wij ons mogen verheugen. Dat land, met al zijne herinneringen, die het eerst voor ons heiligen, noemen wij vaderland.

Hen, die ons dat erfdeel toebereidden en achterlieten, hen te kennen in hun leven en streven; hen na te gaan in de verschillende tijdperken van ontwikkeling; hunne leerrijke lotgevallen te bespieden; deel te nemen in hunne grootsche daden; dat alles is daarom onmisbaar tot de waarachtige kennis van het vaderland; de kennis die ons noopt het lief te hebben met en om al zijne grootsche en treffende herinneringen, met zijn onvergankelijken roem, dien wij niet slechts beërven, maar waarvoor wij ook verantwoordelijk zijn.

Die kennis nu, de kennis van de geschiedenis des vaderlands, is op verre na niet in die mate verspreid als men recht zou hebben te verwachten; en toch is er onder alle wetenschappen geene, die van zoo algemeen belang is voor elken stand in de maatschappij.

Wel blijven der menigte enkele namen bij, enkele jaartallen, de ruwste omtrekken van eenige groote feiten, — onvolkomen uitwerksel van de gebrekkige leerboeken die haar op de scholen ter loops worden in handen

gegeven; maar een aaneengeschakeld tafreel van de gebeurtenissen des voortijds; een samenhangend begrip van den geest der historie, hoe weinigen hebben daarvan ook maar eene schaduw weggedragen! En hoevelen zijn er, buiten enkele geleerden, die op rijper leeftijd die gaping hebben trachten aan te vullen?

Die stand van zaken heeft mij bij herhaling getroffen. Wat mag er de oorzaak van zijn? Zeker niet de geringe historische zin die onder ons heerscht; want dikwerf is de geschiedenis van vreemde volken het onderwerp der ijverigste weetgierigheid. Macaulay, Carlisle, Thiers, Guizot, Ranke en von Raumer vinden gretige lezers.

De oorzaak kan evenmin gelegen zijn in de mindere aantrekkelijkheid die onze geschiedenis kenmerkt; want in welk land ter wereld zijn meer dramatische gebeurtenissen doorleefd, meer roemrijke feiten aan het licht gebracht, die het gemoed aandoen en de aandacht moeten kluisteren, dan juist op dat plekje gronds, dat wij ons vaderland roemen!

Waar het aan historischen zin niet ontbreekt; waar de rijkste, de aanlokkendste stof voorhanden is, dáár laat zich die onverschilligheid alleen verklaren uit de omstandigheid, dat het onzer historie tot nochtoe ontbrak aan eene bekwame hand om haar op te teekenen.

De quibus exponendis animo velim benevolo auribusque attentis me audiatis.

Magnopere mihi ipsi gratularer, si laeta mihi tantummodo essent referenda, si sine clade annus praeteractus fuisset. Sed adeo felicibus esse nobis eheu! non contigit. Duos viros celeberrimos quos venerabundi diligebamus, cum dolore desideramus et morte nobis ereptos dolemus. Etenim haud ita multo post celebratum Academiae diem natalem Reinwardtium naturae concessisse iussis nobis offertur nuntius; necdum luctu de hac accepta clade deposito Siegenbeekium audimus supremum diem obiisse.

Est hoc Rectori lege mandatum pium officium, ut munere suo defunctus, antequam Academiae fasces successori tradat, solemni modo collegarum, se Rectore mortuorum, memoriam recolat.

Neć tamen, mihi credite, ut legi obtemperem, de viris egregiis istis, coram vobis, verba me esse facturum. Quos enim non solum haec Academia, sed tota patria nostra lugct sibi ereptos, iis ex hoc suggestu par est suprema solvi; neque sufficere intelligitis, Auditores! honorificam nominum mentionem, sed lubentes, persuasum mihi est, me exponentem audietis de eorum vita, fatis factisque.

Itaque primo loco Reinwardtii vitam breviter enarrabo.

Casparus Georgius Carolus Reinwardt natus est die tertio mensis Iunii anni 1753 Luetringhausae, in ea Borussiae parte qui ducatus Montanus appellatur.

Pater Iohannes Georgius Reinwardt mercaturam exercebat eaque erat humanitate et ingenio, ut ipse filii educationis partem posset suscipere, dum simul Lennepii gymnasium frequentaret; patre mortuo, avunculi (cui Melchioris Goldenbergii nomen erat) venit in tutelam, egregieque ille bonae spei adolescenti educando et magis magisque erudiendo consuluit.

Anno aetatis decimo quarto Reinwardtius fratris exemplum secutus, qui iam primum Amstelodamum se contulerat ut pharmaciae studeret, eodemque profectus in pharmaceutae disciplinam venit: nec minore studio quo

pharmaciae, chemiae, botaniae et historiae naturali operam navavit, auctore atque adiutore fratre, quem studiorum ducem habuit felicissimum. Latinae quoque linguae studio, quam postea tam egregie callebat, tunc temporis animum applicasse videtur.

Hoc sibi tamen non propositum REINWARDTIUS habebat, ut vitam in pharmaceuticis studiis perageret adeoque ea per excellentiam coleret; sed medicinae operam dare constituerat eratque in eo ut Goettingam se conferret, ubi academica uti institutione decreverat, quum, egregia eius scientia disciplinarum naturalium in patria nostra perspecta, anno 1800 SCHACHTIO mortuo in vacuam Academiae Hardervicensis cathedram vocaretur, dum iam ante honoris causa philosophiae, medicinaeque doctor esset renunciatus. Die decimo mensis Iunii anni 1801 REINWARDTIUS munus obiit oratione: „de ardore quo Historiae naturalis et imprimis Botanices cultores in sua „studia feruntur."

In ea oratione, quae summo iure stili et linguae exemplar habetur, quaque REINWARDTIUS summum naturae explorandae et cognoscendae ardorem, quo ferebatur, egregie ostendit, vividissimis coloribus officia eius, qui naturae mysteria atque arcana penitus perscrutari sibi proponit, depinguntur, idque maxime nititur demonstrare: necesse esse ut illae indagationes non una orbis terrarum regione finiantur, sed quam latissime extendantur.

„Naturae templum, ait, universus qua late patet terrarum orbis est; „hunc adire oportet, hunc pervagari, in eo peregrinandum est naturae „scrutatoribus, si nosse velint quid natura faciat aut ferat."

An eo iam tempore ardebat studio — verba sunt unius ex defuncti amicis — explorandae naturae maiestatis in ipsis regionibus tropicis — praesentiebatne provinciam, quam aliquot annis post esset suscepturus?

Multifaria erat materia, in qua REINWARDTIO Hardervici erat elaborandum; non solum botaniae sed etiam chemiae et historiae naturalis ei obtigit docendarum provincia; omnia, quae chemiae et botaniae docendis explicandisque pessent inservire, pessime erant habita, dum, durante et aggravante antecessoris morbo, Hortus botanicus et Laboratorium tantopere erant neglecta; ut de novo fere essent instruenda. Quod tamen summo cum studio brevi perfecit, ita ut academica institutio pro temporum ratione procederet. Crevit deinde magis magisque, eaque varie, illa studiorum

materies, quum variis in singulis provinciis, agriculturae et medicinae publice constitutis sodalitiis, socius adscriberetur.

Anno 1803 Rectoris magnifici in Academia Hardervicensi munere solemni defunctus est oratione „de praestantia chemiae recentioris in naturae et artis phaenomenis explicandis."

Anno 1808 REINWARDTIO, a munere academico avocato, alia provincia demendata est; etenim praefectus est a Ludovico Rege hortis zoölogicis et botanicis regiis, tum Haarlemi instructis.

Eodem anno alio honore auctus est, quum primae classis Instituti Neêrlandici Regii sociis adsciscerétur.

Hollandia in formam provinciae gallicae redacta, REINWARDTIUS in iis fuit, quibus munus ademptum; cuius iacturae verò mox praeclaram accepit indemnitatem, quum in Athenaeo illustri Amstelodamensi professor chemiae et pharmaciae extraordinarius, historiae vero naturalis ordinarius creare-tur, idque munus die quinto mensis Novembris 1810 auspicatus est, oratione habita „de chemiae et historiae naturalis studiis recte instituendis."

Hac in oratione perversam, quam in excolendis disciplinis naturalibus non raro sequi solebant rationem, demonstrat, in ipsa scientia neque auctoritate neque consuetudine abutendum esse, normamque proponit ad quam inquisitio naturae sit dirigenda, ut ex ea uberrimi fructus percipi possint.

Amstelodami quoque provinciam sibi delatam sedulo obiit, agriculturae, fabricarum, medicinae, pharmaciae, temporibus atque rationibus perpensis ac perspectis quantumque potuit promotis. Unus fuit ex iis qui tum diarium medicum edebant; certamine literario cum a societate Teyleriana tum a Neerlandica, quae dicitur Haarlemi, proposito, programmatis ille pro parte et auctor diligens et strenuus iudex exstitit.

Imperio Napoleontico exstincto, quum provinciae transmarinae in nostram ditionem redirent (anno 1815), mandatum est REINWARDTIO ut in Javam insulam se conferret, ubi iis, quae ad agriculturam, artes doctrinasque pertinerent, pro virili parte prospiceret. Neque haec detrectanda esse REINWARDTIUS existimavit, ad munera quam maximi momenti a Republica vocabatur, quibus non aptior ullus facile inveniretur; insuper illud vitae curriculum, pro quo saepius sincera vota conceperat, illi quam maxime arridebat: naturam enim perscrutari iussus est in iis regionibus, in quibus

quam uberrima et pulcherrima invenitur; ideo nullus dubitavit, provinciam oblatam obiit.

Varia atque diversa fuerunt officia, quibus illi in Java insula fungendum erat. Illi enim, solique cura tam instituendi quam dirigendi res quam maxime natura diversas, delata erat: institutionis publicae, agriculturae, medicinae, ceterorum. Adiit haec omnia forti, strenuoque animo REINWARDTIUS, prudentique consilio, ingenii praestantiae atque indefessae eius industriae patria debuit, quod omnia haecce, cum totius regionis salute tam arcte cohaerentia, ad certam rationem normamque instituerentur. Neque tamen naturae studia ab eo quovis modo neglecta esse, quum tot tantisque rebus distinaretur, satis indicant excursiones in interiores insulae Javae partes atque Moluccas; indicat illa rerum ab ipso collectarum copia, quarum eheu! magna pars naufragio perierunt, dum in patriam transmitterentur.

Agnoverunt qui tunc Reipublicae praeerant maxima illa REINWARDTII merita, eoque equite facto, summo iure dicendum est, viro digniori eiusmodi honorem raro fuisse tributum. Per aliquot deinde annos REINWARDTIUS in insula Java in iisdem occupationibus versatus fuerat, quum aliis denuo, iisque penitus diversis destinaretur. BRUGMANSIO enim anno 1819 mortuo, iam statim omnes, qui de tali negotio suffragiis ferendis erant pares, in eo consentiebant, REINWARDTIO digniorem qui eo succederet non inveniri, quae sententia quum magis magisque confirmaretur, REINWARDTIO in Indiis orientalibus adhuc degenti, docendi provincia in nostra Academia est oblata; neque hanc quasi omnium bonorum vocem sequi recusavit rediitque in patriam. Die tertio mensis Maii anni 1823 solemniter munus auspicatus, orationem habuit „de augmentis quae Historia naturalis ex Indiae investigatione accepit".

In eius orationis exordio, quae in magna habita est frequentia, hoc maxime se laetari est professus, quod post tot annorum absentiam in caram patriam reverti sibi licuisset, dulces reviserc amicos, quodque tot amicitiae existimationisque testimoniis ac documentis acceptis, docendi quoque in Academia Lugduno-Batava munus sibi contigisset. Lugdunum iam post varios casus, post tot discrimina rerum, tamquam in certum portum fidamque stationem appulerat, ubi reliquam aetatem perageret.

Domesticae vitae annus sequens fuit memorabilis, quippe quo uxorem duxerit, viduam viri amplissimi CALKOEN, e gente IJsseldykiana.

Per 25 annos in dilectis sibi studiis excolendis eorumque fructibus cum studiosa iuventute communicandis versatus, eum se REINWARDTIUS praestitit, qualem fore iam ante cives eius iudicaverant; nec quidquam magis sibi cordi esse ostendebat, quam ut cives academicos ad eandem studiorum alacritatem excitaret, qua ipse fervebat.

Hoc autem potissimum loco oboritur quaestio, iam vivo REINWARDTIO agitata, qui fiat, ut ipse de Indiarum Orientalium historia naturali nihil publici iuris fecerit? Si nobiscum reputamus quid REINWARDTIO publice iuris facere potuisset, quum per sex annos in Java insula moratus esset, ubi diversas et quam maxime frugiferas disquisitiones instituerat, et quantopere rerum naturalium scientiam augere atque promovere valuisset, si memoriae prodere harum inquisitionum fructus statuisset, ab ipso haec esse praetermissa profecto est quod vehementer doleamus. Quicumque vero altum illud silentium inertiae cuidam tribueret, eo ipso profiteri videretur se, et summi laboriosique viri ingenium ignorare et ea praecipue omnia, quibus de Academia nostra deque litteris universis egregie est meritus.

Solvitur autem illa quaestio, ubi REINWARDTIUM nobis multifariis maximisque negotiis occupatum animo proponimus, quibus impediebatur quominus continenter et sedulo congestam illam materiem disponeret.

Anno 1833 festo illo, quem et hodie celebramus, die ex hoc amplissimo dicendi loco orationem habuit „de Geologiae ortu et progressu" quae haud minus ac superiores, quas habuit orationes, denuo documentum praebuit, quantopere in lingua qua utebatur regnaret, quamque perspecta haberet atque cognita quaecumque ad naturae studium ac disciplinam pertinent.

Aderat denique tempus, quo honorificum debitumque sibi otium ex laboriosissima vita REINWARDTIUS nancisceretur et mense Iulio anni 1845 rude donatus est.

Ad senectutem provecto REINWARDTIO hoc sine dubio gratum iucundumque debuit accidere, quod, adproperante die, quo quinquaginta annis ante munus academicum obierat, amici fautoresque statuissent ei insigne

aestimationis dare documentum. Vir Cl. KIST eo tempore Rector Magnificus cum nonnullis REINWARDTII amicis consilium ceperat ut nummo, hacce opportunitate cudendo, egregiis REINWARDTII meritis perenne quasi monumentum erigeretur. Non pauci erant, quibus illud consilium mirifice arridebat, quod brevi post patratum est. Academiae Rector Magnificus omnium nomine, qui tam pulcrae rei participes fieri cupiverant, seni venerabili nummum tradidit, festum diem ex animi sententia gratulatus. Ad quae REINWARDTIUS animo vehementer permoto respondit paucis verbis, sed quae ex intimo prodierant pectore.

REINWARDTIUS usque eo bona valetudine fuerat fruetus; licet pedibus laboraret, tamen inde intra domus vel cubiculi claustra se contineri non est passus, sed unoquoque fere anno aut patriae loca amoeniora perlustravit, aut peregre est profectus. Sed sensim sensimque vires corporis deficere coeperunt, nec tamen diminuta est animi hilaritas ingeniique robur, quae laetabundus admirabatur cuicumque visere senem viridem et cum eo colloqui contigit. Atque servavit illam animi vim et serenitatem usque ad ipsum vitae finem. Suis nobisque die sexto mensis Martis anni 1854 ereptus est. Quo die clatus est, affinium amicorumque magnus numerus secuti sunt, extrema pia dilecto viro persoluturi; coram quibus verba fecit Vir Cl. I. VAN DER HOEVEN, quale omnium esset tam cari capitis quantumque desiderium, animo graviter affecto, interpretatus. Die decimo tertio mensis Martii Vir Cl. DE VRIESE coram Academiae nostrae alumnis memoriam REINWARDTII, brevi habita oratione, recoluit; quum REINWARDTII vitam moresque depingeret, et merita grato animo referret et praedicaret, illustri hoc exemplo demonstrari iuvenes docuit, quomodo vera gloria sit appetenda, quibus artibus vera gloria et sempiterna pariatur. Quae Viri Clarissimi allocutio post aliquot dies typis est expressa.

Nec defuit qui in Academia regia Amstelodamensi de REINWARDTII meritis solemni modo verba faceret. Concione habita die undetricesimo mensis Aprilis Vir Cl. VROLIK, qui Academiae est ab actis, orationem habuit in defuncti honorem, qua eius vitam breviter adumbravit. Quae Actis Academiae est inserta.

Praeterea unus ex affinibus REINWARDTII mense Maio publici iuris fecit brevem defuncti vitae narrationem.

Reinwardtius et eximia erat doctrina et animo probo, integro et candido. Quidquid erat, non ita educatus erat et institutus, sed natura factus aeri studio et indefessa industria. Erat e raris istius exempli viris, qui, omni extrinsecus petito studiorum adiumento fere destituti, ipsi viam sibi muniunt, qua itur ad veram doctrinam. Vidistis, Auditores! quomodo, numquam non studendo, nitendo, properando ex humili satis conditione ad summos pervenerit honores nobilemque acriter certando palmam reportaverit. Iam mature intellexerat in naturae indagandis moribus vitae stationem sibi esse ponendam; nullo vitae momento huic defuit quod summum censebat esse officium, et singulari prorsus amore, quin ardore, in naturae studium rapiebatur.

Illam vero, qua excellebat, intimam cum natura familiaritatem non legendo solum contraxerat, quod alii scripserant, ipse servaverat de natura, ipse naturae vires perserutatus, naturae phaenomena meditabundus erat contemplatus.

Itaque quod priscae et beatiori mortalium genti contigisse suavissimis fabellis poëtae cecinerunt — sciebat et intelligebat naturae sermonem, quam consulebat, quotiescumque in rem obscuriorem inquirebat, intelligebatque eius tamquam tacentis responsum. Acriter animum in singula naturae phaenomena rite pernoscenda intendebat; sed eo non acquiescebat, id agi arbitratus, ut pateret quo vinculo singula illa inter se iuncta essent et qua lege regerentur. Quo studio ductus naturae mores et vires dum acribus cernebat acutisque oculis, in eius arcana et quasi intimam penetravit officinam.

Sed Reinwardtio non solum natura vasta erat arena, in qua ingenium quis exerceret, viresque et dexteritatem ostenderet; natura nos doceri arbitrabatur, quomodo vita rite et pie esset instituenda, eademque nos duci ad veram, sinceram et ardentem Dei venerationem!

„Quicumque, ait, naturae contemplandae desiderio, idem et vero „cultu et admiratione rapitur. Dei verus atque sincerus cultus, quid ad „eum rectius ducat, quam haec ipsa totius naturae parentis et opifieis „admirabilia opera? Imo vero, pergit, ego in eâ sententiâ semper fui „maximum quoddam momentum esse in naturae studiis ad exercitandum „et confirmandum illum animi affectum, quo ad quodcumque humanitatis,

„honestatis, probitatis et cuiuscunque virtutis officium exsequendum „animi excitentur."

Quae qui senserat et locutus erat, quis praeclarum egregiumque illum fuisse virum dubitare poterit? Atque fuisse illum virum nullo nomine non praestantissimum universa eius vita est documento. Quicumque eum noverant, uno ore praedicant viri probitatem, integritatem, sinceritatem, candorem; fidem datam numquam labefactari neque animum abalienari ab amicis, quos quidem eo nomine dignos censebat, passus est; mitis aliorum, sui ipsius iudex erat severissimus; modesto animo et ingenuo venerationis ac gloriae meritis partae documenta excipiebat, undique in eum collata; neque suorum meritorum suaeque doctrinae iactator, neque alienae laudis detrectator et spretor; officiosissimus erga unumquemque et de exquisitae doctrinae inexhaustis copiis unicuique largiter tribuens.

Quem ingentem doctrinam ingenio complecti, quem multa vidisse et observasse sciebant, cuiusque indolem noverant suorum prodigum neque numerantem, quod benigna manu dispensabat, quid mirum, ad eum tamquam ad oraculum multos consultum esse profectos, magnamque vitae illius partem eo consumptam esse, ut aliis operam ferret.

Iam vero perpensis, quae de Reinwardtio dixi, quis negabit illius vitam posse esse documento, quomodo vera gloria appeti debeat. Iacturam in eo fecit Academia Leidensis, qua maiorem non vidistis, Auditores! nec facile videbitis, plane ut, si cuius umquam magni viri amissi, huius utique luctus ac desiderium publicum sit mansurum, dum verae doctrinae sensus veraeque virtutis admiratio vigebit. Sit ei terra levis!

Ad Siegenbeekii vitae enarrationem transeo. Matthias Siegenbeek natus est Amstelodami die vicerimo tertio mensis Iunii anni 1774. Iam mature apparuit puerum felicis atque faecundi esse ingenii. Itaque Theologiae studio a parentibus destinatus undecim annos natus in Gymnasii disciplinam est traditus, quod tum Amstelodami regente viro celeberrimo Richeo van Ommeren florebat. Ex cuius egregii viri institutione uberrimos fructus Siegenbeekium percepisse, insigni documento est Carmen Elegiacum latinum inscriptum: *ultima Iacobae Bavarae morti proximae verba*, quod a se compositum coram frequenti coetu recitavit, Gymnasio illi quum valediceret. Deinde in Athenaei illustris Amstelodamensis civium numerum relatus,

Wyttenbachii usus est non solum institutione, sed etiam familiaritate: optimae enim spei iuvenis a Wyttenbachio non solum, sed etiam a Viro Clarissimo Hieronymo de Bosch dignus est habitus, quem amicorum numero adscriberent.

Hisce ducibus solidioris doctrinae firmis iactis fundamentis in seminario Teleiobaptistarum, quod in eadem urbe floret, theologiae operam dare coepit, eo omnium virium intentione pergere conatus, ut idoneus aliquando verbi divini interpres evaderet.

In studiis theologicis quum virorum Clarissimorum, Hesselink, Konynenburg et van Hemert egregia institutione mirifice adiuvaretur, tum hoc ei felicissimum exoptatissimumque exstitit, quod firmo amicitiae (ex eodem litcrarum elegantiorum amore ingeniorumque pulcri bonique sensu imbutorum affinitate quadam natae) vinculo coniungebatur cum viris, quorum egregia de litteris patriis merita patria grato animo recolit, quique suo quisque loco celeberrimi sunt facti, Kemperum dico, Davidem Iacobum van Lennep, Ianum ten Brink, fratres de Vries. Illos nominasse sufficit, ut manifestum fiat quid Siegenbeekius e talium virorum familiaritate fructuum perceperit.

Atque eum Siegenbeekius, quo tempore Amstelodami studiorum fecerat tirocinia, se praestiterat, ut multorum oculos in se convertcret, qui ct universam adolescentis vitam mirifice probabant, et admirabantur morum elegantiam, eloquentiam et singularem qua iam tum excellebat linguae Neerlandicae scientiam. Quae singula quum verbi divini futuro interpreti summae sint laudi egregioque ornamento, nihil est quod miremur Siegenbeekii nomen brcvi ita inclaruisse, ut haud ita multo post studia rite absoluta Doccumam arcessitus sit verbi Divini in Teleiobaptistarum Ecclesia minister; qua in statione per duos annos mansit; — viri enim in dies aucta fama et existimatione, ad altiora evocatus et in arenam descendere iussus est, in qua perpauci adhuc gladiatores roboris sui atque prudentiae pericula fccerant. Etenim jam diu erat ex quo doctiores omnes intellexerant desiderari in Academia Leidensi doctorem, qui iuvenibus eloquentiae Neerlandicae praecepta traderet, qui Batavos, quibus Latine scribentibus primae facile deferrentur, doccret patrio scrmone concinne eleganterque et scribere et loqui. Indefessa Viri Amplissimi Laurentii van

SANTEN, unius tum ex Academiae Curatoribus, industria et vigilantia effectum est, ut nova ista in Academia nostra tandem aliquando exstrueretur cathedra; eiusdem LAURENTII VAN SANTEN opera factum est, ut SIEGENBEEKIO novum et honorificum, sed idem difficillimum munus offerretur. Quod, quamquam inccpti gravitatc ct momento penitus perspectis, non detrectandum essc arbitratus die vicesimo tertio mensis Septembris anni 1797 auspicatus est, habita solemni oratione *de eloquentiae Neerlandicae publica institutione.*

Iam igitur latus SIEGENBEEKIO patebat campus in quo vires et ingenium exerceret; totum enim iis studiis se dare poterat quae unice diligebat, pulcrae a natura acceptae indolis excolendae opportunitatem nactus gratissimam. Neque vanam patriarum litterarum fautores de eo conccpisse spem, fore ut eius opera Linguae Neerlandicae studium promoveretur et iuventus litterarum Neerlandicarum amore imbueretur, iam statim adeo factum est manifestum, ut Academiae Curatores, duobus annis post initum munus, SIEGENBEEKIUM professorem ordinarium renuntiarent earum litterarum, quibus excolendis et commendandis tam insignem operam navasset. Quod munus solemni modo auspicatus orationem habuit academicam *de* PETRO HOOFTIO CORNELII FILIO, *poëta et rerum scriptore.*

Anno 1802 accidit quo SIEGENBEEKIO opportunitas est oblata demonstrandi, latine dicentem non minus eloquentia se pollere quam Batavo sermone concionantem. Post diuturnum enim belli strepitum turbasque et tempestatcs, quae universam Europam praecipitem dederant, inter Franco-Gallos et Anglos convenerat de pace facienda, quae finem faceret discordiae, quae et nostrae patriae quietem, quam desiderabant omnes et avebant, tandem aliquando rcstitucret. Itaque quod et antea fieri erat solitum, quotiescumque acciderat quod patriae iudicabant fausti essc augurii, decreverunt Curatores ut solemni oratione laetus ille allatus nuntius celebraretur. Cuius habendae orationis provincia SIEGENBEEKIO est tributa.

Honorifico mandato ille est dcfunctus, habita oratione *de pace Ambianensi*, quam quum omnes ut bene eleganterque dicendi exemplar admirarentur, tum vanum fuisse patuit eorum metum, qui veriti erant ne patriis excultis litteris a classicarum litterarum studio abalienaremur et philologiae Graecae et Romanae suus honor et cultus adimeretur. Curatoribus vero, quorum auctoritate SIEGENBEEKIUS verba fecerat, oratio illa

adeo placuerat, ut rem bene gestam ei gratulaturi gratumque animum testificaturi, annuo salario, professoribus offerri solito, aliquantum adderent.

Anno 1811 SIEGENBEEKIUS recentiorum litterarum historiae professor nominatus atque eodem fere tempore una cum WYTTENBACHIO Artium Liberalium Magister et Philosophiae Doctor honoris causa creatus est.

Academia instaurata eidem docendae historiae patriae munus est demandatum.

Anno 1825, quum ducentesimus quinquagesimus ageretur annus ex quo haec Leidensis Academia esset condita, SIEGENBEEKIUS, certantibus omnibus, ut diem quam maxime redderent festum et solemnem, symbolum non detrectavit, sed ad augendum diei splendorem contulit, composito carmine lyrico latino. Atque hoc eodem fuit die, quo primum viri clarissimi mentem subiit cogitatio de scribenda Academiae Leidensis historia. Rem operosam sane et variis difficultatibus implicitam ita brevi tempore absolvit, ut accuratum studium summamque et religiosam perscrutandis rebus temporibusque obscuris impensam operam omnes admirabundi praedicaverint. Nostis opus, Auditores! neque cuiquam probe ignotum est, cui Academiae nostrae salus curae est.

Anno 1842 rude donatus est, nec tamen studiosae iuventuti, quoad vires sinerent, prodesse desiit. Quantum in eo superstes esset animi robur, quantopere ingenii facultates senectuti non essent fractae, luculento ostendit exemplo, quum, quinquennio post, quo die quinquaginta ante annis professoris munus inierat solemnem habuit Orationem *de incrementis quae annis quinquaginta proxime elapsis studium cepit litterarium Neerlandicum*. Clara et distincta voce recitavit quae accurate cogitata et eleganter erant enucleata. Progressus, quos inde ex superioris saeculi fine linguae et litterarum non minus quam historiae et antiquitatum patriarum studium fecisset, eadem adumbravit eloquentia et suavitate, qua inde ab adolescentia inclaruerat. Festo hoc die undique seni venerabili amoris existimationisque luculenta oblata sunt documenta, in quibus primo loco recensendus est nummus aureus, a Rege Guilielmo secundo viro de patriis litteris optime merito transmissus. Augustissimi Regis Guilielmi primi iussu, qui artes litterasque singulari favore prosequebatur, iam antea Leonis Neerlandici equitibus fuerat adscriptus.

SIEGENBEEKII vitae Academicae curriculo breviter exposito, quum memoranda mihi sint egregia eius erga linguam, litterasque patrias merita, vereor ne, inops factus abundantia, parum idoneus tantae virtutis praeco existam. In breve enim elogium contrahenda mihi sunt quae eius sunt ambitus, eius momenti et gravitatis ut tota oratione vix satis extolli et praedicari queant. Recordati vero id unum iam mihi agi, ut defuncti collegae memoriam modo solemni, coram hoc amplissimo coetu, recolam, eumque me esse a quo SIEGENBEEKII doctrinae et meritorum expositio omnino exspectari nequeat, munere meo recte mecum censebitis me esse functum, si breviter indicavero, quibus potissimum artibus tantam SIEGENBEEKIUS apud nostrates gloriam sit nactus.

Ordine vero SIEGENBEEKII de patrio sermone litterisque Neerlandicis merita praedicaturo vix dubium esse potest, quin ab iis mihi sit incipiendum viri clarissimi studiis, quibus pessime habitam vernaculae linguae orthographiam correxit, quin deletam omnino, et cuiusvis arbitrio et libidini permissam instauravit atque certis normis cohibuit. Nemini vestrum probe nescitur, quantopere saeculi superioris fine, scribentium ignorantia et fatuitate, sermonis patrii orthographia fuerit pessumdata et inquinata. Nil amplius supercrat, quod tamquam certum et exploratum omnes sequerentur atque verendum erat, ne ad extremam deveniremus barbariem, nisi existeret qui in tanta confusione orthographiae vernaculae regulas disponeret et certis legibus adstringeret; quod munus perquam difficile et eius generis, ut multi de prospero rei eventu iam statim desperarent, SIEGENBEEKIO oblatum. In ea re qualem se praestiterit, quantopere splendidissimam reportaverit victoriam et de difficillimo, quocum conflictabatur argumento, et de iis, qui rem omnino fieri non posse clamaverant, nemini nostrum ignoratur. Vix suam de orthographia Neerlandica diatriben publici iuris fecerat, quum in licentiae locum leges, accurato indicio definitae, substituerentur et confusio lucido cederet ordini. Cuius operis praestantiae id luculentissimum est testimonium, quod, quae ille iecerat orthographiae fundamenta, iisdem hodieque grammaticae Neerlandicae aedificium est superstructum. Fuere quidem qui evertere conabantur quod sollerti cura ille condiderat; sed quod propria sua laude commendabatur, id corrigi quidem potuit in singulis, augeri et suppleri, at universam si spectes

artem, nondum excogitatum est alterum systema, quo irrita facta sit opera, quam in gravissima re posuerat vir in paucis strenuus et laboriosus.

Praeclaram vidimus et duraturam SIEGENBEEKII, orthographiae Neerlandicae instauratoris, esse laudem. Nec tamen in constituendae linguae forma et tamquam resarcienda veste aequievit, sed in intimam eius officinam pervenisse eiusque indolem se penitus perspexisse multis probavit scriptis, quorum duplex imprimis erat finis. Ut enim demonstraret praestantiam, elegantiam, ubertatem sermonis nostri, qui et poëtis et prosae scriptoribus egregiam praeberet materiem, qua exprimant quid sensissent et cogitassent, ita eiusdem integritatem et castitatem vindicavit ab eorum conaminibus, qui barbaris voeibus et alienigenis dulcem maiorum sermonem inquinare et adulterare nitebantur.

Qui tam accurate linguam noverat linguaeque historiam, eum par est litterarum historiam haud minus habuisse in numerato. Compluribus sane SIEGENBEEKIUS demonstravit doetissimis libris in hac quoque parte regnare se et habitare, quum componeret *litterarum patriarum synopsin historicam*, quum indefessa industria eorum adesset conaminibus, qui antiquiora sermonis Neerlandici monumenta ab oblivione vindicabant, quum primus talium rerum studiosis ad reete cognoscendam saeculi deeimi septimi litterarum historiam viam muniret, quum ad intimae linguae notitiae, summae ingenii elegantiae, proprieque eloquentiae facem VONDELII, CATSII aliorumque multorum poëtarum carmina illustraret et explicaret.

Ad duplex supra vidimus eum, Academia instaurata, munus fuisse vocatum, scilicet ut et litteras patrias et patriae historiam studiosam iuventutem doceret. Alteri officii parti quantopere par fuerit modo vidimus; sed vix minus in historia tradenda eius fuit laus. Adsunt enim rerum testimonia uberrima, eas quoque ingenii dotes, sine quibus nemo potest esse rerum scriptor, a benigna natura ei fuisse largiter impertitas. Ite, Auditores! admiramini viri ingenium atque sollertiam, sive legitis historiam Neerlandicam quam scripsit inde ab initio Dynastiae Burgundicae, sive evolvitis librum quo civium armatorum res gestas describit, sive quaecumque ferax eius et felix ingenium enixum est suo quodque loco et pretiosum et elegans. Legite disertum WAGENAARII elogium, ut videatis verum esse quod de SIEGENBEEKIO historico tulimus iudicium, legite IACOBAE BAVA-

RAE defensionem, quam ab atrocibus in eam coniectis criminibus et conviciis purgavit, legite quam tam vividis coloribus depinxit OLDENBARNEVELDII causam, ut ipsi quaestioni institutae interesse nobis videamur, legite quae de LEICESTRIO disputavit vel quibus GUILIELMI PRIMI, IANI DE WITT vel SLINGELANDTII laudes praedicat et merita recenset; nusquam accuratum studium, nusquam veram e pectore notam et profluentem eloquentiam desiderabitis, et iudicabitis historiae patriae studium illius opera vix minus fuisse promotum quam linguae litterarumque Neerlandicarum culturam.

Considerantibus quam religiose munere academico SIEGENBEEKIUS fuerit functus, vix credibile videtur tantum ei otii fuisse reliquum, ut variis in patria nostra, litterarum promovendarum gratia conditis, sodalitiis aliquantum virium et pretiosi temporis dedicare posset. Tamen illorum inter sodales nemo fuit umquam illo diligentior quique plus contulerit ad eorum augendum florem; in his sodalitium tuendis et excolendis litteris patriis, Lugduni Batavorum institutum, cuius per 20 annos acta curavit, per 25 praesidium gessit, illi maximam partem debet quod tam laete efflоruerit, quod tam salutiferam exercuerit vim in excitandum litterarum patriarum studium et amorem.

Scripta perlustrantes, ab hoc sodalitio promulgata, permulta invenietis ab illius manu profecta, in quibus primum sibi vindicant locum defunctorum sodalium ab eo composita Elogia. Neerlandicae quoque, quae dicitur, Haarlemi florentis societatis per quinquaginta annos e gravissimis fuit sodalibus. Ab utroque sodalitio, multorum magnorumque meritorum gratia, nummo aureo est donatus.

Ad civium civitatisque recte procurandam salutem summi esse momenti, ut scholae, in quibus pueri prima litterarum elementa discunt, rite sint institutae, quum SIEGENBEEKIUM fugere non posset, his quoque corrigendis et ad certam normam redigendis per longam annorum seriem summa cum diligentia consuluit, quare bonorum omnium suffragiis optime de patria est meritus.

SIEGENBEEKIUM iuvenem vidimus id potissimum habuisse in propositis, ut idoneus fieret verbi divini minister, neque, quum mutata vitae causa ad alia studia transiisset, munus studiose olim appetitum deserendum esse ratus, per 25 annos coram Teleiobaptistarum ecclesia in hac urbe oracula divina docte et eleganter exposuit.

Sed has omnes, de quibus egi, laudes una eaque insigni laude SIEGENBEEKIUS cumulavit. Erat enim is, in quo vasta et multiplex doctrina, ingenium sagax et ferax coniunctum erat cum animi candore, integritate et nobilitate. Summo litterarum amore imbutus, his promovendis, popularium animis expoliendis, discipulorumque ingeniis eodem, quo ipse flagrabat, literarum amore incendendis totam vitam dedicavit. Quodcumque munus eius curae fuit mandatum, recte curavit et religiosa fide administravit. Erat assiduae diligentiae, indefessae industriae, tenacis constantiae exemplar. Animus illi erat candidus, modestus, a simulatione fucoque alienus; benignitate erat singulari, comitate et liberalitate, officiosus erga quemcumque et multorum studia sua doctrina sustentans; aequo et tranquillo animo iniurias ferebat sibi illatas et auctoribus ignoscebat. Sincero amore homines omnes amplectebatur et prosequebatur, verbi divini non tantum dignissimus interpres, sed etiam Divini Praeceptoris fidelis in paucis et pius discipulus.

Viribus corporis sensim sensimque deficientibus die 26 mensis Novembris, suis, Academiae Patriaeque ereptus est.

Postridie eius diei quo mortuus est, collega noster carissimus, Vir Cl. DE VRIES coram discipulis suis verba fecit de defuncto praeceptore et amico; qua oratione amorem, venerationemque spirante exposuit, quantam in illo nostra Academia iacturam fecerit.

Quam viri eximii iacturam iusto dolore recolentes grato animo recordemur, quot et quanta beneficia in totius patriae emolumentum SIEGENBEEKIO accepta referamus.

Pio officio defunctus, atque eorum coram vobis repetita memoria et vita perlustrata, quorum mortem ut praesentem dolere numquam desinimus, ad alia licet transire gratiora et lactiora.

Et primum quidem hoc omnium laetissimum nobis accidit, Illustrissimi huius Academiae Curatores! quod omnes estis superstites et valentes, praesertim quum haud diu sit, ex quo graviter nobis animus est commotus quum nuntium acceperimus de uno vestrum cum ipsa morte graviter conflictante.

Ad bonam valetudinem feliciter rediisse Illustrissimum VAN EWYCK toto animo laetamur. Faxit Deus optimus maximus ut gravissimis muneribus, ad quae vocatus est, diu fungi illi eveniat; ut per longam annorum seriem Academiae nostrae commodis prospicere maneat columen et praesidium. Vos omnes, Viri Illustrissimi! confidenter, quicumque in hac Academia artium litterarumque sumus doctores, intuemur vobisque nitimur, quotiescumque vota facimus de Academiae augendo flore et iuribus vindicandis.

Collegarum deinde frequenti perlustrato coetu, quum omnium, qui superiore anno huic celebrando diei huc convenerant, nullum desidero, alterum hoc est quod vehimenter laeto pioque animo mihi et vobis gratulor. At imprimis vobis gratulor, Viri Clarissimi TYDEMAN et VAN HENGEL, quos hic adesse, senectutis iniuriam nec corpore nec ingenio animoque perpessos, nemo adest, certe scio, quin sincere mecum gaudeat. Per multos annos uterque Academiae augendo splendori vitam dicastis, atque uberrimos operis vestri atque diuturni laboris laetissimos fructus percipere licuit. Iam vero otio optime merito vobis concesso, otiosis esse vobis non licere censuistis, sed multorum studia consiliis vestris adiuvare pergitis. Diu adhuc superstes nobis esto consilium vestrum et ratio, auctoritas et sententia, diu vestro exemplo iuvenibus fortiter ac strenue nitentibus viam monstrate, qua et proprium excolere ingenium, et civium possint illustrare animos.

Et nostrum VAN DER BOON MESCH, virum clarissimum, optimis ominibus prosequimur, qui reminiscendo festum illum diem recognovit, quo ante hos 25 annos chemiam publica auctoritate tradere coepit; qui dies illi laetissimus accidit, quod collegae, discipuli et familiares insignibus illi probarunt amicitiae et existimationis documentis sibi eum diem vix minus esse festum, gratum et iucundum quam illi ipsi. Diu illum servet Summum Numen, arti quam excolit, amicis, discipulis, patriae.

Tibi quoque, Cl. RYKE, est quod anno praeterlapso ex animo gratulemur, quippe quo, auctis honoribus tuis, ab extraordinario factus es physices professor ordinarius. Itaque grati agnoverunt, qui Academiae nostrae rebus praesunt, viri illustrissimi, quod nobis, qui te novimus et diligimus, iamdiu erat persuasum, egregiam esse, qua physicen tu iuvenes doceas, rationem. Perge, Vir. Clarissime de iis et de Academia nostra, ut facis, bene mereri!

Nihil iam fere mihi restat, nisi ut indicem in quonam statu varia instituta academica versentur.

Atque Bibliothecam academicam, Hortum botanicum variaque praeterea suppellectilis academicae receptacula et officinas in optimo versari statu atque subsidiis satis abundequc sustentata cssc, ipse testis sum oculatus.

At non omnia in Academia nostra nitere idem expertus scio. Minus cnim quam par est prospectum est ut acdificia, in quibus suppellex academiae asservatur, satis sint ampla, ut et materiei rite disponendae sufficiant, et Academicam iuventutem in iis docendam capere possint.

In his omnium maxime mutatam emendatamque conditionem clamat aedificium, quod Bibliothecae Academicae voluminibus tributum est, domicilium eheu! tenue et angustum, adeo ut non tantum librorum molem ibi asservatorum ferre recuset, sed etiam magna pars operum praestantissimorum in granaria coniecta et tamquam in exsilium sint ablegata. Observatorium astronomicum, cui praeest vir apud nostrates et exteros clarissimus, tam grandi nomine indignum esse inter omnes iamdudum convenit. Museum physicum et Laboratorium chemicum vix melius sunt habita quam Bibliotheca. In iis quoque non satis est spatii, ut varia instrumenta apte collocari possint atque gnavis iuvenibus exercitationum experimentorumque faciendorum occasio sit data. Idem denique — neque quis credit pro aris et focis me pugnare, idem fere valet de Nosocomio academico.

Sed parcamus querelis! spem enim licet concipere neque immaturam neque temerariam, fore ut mox quaecumque iam sunt manca et vitiosa corrigantur et suppleantur. Academiae enim Curatores, viri illustrissimi, qui nihil eorum praetervidcnt unde Academiae salutem iudicant pendere et florem, hisce sarciendis damnis omnem lapidem moverunt, atque nisi mea me spes fallit multum iam promoverunt. Quod diu multumque et a multis agitatum est Nosocomii Academici amplificandi consilium, hoc iam in eo est ut patretur. Huic exstrucndo aedificio propediem manus admovebuntur; chemiae vero et physicae docendae aedificia assignatum iri magis idonea, spem fovemus, haud illam, precamur, vanam. Magnum fert rumor aedificium iri conditum, et his disciplinis et docendae anatomiae destinatum; et si verum est, quod verum esse et cupimus et credimus, eadem opera pressae, suaque magnitudine laboranti Bibliothecae prospec-

tum foret. Unum mihi reservavi, quod ultimo loco nomino, quo maiore vi pronuntiem, quoque firmius et recentius auditorum animis memoriaeque inhaereat. Cuicumque bonarum artium salus cultusque cordi est, assentiatur mihi necesse est magnopere dolendum esse, quod astronomia in Academia nostra relegata sit in turrem vix satis amplam, quae ciconiis idoneum nidum praebeat!

Dolendum, dico, quoniam eo turpius astronomiae docendae necessaria negantur aedificia et subsidia, quo laetius eius studium posset efflorere astronomiae doctore, qualis est KAISERUS noster, iuvenum studia moderante. Itaque intelligant, velim, atque persuadeant sibi, qui Reipublicae nostrae praesunt, sui esse officii, tueri rem, quam bene procuratam esse totius civitatis quam maxime interest.

Grati agnoscimus, quae ad rem tam gravem promovendam in Ordinum Generalium consessu publico omni ardore cônati sunt viri amplissimi GEVERS VAN ENDEGEEST et BOSSCHA.

Pervenio, Auditores! ad orationis iucundissimam partem; scilicet in eo sum, ut strenuis gnavisque iuvenibus, quibus quaestiones a singulis ordinibus academicis propositas solvere contigit, nummum aureum tribuam, quo Regis Augustissimi Guilielmi tertii liberalitas et munificentia eos donari voluit.

Itaque rogo Virum Clarissimum, qui senatus nostri acta curat, ut Ordinum Academicorum iudicia recitet; ii vero, quorum nomina ille evocabit, prope ad me accedunto.

Ad ingenii ac doctrinae laudem et ad praemia proposita quinam illi sint qui aspiraverint, qui successus et eventus, quaenam eorum scriptiones fuerint, publice expositum est.

Nil iam restat, nisi ut praemia victoribus distribuam et victoriam iis gratuler: nam:

Aurea cui blando risit victoria vultu
Laetitiamque suis fert patriaeque decus.

Accipe, Ornatissime Proes! praemium, quo Facultas iuridica dignum te censuit ut quo, Augustissimi Regis nomine, te dono.

Operae, studii et laboris, quem impendisti, luculentam ecce! et honorificam remunerationem!

Non is tu es, qui stimulo egeas, praesertim victoria modo reportata; at praemio illo reportato scito quasi pignoribus coactum te esse, talem te praestare, qualem te futurum esse et speramus et auguramur.

Egregia laus est, Ornatissime Suringar! quam tibi Facultas philosophiae naturalis impertiit, quippe qui omnibus satisfeceris, quae non postulari tantum, sed sperari etiam in isto iuvenilium virium conflictu poterant.

Quod honorificentissimum praeceptorum tuorum de opere tuo iudicium vix minus gratum tibi esse potest, quam victoriae quam reportavisti praemium, quod en! tibi trado.

Perge, Nobilissime Iuvenis! naturae mores perdiscere eodem severo studio, eadem virili constantia et assiduitate, cuius tam egregium dedisti specimen.

Agnovit Ordo, Ornatissime van der Ven! vim ingenii et industriae, quam commentatio tua prodiderat, agnovit ordine luculento et doctrina sc commendare et praemium regium tibi decrevit.

Grato fungor, mihi crede! officio, operae tuae, laboris et industriae optime merito praemio quum te coronem.

Non opus est ut graviter et fortiter nitentem incitemus insuper et stimulemus.

Iisdem te compello verbis, quae commentatio tua in fronte gerebat, quaeque poëtae latini usus verbis ita verto:

tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Gratulor tibi, Ornatissime KLEYN! felicem honorificumque certaminis eventum! Assecutus es honore et praemio, quod tibi trado, ut de successu studiorum tuorum laetoque profectuum, etiam futuro tempore, eventu bene augurari et ipse possis et possint praeceptores tui, amici et commilitones, quos non mediocrem laetitiae et iucunditatis fructum ex tua victoria ferre vides. I, Ornatissime KLEYN! fruere laeta hac victoria, cuius et olim meminisse te iuvet.

Non contigit tibi, Ornatissime LAMBRECHTS! quamquam strenue et mascule contendenti palmam arripere. Nec tamen Ordo nihil tribuere videri voluit industriae et labori, quem in libellum tuum exarandum impendisti, itaque nominis tui publica mentione promulgandum esse decrevit. Quod Ordo de te honorificum dedit testimonium, ex animi sententia tibi gratulor! Prima sequentem honestum est in secundis subsistere. Fecisti iam virium tuarum periculum, eoque ipso viam tibi parasti, ac prolusisti ad praemium alio anno ferendum.

Vos denique, Ornatissimi Iuvenes! Academiae nostrae cives patriaeque spes! laetus compello!

Est enim, quo magnopere laeter atque gestiam animo meo, vos quum intueor atque recordor, quales hoc anno vos praestiteritis. Dignos vos ostendistis, qui, civium academicorum nomen meriti, libertate academica fruamini.

Non possum quin memoria repetens, quomodo hocce anno, quo mihi Academiae fasces erant commissi, vitam institueritis, et magnopere vos probem et optima quaeque de vobis sperem.

Neque hancce meam, quam vobis impertior, laudem abiicite ut levem futilemve. Scitote enim et persuasum vobis habetote, eundem, quem iam publice vos praedicare insigniter iuvat, silentio non fuisse praetermissurum, si vita vestra minus probanda mihi esset visa.

Itaque pergite, Commilitones Iucundissimi, eadem, quam ingressi estis, via! Animo estote hilari atque securo, ut iuvenes decet. Fruamini libertate vestra, delibatote mel dulce quod iuventae splendidissimus flos vobis praebet, sed ne obliviscamini, quam ob causam huc veneritis. Nitamini, ut ne fallatur spes, quam nos et multi praeterea de vobis concepimus. Laborem mihi credite omnium, quae in vita humana grata sunt et amoena, condimentum esse necessarium. Neque omnino vita frui potest, qui desidiae inertiaeque est deditus, neque maior omnino cogitari potest voluptas, quam est eius, qui, officiis suis religiose functus, merito fruitur, ac tum demum, grato otio.

Memineritis patriae salutem in posterum a vobis pendere, ad quam tuendam et augendam in hac Academia praeparamini et ipsi vos praeparatis. Itaque nitamini animo strenuo et forti; ne rei difficultas ab incepto vos deterreat.

Pugnandum vobis est, sed post pugnam pulcherrima vos manet victoria et nobilissima palma. Incumbite igitur in disciplinas, excellite doctrina, virtute, bonis moribus, ut et votorum, quae concepistis ipsi, fiatis compotes, et patriae prospiciatis libertati et saluti.

Nihil iam superest, nisi ut munus, quo regia auctoritate hoc anno functus sum, maiorum more deponam. Itaque tibi, Vir. Clarissime Vissering, trado Academiae fasces. Salve Magnifice Rector! quem primus ego hoc nomine compello. Floreat te duce alma haecce Musarum sedes.

F. G. KRIEGER,

ORATIO ACADEMICA

DE

ARTIS CHIRURGICAE NOSTRO TEMPORE RATIONE ET FINE.

AUDITORES SPECTATISSIMI EXOPTATISSIMI!

Artem medicam, ex quo novam sequi rationem novoque et incognito antea campo excurrere est docta, magnopere promotam, auctam amplificatamque esse, quum nemo sit, quin magno ore agnoscat, compluries tamen eidem vitio est versum, quod ad proprium, cuius causa exerceatur, finem propius accedere non potuerit. Diagnosticam quidem physicae, chemiae et anatomiae ope innisam multo fatentur iam firmioribus superstructam esse fundamentis, quam quibus superioribus saeculis fulciri potuerit, nec tamen therapiam celeritatem, qua illa processerit, potuisse aequiparare. Convicium supra veritatem auctum esse quum unusquisque rei peritior contendere non dubitabit, idem omnino fictum commentitiumque esse vix audebit contendere. At medicos, non medicam artem, censendum est istam reprehensionem meritos esse, neque arti imputandum quod artifices deliquerunt. Quum enim ea medicae artis pars, quam therapiam appellamus, neque temporibus nostra aetate superioribus, neque ipso nostro quo vivimus tempore, eo pervenerit, ut secura, absque dubitatione ac metu suaque innisa virtute, sublimi vertice incedere possit; quum certum sit post longam demum annorum serium hunc tamquam extremum quemdam, exoptatissimumque finem cogitari potius quam sperari posse; tum hoc manifestissimum est, nec ulli dubio obnoxium, accuratiore materiae, qualis et normali est et abnormali statu, notitia ad certiorem rationique magis consentaneam morborum sanationem viam muniri. At accurata illa materiae notitia nonne est fructus, quem e nova ista, in quam perducta est, ratione ars medica percepit? Est sane, neque negari potest, therapiam inde utique

correctam et emendatam esse. Qui vero artem medicam exercent, eorum nonnullos haud raro quasi data opera negligere therapiam et pauci habere videbis. Multi, qui scholae physiologicae asseclae appellari gloriantur, medici officium, quatenus in therapia versatur, iure suo sibi videntur spernere, neque desunt clinicorum medicorum exempla, a quibus anatomici status diagnosi religiosissima opera navatur, summoque opere morbi symptomatum explicationi physiologicae incumbitur, morbi curae vero sanationisque obiter tantum atque veluti in transcursu fit mentio.

In chirurgiam, geminam germanamque artis medicae sororem, quae cum illa quamquam arctissimo vinculo coninncta, proprio tamen suo itinere procedit, illae querimoniae, convicia illa non conferuntur. Illam enim iam antiquitus et certe non plane immerito concessum est eximio hoc et duplici prae medicina uti privilegio: quum diagnosis chirurgica solidioribus innitatur fundamentis, tum multo maiore fruitur efficacium probatorumque remediorum copia, quibus propulset imminentem mortem et labefactatam valetudinem corroboret. Chirurgiam vero qui profitentur et exercent — nec quisquam, qui quidem animum in hanc rem attenderit, infitias ibit — iis non regnare videtur pathologia, sed una fere therapia curae cordique est. Atque in aprico est cur hoc ita se habeat. Quod enim in chirurgia princeps locus therapiae conceditur, tribuendum id est indoli morborum, quibus mederi nititur, quique magna pro parte eius sunt generis ut peculiari prorsus auxilio indigeant. Sunt enim hi morbi, qui turbatis organismi partium forma vel ratione (organisationem dicunt) nasci solent, quique nisi mechanicis adhibitis remediis, h. e. nisi factis operationibus chirurgicis sanguineis vel non sanguineis, omnino curari nequeunt. Itaque praeter materiem medicam proprie sic dictam haud exiguus remediorum numerus sub chirurgi est ditione, quorum et in una chirurgia est usus et ea est indoles, ut vitia, quibus tollendis inserviunt, saepenumero repente tamquam ex improviso tollant, imminentemque iamiam mortem prompto auxilio ilico fugent. Quae cum ita sint, non est quod miremur iam antiquissimis temporibus multos fuisse, qui chirurgiae, cuius vis esset tam prompta, pulcra et salutifera, strenuam et fervidam operam navarent et pro virili parte elaborarent in excolenda promovendaque arte, cuius ope tot laborantium mitigantur dolores, laetitiaque oritur ex dolore.

Nec frustra in ea vires ingeniumque exercuerant; iam mature enim gravissima remedia therapeutica cognita adhibitaque fuisse, artis nostrae salutiferae docemur historia. Dum in medicina nova in dies systemata propullulabant, chirurgia, novarum rerum, quas unumquodque saeculum protrudebat mox perituras aliisque locum cessuras, minime cupida, munita sua via secura tranquillaque procedebat. Itaque sensim sensimque conditum, exstructum exornatumque est chirurgiae firmum solidumque aedificium, cuius fundamenta iacta sunt temporibus, quorum caligo historiae face vix propellitur. Nulla omnino fuit aetas, quantumvis praeterea fuit rudis, quin ea chirurgiae practicae studium aliquatenus saltem promotum, doctrinaque chirurgica, unam alteramve novam observationem fuerit lucrata; quae nova inventa quum merae empiriae erant fructus, tum arcte cum aliarum disciplinarum, physicae v. c. anatomiaeque progressibus cohaerebant, quibus chirurgi ad suam artem amplificandam emendandamque gnaviter utebantur. De hisce experientiae ingeniosaeque et religiosae indagationis fructibus tempus ipsum iustum tulit iudicium; aliis pepercit eaque immutata ad nostram usque aetatem servavit, alios absorvillavit novisque et iis melioribus inventis locum cedere coëgit. Nobis vero, quibus maiorum experimentis tamquam pretioso nobis credito thesauro licet uti, ingens patet campus, in quo exspatiemur, ingens tradita est materia, in qua expolienda, augenda, disponenda vires exercere liceat. Nec intervertit, vel temere dissipavit nostri aevi chirurgia pignus a maioribus sibi creditum, sed pie servavit atque auxit prudenter curando et utendo. Convenit hoc inter omnes, quibus cognitum est, in qua iam conditione chirurgia practica versetur. Nec latere potest, quicumque auxilia, quorum ope chirurgia nostri temporis nititur, gloriatur et gaudet, contulerit cum iis, quorum usus superiorum saeculorum chirurgis erat concessus, nulla umquam tempestate chirurgiam practicam tanta et tam gravia cepisse incrementa, quanta ipsa ea aetate, qua nobis vivere contigit. Atque est hoc argumentum, de quo coram vobis verba facere mecum constitueram; dicam ergo *de progressibus quos Chirurgia practica nostra aetate fecit;* de quo argumento quae disputaturus sum attentis quaeso et benevolis auribus accipite!

Itaque primum omnium statuendum mihi erit cuiusnam generis profectus fuerint, quos nostra aetate chirurgia practica fecerat. Estne accitis

novis, difficilibus, audacibusque operationibus, quod tantopere aucta et promota est? Haud defuere profecto huius generis nova inventa, ac nullus fere est dies, quin a variis clinicis nuncii nobis afferantur novarum peritis chirurgorum manibus factarum operationum, quas omnino fieri posse maiores nostri animo vix ac ne vix quidem comprehendere potuerant. Nec tamen hos egomet artis chirurgicae profectus nominaverim, quos fecit audacter periclitando vel temere conando, non hoc equidem gravissimum dixerim incrementum quod cepit, cum ipsa natura acriter et ferociter conflictata; sed quid tandem est, rogatis, quo comparato tantopere glorietur et gestiat? Duplex est illa quam volo hodiernae chirurgiae laus, quam utramque deinceps indicabo. Primo loco accuratissime inquisitum est in varias mutationes, quas materies eiusque vires mechanica adhibita opera subeunt; deinde quam ego maximam laudem dixerim, in eo omnium virium contentione est elaboratum, ut medendi rationes excogitarentur, quibus affectae corporis partes servarentur, quin deletae chirurgiae ope reficerentur et instaurarentur. Dabitur nostrae aetatis chirurgiae illa laus, illam magis magisque factam esse artem, sit venia verbo, conservantem: missa enim, quantum fieri possit, periculosa, dolorosa et sanguinolenta sanandi ratione, eo adducta est, ut plerisque casibus effectu haud minus certo ad eundem finem possit perveniri cum multo minore laborantium dolore, iisque evitatis mutilationibus, quas in nonnullis periculosis casibus tamquam unicam viam solebant considerare, qua ad salutem perviniri posset. Iam vero inter optimum quemque chirurgorum tacito convenit, dummodo morbi sanatio nihil inde detrimenti capiat, religiose abstinendum esse ab unaquaque dubii eventus operatione, cuius in locum simplicior atque minus periculosa curandi methodus possit substitui. Neque hoc ita velim accipiatis, A. H.! ac si haud amplius dixerim chirurgos inveniri, qui audacia atque impia temeritate prae ceteris excellere et inclarescere nitantur. Exstant eheu! hodieque, sed eorum natio aliquantum est diminuta.

Debetur, inquam, nostrae aetatis chirurgiae artis conservantis atque restaurantis honorificum nomen, quoniam medetur mutilationibus et tollit vitia, quae tolli posse maiorum nostrorum nemini animum subiit. „Quantopere," Cl. Roux dicit, chirurgorum Franco-Gallorum Nestor et decus, vita nuperrime defunctus, „quantopere exsuperavimus quodcumque vel ante

„hos triginta vel quadraginta annos in arte nostra praestitum est; quin „novam paene omnino artem creavimus, artem dico mutilos vel difformes „in integrum restituendi vel refingendi — neque negari potest hac parte „chirurgiam tantum cepisse incrementum, quantum qui ante nos eandem „artem excolebant divinare non potuerant, quos persuasum mihi est stu„pentes esse intuituros, si chirurgiae profectus iis liceret inspicere."

Salutiferam hancce, quam ars nostra sequitur, viam recolamus: gravissimorum, quae ad nostram aetatem pertinent, inventorum aliquot enumerando. Quae praecipue cernuntur in ea chirurgiae parte, quam autoplastiam et orthopaediam operativam appellamus. Hac enim parte est, qua praecipue conservare et restaurare studet, hac parte revera artis nomen est promerita, quippe quae indefessa opera fervidoque studio id sit assecuta, quo perveniri posse olim omnino non creditum erat.

Chirurgiam plasticam, h. e. artem mutilas vel deletas faciei partes refingendi constat iam antiquissimis temporibus cognitam, ac deinde, sed tempore memoria nostra longe priore, in Italia exercitam fuisse. Nostrae denique aetati contigit memoriam artis oblivione paene deletae, redintegrare neque haud ita multo postquam rhinoplasticae operationes varia ratione fieri erant coeptae, ars organice mutilas vel deletas faciei partes instaurandi amplificata et multiplicibus casibus adhibita fines suos, tamquam expugnando, in dies amplificavit. Sed non facili opera nec sine summa virium intentione expugnando fines amplificare licuit. Nam quum omnino operatio chirurgica prudenti egeat peritoque artifice, tum ad autoplastiam, praecipue ad autoplastiam cosmeticam rite ac cum fructu perpetrandam non sufficit ut eruditus sit, cautus peritusque Chirurgus, sed eundem opus est accurate et continenter in naturae indagasse vim reproductivam.

„In omni operatione plastica," ut verbis utar Langenbeckii clarissimi, professoris Berolinensis „chirurgi ars exercetur et cernitur in curanda ma„terie viva; reliquae omnes operationes in cadavere demonstrari atque ita „addisci possunt, ut ad perfectionem absolutionemque vix aliquid desit; chi„rurgiae plasticae nemo fit artifex, quin in corpore vivo stipendia meruerit. „Nullum est operationum genus, quod adeo exerceat ingenium et teneat „suspensum, quum non id tantum spectetur, ut malo medeamur, sed etiam „ut mutilis partibus pristinam formam reddamus."

Eoque praecipue referendum est quod artem diximus operationum plasticarum, quum eas facere nequeat, nisi qui pulcri sensu, qualis solet esse artificum, sit imbutus. Quod marmor, terra figlina, aes artifici, idem chirurgo materies organica est, eo tamen discrimine, quod materies, in qua chirurgus elaborat, longe est intractabilior multoque minus artificis nutui parens; etenim inanimis et vitae expers materies facile adsciscit atque servat eam formam, quam felici ingenio Musis faventibus excogitatam artifex scita manu ei indidit. Non ita materies, in qua chirurgus ingenium manumque exercet. Quanta illi opus est cura et opera, ut materiem in eum transferat locum, quo instauratione est opus; quanta providentia et anxietate est cavendum, ut ne materia ab uno loco in alterum translata vim vitalem amittat. Neque his feliciter perpetratis omnes difficultates, quibuscum chirurgo est conflictandum, exsuperatae sunt et sublatae: natura enim tantum abest ut adiuvet artificem in stabilienda et conservanda forma, quam ille materiae impertiit, ut contra eam delere studeat et disiicere; itaque novo opus est labore, ut de invita quasi natura victoria reportetur. Cavendum igitur est, ne nimiam spem de autoplastiae cosmeticae fructibus foveamus. Non semper natura artis conamina sperato eventu remuneratur, neque negari potest admodum rara in faciei partium plastica instauratione esse exempla, quibus chirurgi opus felici omnino fine sit coronatum, et saepenumero id unum operatione effectum esse, ut ridiculum fiat, quod fuerat horrendum et foedum. Nec tamen autoplastiae pretium atque laus hisce minus prosperi successus exemplis imminuitur, quippe quae magnam partem crimini sint dandae falsis adhibitis remediis aut experientiae inventionisque defectui, cuius praestantia et momentum in hac praecipue chirurgiae parte cernuntur. Quanta enim faecundi et sollertis ingenii sit vis, splendidissimae victoriae demonstrant; quas de inveteratis malis, quaeque omnino videbantur sanari non posse, reportare contigit viris illustrissimis, qui excolendae plasticae chirurgiae vitae partem dedicarunt.

Profectus perlustrantibus, quos chirurgia plastica hisce novissimis annis fecerit, eam magnopere videmus increvisse et amplicatam esse eorum opera, qui Graefii, Dieffenbachii, clarissimi Roux, Delpechii vestigia firmiter ac fideliter sunt secuti. Eorum nimirum indefessa continuaque cura effec-

tum est, ut novus iam autoplastiae pateat campus, ex quo non amplius in sola cute experimenta facere, sed etiam reficiendae texturae mucosae inservire coepit. Itaque non amplius autoplastia cutanea tantum exstat, sed etiam autoplastia visceralis. Viro clarissimo IOBERT DE LAMBALLE laus et honos debetur novam hanc, staphyloraphia iam praeparatam partem, autoplastiae addidisse atque morbis opem tulisse, quibus curandis sanandisque artis medicae alumni haud pares esse antea confessi erant. Quis est harum rerum peritus, quin vitium illud organorum genito-urinariorum noverit, quod, plus semel partum statim insecutum, vitam infelicium hoc malo vexatarum feminarum atrocissimis corrumpat doloribus, quin reddat vix vitalem. Iacet denique pertinax ille atque tamdiu invictus hostis; grati agnoscimus fistulam vesico-vaginalem et uterinam gnava IOBERTI industria iis malis iam esse adnumerandam, quorum sanationem unusquisque eruditus et cautus chirurgus confidenter possit suscipere.

Longum est et a proposito nostro alienum omnes deinceps enumerare, quos in singulis partibus nostrae aetatis chirurgia plastica fecerit progressus. In memoriam revocasse sufficiat, quantopere staphyloraphia et palatoplastia experimentis virorum expertissimorum ROUX, DIEFFENBACH, BÜHRING (cui duri palati lacunas materie ossea explere contigit) sint promotae, quam felicem operam navaverint rhinoplastiae LANGENBECK, cheiloplastiae BLASIUS, urethroplastiae NELATON, perineoplastiae IOBERT, ROUX, DIEFFENBACH, ut de reliquis taceam.

Itaque nostra aetate non solum renata est rhinoplastia, sed exstructum vastum plasticae chirurgiae aedificium, quae, atrocissimis malis operam dum fert, auxilio est laborantibus atque arti nostrae chirurgicae insigni honori! Atqui forte sit qui dicat plasticas operationes deo minoris esse momenti et pretii, quam alius generis operationes, quod non fiunt vitae conservandae gratia; iis scito alterum procreari bonum, vita ipsa vix minus pretiosum; efficiunt scilicet, ut vita denuo fruantur, quibus vita fuerat non fructui et felicitati, sed taedio et oneri.

Alterum est nostri temporis inventum, quo confirmatur, quod in orationis introitu posui, chirurgiam factam esse artem conservantem et instaurantem, orthopaediam dico operativam.

Orthopaediae operativae inventae meritum totum est nostrae aetatis.

Non est illa, auctore DIEFFENBACHIO, splendidior et gravior, quam ars manu curandi reportaverit, victoria, quippe qua facultatem acquisiverimus difformitatibus medendi, quae unicuique alteri medendi rationi pertinaciter resistunt. „Vel corpora, ut cum DIEFFENBACHIO loquar, quae omnium ar-„tuum contractione prona erant facta et ad terram vergentia, adeo ut illo „malo affecta serperent reptilium instar, illius ope recta denuo incedunt; „medetur vel seni decrepito, cui infanti auxilium afferri non potuerat."

Operativa orthopaedia nata est e tenotamia subcutanea; orthopaedia vero ex quo nata est, sensim sensimque tanti facta est ambitus, ut nulla sit inter fines chirurgiae operatio, quae eam aequiparare, quin cum ea comparari possit. Quid mirum igitur, quod novum hocce et praepollens remedium, quo STROMEYERUS chirurgiam ditavit quoque invento optime meritus est et de laborantibus et de medicis, plausu laetitiaque nusquam non est receptum, quid mirum, quod praestantissimus quisque maximopere nitebantur, non tantum ut invento illo, occasione oblata, fruerentur, sed etiam ut in rei novae naturam indagando penetrarent, h. e. ut nossent actionem anatomico-pathologicam, quae tenotomiam subcutaneam sequeretur; ut perspicerent mutationes dynamicas, quae corporis partium affectarum tenotomiam praecederent atque orirentur, ea facta. Quo factum est, ut intelligeretur, qua ratione tenotomia esset utendum ad tollenda vitia orthopaedica et appareret quomodo aeger, facta tenotomia, deinde esset curandus. Sed multum aberat, ut omnes eadem animi integritate nil appeterent, nisi ut novo pulchroque invento rite uterentur et naturae mores perdiscerent.

Haud pauci erant, mala ambitione stimulati, qui nova et ipsos incedere semita, eamque, si eius fieri posset, reddere latiorem et magis munitam anniterentur. Suum nomen iam gestiebant coniunctum iri cum gloriosa virorum summorum mentione; sed nimis properando et parum ponderando ad multos fatalesque errores delapsi sunt; historia sectionis musculorum linguae, qua balbutiendo mederentur, gravissimo potest esse documento, quomodo nimio novam inventionem augendi et perpoliendi studio a recta via aberraverint non solum vanae gloriae ventosi captatores, sed etiam viri de nostra arte summopere meriti. Merito praedicata est, concedo, nova tollendi strabismi ratio, inciso bulbi musculo; haud exiguus est casuum numerus, quibus ingeniosus, quam qui maxime, DIEFFENBACHIUS,

orthopaedia operativa ad hanc quoque partem adhibita, felici successu musculi illius sectione, strabonibus opem tulerit; tamen negari nequit, imitandi quasi pruritum et hic maximo fuisse detrimento, atque inventioni, quae illustrem in chirurgia operativa perpetuo obtinebit locum, obtrectatores et adversarios minime meritae excitasse.

Utinam vero hac una tantum chorda esset aberratum! Sed non solum nimis sedula festinatione, non solum re optima false utendo, eo quoque graviter est peccatum, quod erant, qui aliquot difformis corporis musculis insectis satis bene munere suo sibi viderentur esse functi, nec concoquerent rarissime vel potius numquam una operatione rem confectam, sed fere semper viam tantum munitam esse, qua ad finem, idonea nec intermissa curatione, tandem aliquando pergi possit.

Enumerabo quae chirurgo, post feliciter perfectam operationem, facienda restent, ut simul intelligatur, quae operationum orthopaedicarum peculiaris sit ars et laus: adhibenda sunt instrumenta, quibus emendata, musculis vel tendinibus persectis, artuum directio conservetur et adiuvetur; cernendum est quanta opus sit pressione et quo loco ea ita possit adhiberi, ut aegrotanti quam minime sit molesta; stimulanda suscitandaque est vasorum nervorumque vis remediis dynamicis et motu tam activo quam passivo.

Scite igitur et circumspecte moderari oportet naturam et quasi temperare, qui orthopaediam operativam feliciter et ita velit exercere, ut sibi ipse satisfaciat. Qui vero omnibus destitutus, quae singula ad vitiorum orthopaedicorum curationem operativam necessario requiruntur, temere secando eius generis morbis sibi videtur posse mederi, eum novo quoque casu, experientia novo docebit exemplo, vana fuisse atque irrita conamina. Sed vel sic tamen minus felici istorum nihil non audentium in plerisque casibus successu id saltem lucrati sumus, ut lapidibus, cognitis quibus impingi soleant, prudentius iam atque cautius singulis morbis novam sanandi methodum adaptemus, quam viri sagacissimi sollerti cura faustoque eventu excoluerunt et stabiliverunt. Virorum clarissimorum Stromeyer, Guérin, Dieffenbach, Little, Bouvier, Duval indefessa industria quid in Francia, Germania, Anglia, nec non apud nostrates eorum vestigia secutos, sit praestitum in vulgus notum est, neque ignoratur orthopaediam operativam in dies novis ditari accessionibus: cuius rei insigne documentum est osteo-

tomia, quam primus vir doctissimus MAYER Herbopoli in artem introduxit. Novam a STROMEYERO excogitatam rationem curvaturas extremitatum curandi maximo arti chirurgicae fuisse emolumento ac plurimos pulcherrimosque inde perceptos esse fructus supra demonstravimus. At licet LOUVRIERII, LANGENBECKII ratio curvatis artubus formam suam restituendi multis iam casibus operam tulisset saluberrimam, supererant huiusmodi vitia, quibus corrigendis incassum peritissimus et gnavissimus quisque omnem lapidem moverant. Nec opinato osteotomia in artem chirurgicam introducta, ab hac quoque parte lactior lux affulgere atque via videtur esse reperta, qua ad salutem pergere liceat. Nova omnino est ars, sed tam feliciter recens nata casibus aliquot est adhibita, ut omnino digna sit, in quam accuratius inquiratur. Ulterius enim nova via progressus est LANGENBECK: MAYERI scilicet vestigia secutus subcutaneam instituit osteotomiam et nova hac ratione compluries sane nec frustra est usus, id quod e casuum historia apparet nuperrime publici iuris facta. Laeto profecto et honorifico documento sunt palmaria haccce celerrimeque unum alterum insecuta nova inventa, chirurgiam nostrae aetatis tamquam e longo veterno expergefactam, viribus refectis, id unum summa contentione spectare et appetere, ut melior, plenior, ab omni parte emendata et correcta, verbo, ut prorsus alia et nova evadat.

Sed progressus, quos orthopaedia fecit, non eo tantum sunt referendi nec inde solum derivandi, quod arctiorem cum chirurgia societatem iniverit; ab omni parte in ea corrigenda est elaboratum, quod nusquam luculentius apparet quam in emendata curvaturarum spinalium therapia. Nulla chirurgiae pars tam diu et tam foede iacuerat neglecta, in nulla curanda tanta fuerat chirurgorum inertia et conniventia. In huius generis curvaturarum pathogeniam aut omnino non erat inquisitum, aut in obsoletis, mancis vel falsis omnino ratiocinationibus et theoriis acquiescebatur.

Iam igitur, quum ars chirurgica hac parte vix praeberet quod operae esset pretium, quumque vana maximam partem inaniaque essent illis vitiis medendi suscepta conamina, quid mirum quod plerique chirurgi inviti se accinxerunt ad morbi adeundam curationem, cuius naturam non perspexerant et de quo sanando desperare consueverant. Itaque curvaturarum spinalium therapia saepenumero instrumentorum chirurgicorum ligamento-

rumque fabricatorum ingenio vel potius manibus est credita. Eos vero in mali naturam non penetrasse, sed solummodo quid instrumentis mechanice effici possit esse periclitatos, vix minus est ambiguum, quam trochleis momentisque tales difformitates radicitus non posse tolli. Itaque in chirurgiae tamquam horto sterilis haeccc frustra colebatur arbor, et aequalibus demum aridam emortuamque paene arborem invitam revocare contigit, quae iam laete effloret, novisque in dies foliis fructibusque ornatur. Intellectum est earum difformitatum non semper easdem esse causas ncc eandem naturam, intellectum est eas modo cum hoc, modo cum illo, cohaerere morbo, eoque demum perspecto discrimine prudentiorem institui posse et rationi magis consentaneam morborum curationem. Multum quidem abest, ut de huius morbi pathogenia et therapia inter omnes conveniat, sed empiria regnare desiit; non amplius prudens chirurgus instrumentis mechanicis lectisque, qui Procrustis lectum imitantur, salutem quaerit, sed dynamicis, diaeteticis mechanicisque scite coniunctis remediis. Imprimis nostra aetate perspectum est et multis felicissimi eventus exemplis demonstratum, gymnastiam in curvaturarum spinalium curatione insignem occupare locum. Iam diu est, ex quo huic tollendae difformitati exercitationes gymnasticae adhiberi sunt coeptae, sed hac quoque artis parte nostra aetate ulterius sumus progressi. Quum enim intelligeretur saepenumero anomalias apparatus motorii curvaturarum esse causam, in auxilium vocata thesi certissima et verissima quam quae maxime, ossa fere sequi impulsum motorium, quem a musculis acciperent, musculosque ipsos exercendo corrobarari, hac, inquam, in auxilium vocata thesi, nata est gymnastia, cuius hic potissimum erat finis, ut corrigerentur musculi, qui cum ipsa difformitatis sede cohaerent. Est methodus a Lingio excogitata, quam volo, quaeque omnibus iam plaudentibus introducta felicissimoque identidem successu est coronata.

Sed ut vitia orthopaedica, imprimis curvaturae quas dixi, rite curari possint, opus est ut tali difformitate laborantes sub medici oculos in aedificiis degant, exstructis ita, ut huic uni fini inserviant, instituta orthopaedica nostrates appellant. Plane peculiaris enim eiusque indolis sunt remedia, quibus chirurgo in hisce morbis est utendum, ut in domo privata vel amplissima et lautissima finem propositum vix ac ne vix quidem assequi possit. Nulla fere est maiorum Europae urbium, quin in ea tale aedificium

fuerit exstructum, quod per nostram patriam incassum anquires. Quod enim talia instituta hucusque desiderantur, ei potissimum tribuam nullibi terrarum tot difformes, mutilos mancosque vias obsidere et fora obambulare quam in ipsa nostra patria.

Iniustus essem ac ingratus, si occupatus in enumerandis artis chirurgicae progressibus et incrementis silentio praetermitterem novam curandi rationem, quae ossium sanandis fracturis proprie destinata, multis aliis casibus adhibita, et factum est unum e saluberrimis utilissimisque remediis, quorum chirurgo potestas est facta. Dico novum illud deligationis apparatum, cui apparatus immobilis nomen est inditum.

Quicumque fracturarum therapiae operam navarant, iam diu intellexerant dolenterque persenserant desiderari aptiorem, utiliorem simplicioremque deligationis apparatum. Non uno nomine vitiosae nec absolutae erant deligandi rationes, quibus utebantur, neque impediri potuit, quominus anxia chirurgi cura et prudentia identidem eluderentur. A simplicibus vincturis ad magis artificiosas confugiebatur, sed nulla vitiis corrigendis erat idonea; itaque mox ad priorem quantumvis vitiosam methodum reverterunt, donec immobili introducto apparatu omnes difficultates sunt sublatae, omnibus dubitationibus et vicissitudinibus finis est factus. Vincturae immobilis antiquissimis iam inventae temporibus vindicasse memoriam laus debetur clarissimo Larrey, nec minus egregie erga artem nostram meritus est clarissimus Seutin, qui eam reddidit simpliciorem, inchoatam tantummodo absolvit et docuit, quo pacto aliis quoque curandis vitiis possit adhiberi: fuerunt qui novo deligationis generi, quo fracturarum ossium therapia omnino mutata et alia est facta, adversarentur, sed quum experientia doceret, quanta inventi esset praestantia, tacere iussi sunt qui inventorum gloriae invidebant. Itaque non solum correctam deligationis lucrati sumus rationem, sed etiam chirurgiae, quam conservantem appellavimus, novum suppeditatum est auxilium, quo mederi possit vitiis, quibus sanandis antea amputando secandoque in laborantes fuerant grassati.

Nec tamen in Seutini viri clarissimi invento acquiescendum esse censebant sollertes nostri aevi chirurgi; variarum rationum, quibus illi inventam rationem conati sunt emendare et amplificare, vix una est — lector referens — maioris graviorisque momenti quam qua civis noster optime

meritus Ds. MATTHYSEN artem donavit; excogitavit ille vincturam gypso liquefacto imbutam, cuius de praestantia non solum in patria nostra, sed inter omnes ubique doctiores convenit. Neque inde de MATTHYSENII merito vel tantillum detrahitur, quod vir clarissimus PIROGOFF laudem illi debitam sibi conatus est vindicare; manet MATTHYSENIO inventae novae rationis laus, quam immerito illi eripere annititur qui novi nil introduxit, sed mutavit tantummodo, in quod alter prior inciderat.

Perlustrantibus porro reliquas chirurgiae operativae partes nullam fere esse apparet, quin nostra aetate complura, pulcherrima utilissimaque ceperit incrementa. Quae singula possunt esse documento hoc praecipue chirurgis curae esse et cordi, ut, quantum maxime fieri possit, vehementioribus sanguineisque sanandi parcant rationibus atque summo opere conservare nitantur quod amputando abiicere et delere religioni ducunt, nisi servato laborantis salus in discrimen possit adduci. In primis censenda est lithotripsia, in qua culmen fastigiumque conspicitur, ad quod Francica saeculi nostri chirurgia adscendit. Paucis recens inventa cognita et exercita mox commune bonum est facta, adeo ut nemini eorum, qui in exercenda arte manu curandi vitae stationem ponunt, liceat esse hospiti in eo, quod lithotripsiae encheiresin nominaverim. Fert tamen ipsius rei natura, ut haud ita magnus sit chirurgorum numerus, qui huius faciendae operationis in se suscipiant provinciam.

Quod dixi chirurgiam hisce temporibus eam sibi scripsisse legem, ut conservetur quod sine laborantis detrimento conservari queat, eam ita praecipue videbitis esse observatam, ut anxie evitentur operationes, quibus corporis partes delentur, imprimis amputationes. Dira est ac tristis, ad quam chirurgus defertur, necessitas, ut totius servandi organismi gratia aliquam eius partem exstinguere cogatur; invitus gravi ingratoque officio fungitur quod vel faustissimo eventu peractum miseratio insequitur, inops quum conspicit laborantis et mutilum corpus. Quid mirum igitur, quod, priusquam fatalem et irrevocabilem de vitiosa corporis parte sententiam pronuntiat, sollicite circumspicit nec ullum praetermittit quantulumcunque vestigium, quo servata illa parte in salutis viam possit perveniri. Quod fit interdum resecta parte aliqua fundamenti osteini eius membri, quod morbo est affectum. Occupant huiusmodi operationes in chirurgia

conservante locum perquam insignem, quippe quibus non solum id efficiatur, ut conservetur corporis pars, quam antea amputando solebant delere, sed etiam insperata salus existat morbis, de quorum sanatione olim desperatum erat et conclamatum.

Annales clinici atque prae ceteris annales chirurgiae militaris documento sunto, quam multifarius novissimo tempore harum operationum fuerit usus; tamen negari non potest artuum resectiones chirurgos videri reformidare, ac iustas esse fatendum est viri clarissimi Blasii querimonias, eam sanandi rationem negligi, itaque perire multa membra artusque, quae ea adhibita potuerant servari. Proinde illius amplexi sententiam nostrae aetatis patriaeque chirurgis magnopere sumus auctores, ut in gravissimam hanccc et parum usurpatam incultamque sanandi methodum prae ceteris animum attendant.

Nec tamen exhausta est materies praedicandi et extollendi laude merita chirurgiam conservantem, quae sui arbitrabatur esse officii, ut haec quoque quantumvis incruenta operatio evitaretur. Vix opus est ut moneam tam graves quaestiones perenni tantum experientia ita posse solvi, ut nil dubii sit residuum. Quam ad augendam chirurgorum experientiam turbis, hisce annis in compluribus Europae regionibus ortis, multum est collatum. Bellis gestis seditionibusque, in ipsis maioribus urbibus natis, chirurgis potestas est facta, quum magnam copiam laesionum traumaticarum observandi, tum gravissima therapiae remedia multis eiusdem generis casibus adhibendi, eorum vim ac valorem aestimandi et quaestiones dissolvendi, de quibus ambiguum hucusque fuerat iudicium.

Nolo orationi finem imponere, nisi facta mentione alius nostrae aetatis inventi, quod chirurgis, operationes facientibus, gravissimum gratissimumque adiumentum tamquam cumulus accessit, quaecumque laborantium sublevandorum gratia variis temporibus ingenium humanum erat enixum.

Dicere me intelligitis, Auditores! omnem sensus ablationem, respirato aetherco vapore. Cuius saluberrimum effectum atque ingens in operationibus gravioribus pretium unoquoque die est videre. Fuit hoc unum adiumentum, quo ars nostra salutifera semper adhuc caruerat.

Probata quidem experientia remedia, quibus haematorrhagia traumatica

possit anteverti, iam diu inventa et in vulgus nota erant. Sistere sanguinem didicerunt vel late ac rapide profluentem, sed frustra medicinam anquisiverant, qua dolorem propellerent. Ecce remedium repertum, ecce vaporis aetherei inhalatione omnis sensus ablatus et eum sensu dolor. Creditisne plaudentes quin exsultantes pretiosum salutiferumque remedium exceptum fuisse a doctioribus omnibus, medicis omnibus aeque ac laborantibus, et Lucinam quoque dulci philtro suae curae mandatas palpare conatam esse earumque mitigare dolores? Quam mirifica novi huius remedii sit vis, nisi qui ipse viderit, vix credet; at qui adspexerit narcosis aethereae vim vel ipse erit expertus, eum mirari non subibit quod inventori, viro praestantissimo JACKSON, grati animi testificandi ergo cives vivo statuam posuerint, quin immo debitam meritamque esse laudem et gloriam gratus et ipse agnoscet.

Nec tamen deerat, quo praeclari inventi splendor offuscaretur. Haud diu erat ex quo inhalationis aethereae vis a chirurgis perspecta et usurpata erat, quum omnes artis nostrae alumni graviter affligerentur casibus aliquot, quibus inhalatione non solum omnis sensus, sed cum sensu vita ipsa esset ablata. Et iam in eo erant, ut prorsus derelinquerent et abiicerent quod laetabundi modo exceperant, quum aethere chloroformyli in sulfurici locum substituto res denuo pertractari et indagari est coepta. Illa quoque narcosis specie fatendum est non omne periculum fuisse propulsatum, sed refecto placidoque animo in narcosis indolem inquirere atque ita id efficere instituerunt, ut ea absque omni periculo uti possent. Sed utinam eo pervenire potuissent! Haec enim omnium de hac re institutarum disquisitionum est summa, eo coniunctis peritissimorum prudentissimorumque virorum curis et studiis res est perducta: inhalationem aetheris sulfurici vel chloroformyli mors potest sequi, neque in promtu sunt certa probataque remedia, quibus tristis hic et funestus eventus anteverti possit.

Nonne igitur antiquius foret, dixerit aliquis, discedere de periculoso hocce tramite, abstinere remedio, quod summa licet adhibita cura et cautione ludificatur medicum atque mortem adfert pro salute sperata? At me assentientem non haberet qui talia proferret. Mirari enim subit, qui fieri potuerit, ut repentinae mortis, quae inhalationem aethéream sit secuta, exempla in dies fiant rariora. Quod non ita explicandum est, ac si minus fre-

quens remedii iam fieret usus, sed prudentius eo uti censendum est chirurgos experientia fuisse edoctos. Neque practervidendum est non in omnibus casibus, quibus mors inhalationem est secuta, eandem mortis fuisse causam; nimia sanguinis iactura vita potest in discrimen vocari neque ullus est chirurgorum adeo peritus, prudens et cautus, quin semel iterumve a recta via aberret et vitium committat, quod semel commissum corrigi non potest. Itaque dolendum esset, si tam praeclarum remedium tremebundi seponeremus et despiceremus — neque umquam abiici aut sperni poterit medicina, cuius egregia vis atque utilitas sexcenties casibus ita est probata et demonstrata, ut eam negligere summae foret dementiae.

Fieri potest, ut novae existant diversaeque doctorum de inhalatione actherea sententiae; inhalatione ipsa uti pergent, quamdiu laborantes instanter medicum rogabunt remedium propellendo malo, quo mortem ipsam putant esse mitiorem et magis tolerabilem.

Sed ruit hora et finem facere iubet orationi, licet uberrima supersit disserendi materies. Quae iam praetermittenda sunt silentio, praesertim quum dicendi venia, quam mihi dedistis, abuti non liceat. Neque mihi erat in propositis omnia deinceps enumerando recensere, quaecumque ars manu curandi ceperit incrementa; qui hoc unum animo informaveram, ut principalibus demonstratis novis auxiliis, quo nostrae aetatis chirurgia se ipsam donaverit, eius adumbrarem imaginem et indolem ostenderem.

Restat una quaestio eaque e gravissimis, neque detrecto ad eam respondere. An etiam nostra patria horum chirurgiae progressuum partem aliquam iure sibi vindicat inque ea praestitum est aliquid, quod ad artem doctrinamque chirurgicam excolendam et promovendam facere possit? Iniustum ferre iudicium et de merita chirurgorum inter nostrates degentium laude detrahere mihi viderer, nisi concederem eorum quoque cura et industria aliquantum artem promotam fuisse. Neque desunt rerum testimonia! Legite, quaeso, observationes, quas diariis medicis nostris inserendas curaverunt, perlustrate relationes clinicas, recolite animo quodcumque de chirurgia in patria nostra publici iuris est factum, neque cunctanter, scio, meam amplectemini sententiam, affirmantis chirurgos Neerlandicos doctrinae a maioribus traditae neque spretores esse neque male tenaces, quum omnium, quaccumque in arte nostra novata sunt, inventa et emendata, nihil

neglexerint, quod quidem experientia fuerit probatum et usu commendatum, quum ipsi artem conati sint pro virili parte promovere, augere et exornare.

Non omnia, quae apud exteras gentes novata atque praedicata sunt, nostratibus placuisse atque continuo in praxin fuisse introducta honori potius equidem quam dedecori duxerim. Natura enim — nec est quod queramur — cautos nos finxit atque prudentes, neque temere excipientes, quaecumque aetas bonorum aeque ac malorum ferax protrudit, quaecumque vanae gloriae nimis studiosi nullo non die enituntur. Quam dixi gentis nostrae indolem, cius expressam adspiciet imaginem, qui artis medico-chirurgicae inter Batavos historiam perlustrarit; alta mente artis medicae alumnis manebat repositum, non solam artem agi, sed vitam et sanitatem laborantium, quorum sibi cura esset mandata. Neque igitur sibi esse licitum sunt arbitrati, neglecta vel minus religiose procurata civium et civitatis salute, remediis uti nondum ab omni parte probatis et suffultis; qua chirurgorum religiosa et anxia cura factum est, ut funestis abstinuerimus erroribus, qui e nimia festinatione nasci solent artique nostrae maximo sunt detrimento et dedecori.

Conditionem, in qua chirurgia apud nostrates versetur pensitantibus, esse dixi quo laetaremur; sed non desunt, ingenue enim dicam quod sentio, quibus doleamus, quae desideramus et exspectamus. In primis impedimentis, quibus chirurgi acri studio properantes retardantur, nominaverim institutionem clinicam in nostra patria nimis angustis finibus esse circumscriptam; nosocomia minoris momenti esse et ambitus, quam quae institutioni medicae plane sufficiant. Mutata et emendata institutione clinica opus esse quum peritiores quique concedant, tum vario modo varii conati sunt emendare quod vitiosum, mancum, ineptum esse clamarunt omnes et fuerunt conquesti. Atque velim imo pectore omnes persentiscant, quantae haec res sit gravitatis. In institutione clinica nimirum tradenda, disciplinae medico-chirurgicae cardo est positus. Quo maiore exemplorum numero discentis augetur experientia et acuuntur oculi, eo confidentius sperare possumus fore ut artem, quo civium saluti et vitae prospicitur, rite, caute et circumspecte exerceat. Ubi sordet institutio clinica, ibi saluti civium minus bene prospectum et ab hac saltem parte non est provisum, ne quid respublica detrimenti capiat. Om-

nem omnino medicinae chirurgiaequc practicae conditionem ab institutione clinica, recte moderata, pendere confidenter affirmo. Etenim in hac quasi officina materies paratur et congeritur, undc practicae medicinae et chirurgiae aedificium exstruatur; in clinicis artis praecepta, accurato examini subiecta, singulis casibus religiosc adhibentur et adoptantur; in clinicis futuro medico occasio est oblata laborantis conditionem accurata ea cura observandi, qua opus est ad morbum bene dignoscendum; in clinicis complurium inter se comparandorum casuum, novorum remediorum, quae ars suppeditavit, experiendorum fit potestas; in clinicis, quod vix minoris est momenti, post mortem in morbi causam et sedem licet inquirere. Clinica igitur institutio medicorum ut optima magistra, ita artis nostrae est nutrix et conservatrix.

Finem orationi impositurus fausta quacque arti salutiferae, cui vitam dicavi, apprecor. Faxit Deus optimus maximus, ut nova via caute progredi nostrates pergant, ut eorum sagacitate, indefessa vigilantia et industria ad perfectionem in dies chirurgia propius accedat. Integram tum servabimus et augebimus gloriam, a nostris maioribus in hac quoque arte paratam; insignis tum locus Neerlandicis chirurgis iuxta Germanos, Franco-Gallos et Anglicos merito concedetur.

ACTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

A. 1854.

Die 8 Iunii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi C. G. C. Reinwardt, in Fac. Math. et Phys. Disc. Professoris emeriti.

Die 12 Iunii. Leguntur literae Curatorum, quibus Senatui nunciatur, Virum Clarissimum P. L. Ryke, in Ordine Disciplin. Math. et Physic. Professorem Extraordinarium, decreto Regio d. 10 Maii 1854 creatum esse Professorem Ordinarium.

A. 1855.

Die 10 Ianuarii. Luget Senatus obitum Viri Clarissimi M. Siegenbeek, in Fac. Phil. Theor. et Lit. Hum. Professoris emeriti.

Senatus designat quatuor Professores, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde in proximum annum Academicum Rectorem Magnificum eligat. Sunt Viri Clarissimi:

S. Vissering.
A. Niermeyer.
F. Kaiser.
J. H. Stuffken.

Candidati, e quibus futurus Actuarius legatur, designantur Viri Clarissimi:

I. DE WAL.
A. E. SIMON THOMAS.
A. NIERMEYER.
F. KAISER.

Die 7 Februarii. Recitatur Regis Decretum diei 1 m. Februarii a. 1855, quo in proximum annum Academicum Rector Magnificus creatus est Vir Clarissimus SIMON VISSERING.

Futuro Rectori Assessores constituuntur Viri Clarissimi:

A. NIERMEYER.
P. L. RYKE.
I. BAKE.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

Die 8 Februarii. Rector ad Senatum refert, in conventu Curatorum cum Rectore et Assessoribus e Candidatis designatis Actuarium creatum esse V. Cl. IOHANNEM DE WAL.

Rector cum Senatu ceterisque Professoribus in Auditorium maius descendit. Tradit Orationem se conscripsisse *de progressibus, quas Chirurgia nostra aetate fecit:* ob magnam vero rerum, quae ipso Rectore evenerant, referendarum copiam, se coactum esse Orationem seponere. Commemorat ergo Academiae fata a. 1854—1855, et praesertim Vir. Clar. REINWARDTII et SIEGENBEEKII memoriam celebrat.

Recitatis ab Actuario iudiciis Facultatum de Commentationibus pro Certamine literario conscriptis renunciatisque victorum nominibus, Rector Magnificus praemia aurea tribuit civibus Academicis hisce:

Ex ordine Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, Elizae van der Ven et Guilielmo Reinero Suringar, utrique Mathes. et Phil. Nat. in hac Academia studioso.

Ex ordine Iurisconsultorum Bernardo Cornelio Ernesto Proes, in hac Academia Iur. Cand.

Ex ordine Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Hermanno Adolpho Kleyn, Phil. Theor. et Lit. Hum. Cand. in hac Universitate.

Praeterea honorifica fit mentio commentationis philosophicae, conscriptae a Reinhardo Iacobo Lambrechts, Phil. Theor. et Lit. Hum. in hac Academia Studioso, cui diploma a Rectore porrigitur.

Rector Magnificus, magistratu solemniter deposito, e Cathedra descendit et in subsellia redit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deducunt in senaculum et salutant.

IUDICIA

DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

DIE VIII M. FEBRUARII A. MDCCCLIV

PROPOSITAS.

IUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum die VIII m. Febr. MDCCCLIV proposuerat quaestionem sequentem: "In stellas variabiles, quot-"quot sola oculorum acie et per temporis indicti spatium conspici possunt, "ARGELANDRO duce (*Astronomisches Jahrbuch für das Jahr* 1844, *heraus-"gegeben von* H. S. ARGELANDER) novis observationibus inquiratur".

Ad hanc quaestionem ordo unam accepit commentationem, hisce ARGELANDRI verbis inscriptam: "Muthig voran! Jeder Schritt vorwärts nähert "uns dem Ziele."

Quod ab auctoribus non postulabatur huius commentationis auctor adiecit ornamentum. Historica nimirum enarratione disquisitiones de stellis variabilibus adumbravit, clarcque exposuit, quam ARGELANDER excogitavit et commendavit observandi methodum. At quoties non vitaret coeli adspectus, de stellis variabilibus, tredecim numero, observavit, in quibus denique observationibus cuncta quae potuit effecit. Auctoris labor, etsi nonnulla habeat quae in leviorem reprehensionem incurrunt, est eiusmodi ut auctor doctrinam et industriam ordini probet, et quas instituit de stellis variabilibus observationes, eae haud mediocre disciplinae incrementum habendae sunt. Quapropter ordo censuit commentationem praemio dignam esse. Aperta schedula, auctorem se probavit iuvenus ornatissimus ELIZA VAN DER VEN, in Academia nostra Matheseos et Philosophiae naturalis studiosus.

Ad quaestionem „de historia Algarum Nederlandiae" propositam Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum unum accepit responsum, verbis: „Dies diem docet" inscriptum.

Hac autem quaestione non id spectaverat Ordo, ut integrae nostrae regionis, quaquavorsum tendunt eius limites, explorarentur aquae (ad quod plurium annorum tempus et multorum requiritur industria); sed hoc praesertim voluerat, ut ubicumque in nostra patria cives Academici naturae studiosi, quibus animus esset in his vires experiri, suam conferre possent symbolam, sive ad confirmanda ea quae alii hac in re praestiterint, sive ad Florae nostrae cognitionem, novis repertis Algis, illustrandam.

Ad utrumque consilium qua ratione pervenerit huius commentationis scriptor, ex iis quae sequuntur constare potest.

Enumeravit primum praecipua systemata Algologica; tum critice exposuit recentiorem methodum Kutzingianam. ad cuius normam porro totum argumentum pertractavit. Haud paucas aquas dulces et subsalsas, littora maris eiusque munimenta, in multis provinciis exploravit. Quod qua sedulitate et quo fecerit eventu, vel ex hoc uno effici potest, quod nunc constat numerum specierum Algarum nostrae patriae multo majorem esse, quam paucis abhinc annis a Botanicis existimabatur, et quod auctor insignem numerum specierum iam ante repertarum denuo, sed in aliis patriae partibus, ante a nemine pervestigatis, invenerit.

In hunc vero vastum disciplinae campum ita exspatiatus est, ut ad microscopica potius genera, quam ad eas quae nudo oculo conspiciuntur Algas animum adverterit, et ardua facilioribus praetulerit. Stirpes a se visas ad familias, genera et species retulit, cum speciminibus (quantum id fieri poterat), diagnosibus et figuris aliorum comparavit, descriptionibus illustravit, singularum mensuras secundum artis regulas indicavit, multas plantas ipse delineavit, omnes porro, quas collegit, varia ratione conservavit, in praeparationibus autem microscopicis raram dexteritatem probavit. Has autem omnes cum speciminibus siccatis, tamquam eorum quae scripserat testimonia, iudicibus obtulit.

Quibus omnibus perpensis, Ordo iudicavit huius commentationis scriptorum brevi paucorum mensium intervallo multum praestitisse, de difficillima Florae patriae parte egregie meruisse, quaestioni propositae igitur satisfecisse, ideoque dignissimum esse cui praemium aureum tribuatur.

Aperta schedula constitit auctorem esse GUILIELMUM FREDERICUM REINIRUM SURINGAR, Matheseos et Philosophiae naturalis in Academia Lugduno-Batava candidatum.

IUDICIUM ORDINIS ICTORUM.

Ordo Ictorum ad quaestionem: "Instituti, quo summi Reipublicae administri procurationis suae rationes reddere tenentur, natura, origo, progressus, commoda et incommoda exponantur" unam accepit scriptionem insignitam lemmate: "In magnis rebus et voluisse sat est." Cuius auctori Ordo non quidem denegandam censuit laudem singularis industriae in perlustrandis qui novissime de hac materie scripti sunt libris, et conferendis VV. DD. variis sententiis. Sed quandoquidem auctor ab omni qualicunque iudicio de quaestione proposita abstinuit; quin vix quidquam de suo his undique collectis et descriptis locis addidit; et ne singulas quidem opiniones, non raro sibi invicem adversantes, perpendere conatus est, visum est Ordini, praemium illi decerni non posse.

Ad alteram quaestionem, ab Ordine Ictorum propositam: "Instituatur comparatio Iuris Neerlandici et Anglici de societatibus mercatoriis" una itidem ipsi oblata est responsio, superscripta sententia illustrissimi ROBERTI PEEL: "Tell the public, they must rely upon their own vigilance...." cet. Quod opus, licet haud pauca in eo inveniantur, quae abundare, alia, quae fusius exposita esse videantur, et sermo se bonitate parum commendet, tamen variis dotibus ita excellit, ut vehementer Ordini placuerit. Scilicet singularis apparuit auctoris industria in ipsis fontibus indagandis et laudatissimorum quoque auctorum opinionibus diiudicandis; accedit, quod haud vulgaris eruditionis documenta adsint; difficultates denique, quibus comparatio institutorum admodum diversorum premitur, feliciter superatae sunt. Quapropter huius commentationis auctori praemium decernere non dubitavit Ordo.

Aperta schedula et examine instituto auctorem se probavit ornatissimus vir iuvenis BERNARD CORNELIS ERNEST PROES, Iuris Candidatus in Academia Lugduno-Batava.

IUDICIUM FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

In Commentatione „de Munatiis Plancis," quae insignita erat symbolo: *οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν ἢ πάντ' εἰδέναι*, quamque unam de hac quaestione accepit Facultas duo primum exploratione instituta advertit Facultas, quae multum abest ut probaret: primum sermonem Latinum, in quo non tantum castigatio et elegantia requirebatur, sed omnino pure et perspicue sententiarum enunciandarum facultas: alterum, quod argumenti distributio minus apta erat, ita ut res, quae tractandae erant, divellerentur potius ac discerperentur, quam necessaria partitione totius veluti corporis adspectum faciliorem redderent. Sed haec vitia redimere videbatur scriptor commentationis ea eruditione, tum recto et libero iudicio eaque diligentia in ipsarum rerum investigatione et ita in singulis *suus* esse intelligebatur, non alienis tantum copiis ornatus aut alieno iudicio suspensus, ut laudes has praemio decorare decreverit Facultas.

Schedula aperta nomen prodiit scriptoris Hermanni Adolphi Kleyn, Philosophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum Candidati in Academia Lugduno-Batava.

Ad alterum quaestionem: „Locus Psychologiae de Libertate explicetur „ita, ut diversae hac de re philosophorum sententiae enumerentur et ponderentur," Facultati oblata est commentatio patrio sermone conscripta et insignita verbis: de hoogste, de eenige wet voor den mensch is zijn geweten. Huius commentationis auctor maluerat, ut professus est, suam ipsius sententiam de hoc loco exponere, quam secundum Quaestionem propositam diversas Philosophorum sententias enarrare. At scriptionis tamen capita, in quibus enarratoris partes agit, longe meliora sunt quam illa, ubi aut aliorum sententias ponderare, aut quod fecit in disputatiuncula commentationi inserta, suam ipse sententiam exponere conatur. In referendis philosophorum placitis auctor est sane diligens et locos ex eorum scriptis etiam difficiliores luculenter plerumque in sermonem vernaculum convertit: at subinde huic operi si minus aliena, certe supervacanea admis-

cet. Magis etiam hoc nomine improbandus est, quod Philosophorum de Libertate sententias cum summa illorum doctrina conferre neglexit, cuius negligentiae haec fuisse causa videtur, quod se huic rei sentiebat imparem. In iudicio, quod de variis Philosophorum sententiis tulit, desideratur illa distinguendi et definiendi subtilitas et omnino illa copia doctrinae, quam in promtu habere debet quisquis in tali argumento recte versari velit. Minus etiam Facultati placuerunt, quae de suo attulit ad locum difficilem explicandum. Summa in hac parte cernitur scriptoris incuria. Verbosa ibi est oratio eademque ad rem explicandam minus accommodata: quae autem ad argumentum illustrandum adhibentur sunt exigui pretii: et alibi et hic manifesta sunt festinationis vestigia.

Verumtamen quamquam Quaestioni non satisfecit scriptor laudari meretur. Inesse in eo apparebat ingenii acumen et philosophiae studium non vulgare. Tum oratio eius est pura, lucida, elegans adeo, quamquam saepe diffusior. Itaque Facultati visum est huius commentationis scriptorem proposito praemio ornari non posse, sed honorifice tamen cum commemorandum esse iudicavit eumque, ut nomen suum profiteretur, publice invitavit. Auctorem se professus est et probavit Reinhardus Iacobus Lambrechts, Philosophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum studiosus in Academia Lugduno-Batava.

Ordines Medicorum et Theologorum ad quaestiones propositas nullas acceperunt scriptiones.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1854.

FACULTAS MEDICA.

F. G. KRIEGER Theoriam Disciplinae chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, . . . , ... hora VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, . . . XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ... XII—III.
Operationes chirurgicas, tum etiam vincturarum et fasciarum doctrinam demonstrabit, horis deinde indicandis.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, . . . X—XII.
Medicinam forensem, diebus Lunae et Iovis, ... I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris, . . IX.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio academico, quotidie . . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Iovis, ... I.
G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... XII,
et die Saturni. . . . . IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris . . . . . IX.

Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis . . . . . hora IX.

Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis . . . . . X.

A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ... VIII.

Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit quotidie . . . . . IX.

Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeërit, die Mercurii. . . . . I.

Gynaecologiae et Gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Lunae . . . . . II.

Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.

H. Halbertsma, Iust. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... X.

Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus, ... IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . XI—III.

F. G. Krieger et H. Halbertsma disputandi Exercitiis publicis praeërunt, die Martis, ... II.

FACULTAS IURIDICA.

H. G. Tydeman, Emeritatum nactus et cessans a Praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. I. van Assen interpretabitur Digestorum locos selectos, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.

Iustiniani Institutionum libros IV cum Theophili Paraphrasi, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

Ius civile hodiernum, secundum Compendium a se editum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.

Legem Iudiciorum privatorum eorumque Historiam, et rem iudiciariam privatam, die Iovis, ... hora X—XII,
et die Veneris, cum Exercitationibus forensibus, . . . X.
Auctorum classicorum selectos locos ad Ius Romanum pertinentes, die Veneris, ... XI.
H. Cock tradet Ius criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Ius publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, X.
Ius naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem Iudiciorum criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
I. de Wal Historiam Iuris Romani enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Encyclopaediam et Methodologiam Iuris explicabit, iisdem diebus, , ... X.
Ius mercatorium exponet, die Iovis, ... XII.
et die Veneris, ... XI et XII.
S. Visserıng Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... I.
Historiae Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... II.
Oeconomiam politicam, die Iovis, ... I,
et die Veneris, ... IX et I.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris, VI.
N. C. Kist Historiam ecclesiasticam docebit, imprimis mediam, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet historicam et theoreticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Iovis et Veneris, ... XII.

Historiae ecclesiasticae veteris Monumenta exponet, die Martis, horâ XI.
Artis Christianae Historiam explicabit hora postea indicanda.
Orationibus sacris praeërit, die Martis, ... II.
I. H. Scholten Dogmaticam Christianam tradet, diebus Martis et Iovis, ... XI.
et diebus Iovis et Veneris, ... X.
Theologiae naturalis sive Philosophiae de Deo Historiam enarrabit, diebus Iovis et Veneris, ... I.
Librorum N. T. Historiam tradet, diebus Lunae et Martis, I.
Orationibus sacris praeërit, die Mercurii, ... II.
A. Niermeyer Ioannis *Apocalypsin* interpretabitur, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, ... IX.
Homileticam tradet, et Exercitia catechetica moderabitur, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Orationibus sacris praeërit, die Iovis, ... II.
A. Kuenen, Prof. Extraord., V. T. locos in Pauli et Iohannis scriptis citatos interprctabitur, die Lunae, ... X.
et die Iovis, ... VIII.
Librorum V. T. Historiam enarrabit, die Mercurii, ... I.
et die Veneris, ... VIII.
***Publice disputandi Exercitationibus praërunt N. C. Kist, I. H. Scholten, A. Niermeyer et A. Kuenen, die Veneris, II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. van der Hoeven Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XI.
Mineralogiae et Geologiae elementa exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... II.
Physiologiam et Historiam naturalem animalium docebit, diebus Martis et Iovis, ... IX.
A. H. van der Boon Mesch Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus, hora XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina . . . . . V—VIII.
G. I. Verdam Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Iovis, ... X,
et die Veneris, ... IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... VIII.
Calculum Differentialem et Integralem itemque Mechanicam tractabit, diebus et horis postea indicandis.
Scholas paedagogicas habebit, die Lunae, hora commoda.
F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus, ... X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Iovis, hora vespertina . . . . . V.
Post Ferias paschales autem hora quadam matutina, Auditoribus commoda.
Singulos suos Auditores ad coelum tubi optici ope perlustrandum aptis temporibus evocabit.
Artis observandi Exercitiis quotidie praeërit.
Arithmeticam universalem tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.
G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore, singulis diebus, ... II.
Plantarum indigenarum, et medica virtute praeditarum, Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore, iisdem diebus, VII.
Physiologiam plantarum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... II.

Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus, . . hora I.
Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.
Historiam plantarum, medica virtute praeditarum, et Pharmacognosin regni vegetabilis et animalis, duce Pharmacopaea Neêrlandica, futuris Pharmaceutis tradet, horis commodis.

P. L. Ryke Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII.
De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.
Physicam mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris, VIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. Siegenbeek, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae iuventuti prodesse conabitur.

I. Bake interpretabitur Taciti *Annales*, et Ciceronis *Verrinas*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Ex *Antiquitatibus Atticis* selecta capita tractabit, die Lunae, I et II.

A. Rutgers Iesaiae *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX,
et die Mercurii, ... VIII.
Alterum Regum Librum cursoria lectione tractare perget die Martis, ... I,
et die Iovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanscritam docebit, et Mahabharatam explicare perget, die Saturni, ... I et II.

T. G. I. Iuynboll Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammatica explicanda, tum analyticis Exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... VIII,
et die Iovis, ... I.

Literarum Arabicarum, Chaldaïcarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... hora VIII.

Cum provectioribus discipulis legere perget *Al-bayāno'l-Mogrib*, ex ed. Cl. DOZYI, die Lunae et Mercurii, . . . II.

Coranum, addita lectione *Commentarii Baidhāwiani*, die Veneris, ... II.

Chrestomathiam Syriacam Bernsteinianam, et DIONYSII TELMAHARENSIS *Chronicon Syr.*, a TULLBERGIO editum, die Martis, ... II.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Iovis, ... IX,

et die Veneris, ... XI et I.

Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.

Historiam Philosophiae explicabit, diebus Lunae et Iovis, XII.

Paedagogicam exponet, diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur HERODOTUM, DEMOSTHENEM et ARISTOPHANEM, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.

Historiam veterem provectiores docebit, diebus Lunae et Mercurii, ... I.

Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.

Antiquitates Romanas selectas cum provectioribus pertractabit, die Jovis, ... XII.

Scholas paedagogicas habebit, diebus Martis et Iovis, . . . II.

Elementa Artis metricae docebit, diebus Iovis et Veneris, I.

Initia Palaeographiae Graecae Candidatis Literarum explicabit, diebus Veneris et Saturni, ... IX—XI.

Disputandi Exercitia publica moderabitur, die Iovis, ... XI.

R. P. A. DOZY, Prof. Extraord., Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.

Locos historicos difficiliores et varia Historiae literariae capita tractabit, diebus Iovis et Veneris, ... X.

Interpretabitur *Kitāb al-agānī*, die Lunae, hora vespertina VII.

M. DE VRIES Historiam Patriae tradet, die Mercurii, ... hora I,
et diebus Iovis et Veneris, ... II.
Linguam Literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.
Exercitia oratoria moderabitur, die Lunae, ... I.
Fabulam, *Ferguut ende Galiene* dictam, a Cl. VISSCHER editam, interpretabitur, die Lunae, ... XII.
et die Iovis, ... I.
Selecta HOOFTII carmina interpretabitur, die Martis, ... I.
Linguam Gothicam tradet, die Saturni, ... II.
Cum Literarum Sanscritarum studiosis aget de Linguis Indo-Germanicis mutua comparatione explicandis, die Lunae, VI.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Professoris Extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, quae auditoribus convenient.

I. A. BOOGAARD, Med. Doct., Prosector, Anatomiam pathologicam docebit, die Veneris, ... II.
Anatomiam generalem, demonstrationibus microscopicis illustratam, exponet, die Iovis, ... II.
Exercitiis practicis in Microscopii usu praeërit, horis auditoribus commodis.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poëtarum germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poëseos genera explicet auditoribus.
Si qui sint, qui Linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiunt, his quoque lubentissime vacabit.

C. G. LOKKERS, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1854.

E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE IURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LIT. HUM.	TOTUS NUMERUS.
84	208	134	18	31	475.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis operam studiis navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in	Facultate	Medica	49
"	"	Iuridica	37
"	"	Theologica	48
"	"	Disc. math. et phys.	—
"	"	Phil. Theor. et Lit. Hum. . . .	7
			141.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE 9 FEBRUARII 1854 AD 8 DIEM FEBRUARII 1855.

Die 20 Februarii. IACOBUS ANTONIUS FRUIN, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. HERMANUS CORNELIUS VERNIERS VAN DER LOEFF, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 27 Februarii. IANUS VAN DER PANT, ex pago Soest Ultraiectinus, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 28 Februarii. SALMONUS VAN GIGCH, Haganus, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 6 Martii. IANUS HENRICUS ARNOLDUS LIPPMANN, Delphensis, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 7 Martii. IACOBUS DE KONING, Dordracenus, defenso Specimine Iuridico *de Tabellionis munere in negotiis mercatoriis*, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 20 Martii. IOHANNES CORNELIUS MATTHEUS ADRIAANS, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct.

D. 25 Martii. FRANCISCUS XAVERIUS VERHEYEN, Sylva-Ducensis, defensa Dissertatione *de rehabilitatione in rebus mercatoriis*, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 31 Martii. IOHANNES BOSSCHA FIL., Bredanus, defensa Dissertatione *de galvanometro differentiali*, Matheseos Mag., Philos. Nat. Doct., *magna cum laude.*

D. 1 Aprilis. BERNHARDUS LAMBERTUS RASCH, Haganus, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 27 Aprilis. Henricus Cornelius Petrus van der Lee, e pago Westzaan, defensa Dissertatione continente *quaedam de differentia inter scarlatinam et morbillos*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 28 Aprilis. Christophorus Ianus van Bell, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 1 Maii. Meinardus Siderius Pols, Haganus, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 12 Maii. Antonius Henricus Gerardus Paulus van den Es, e pago Sassenheim, *publice* defenso Specimine exhibente *Adnotationes ad Lycurgi Orationem in Leocratem*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doct., *magna cum laude.*

D. 16 Maii. Everhardus Roelink, ex oppido Meppel Drenthinus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 19 Maii. Ianus Soutendam, Delphensis, defenso Specimine *de P. Iuventio Celso ICto*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 29 Maii. Franciscus Benedictus Trosée, Bredanus, defenso Specimine, quo continetur *expositio iudicii, quod Aristophanes tulit de principibus personis, quae in eius fabulis occurrunt*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Iosephus Ludovicus Philippus Gysbertus Leopoldus Haex, e pago Weert, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 6 Iunii. Ludovicus Antonius Nicolaus Gerrits, ex pago Rosendaal, *publice* defenso Specimine *de quaestione, an iure nostro donationes factae sub specie aliorum contractuum valeant, quamvis solemnitates in donationibus requisitae non sint adhibitae*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 7 Iunii. Ludovicus Hartog, Amstelodamensis, defenso Specimine continente *quaedam de Hypopyo*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 9 Iunii. Leonardus Petrus Kistemaker, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine *de libris mercatoriis eorumque vi probandi*, Iur. Rom. et Hod. Doct.

D. 12 Iunii. Didericus van Foreest, Alcmariensis, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 13 Iunii. Ianus Carolus Koch, Zevenariensis, defenso Specimine *de*

Petrii Theologia per diversas vitae, quam egit, apostolicae periodos sensim explicata, Theol. Doct., *magna cum laude.*

Die 14 Iunii. Carolus Bosch Reitz, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine *de duplici natura confiscationis*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Ianus Guilielmus Henricus Rutgers van Rozenburg, Amstelaedamensis, *publice* defensa Dissertatione: *de paroemio: Ecclesia non sitit sanguinem*, Iuris Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 15 Iunii. Carolus Broes van Dort, Brouwershavensis, defenso Specimine continente *herniae incarceratae casus duos*, Med. Doct., *magna cum laude.*

D. 16 Iunii. Isaacus Iacobus Rahusen, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine *de Ecclesiae nexu cum civitate in patria nostra inde ab anno* 1813, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 19 Iunii. Iacobus Petrus Kraakman, Alcmarienses, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 20 Iunii. Ioannes Henricus Hofmeyer, I. H. Fil., Batavia-Indus, *publice* defenso Specimine *de corruptionis crimine*, Iuris Rom. et Hod. Doct.

D. 22 Iunii. Iohannes Godefridus de Sain, Lugduno-Batavus, defenso Speciminc *de rebus naufragis*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Petrus Feenstra Kuiper, Bolsvardia-Frisius, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 24 Iunii. Meinardus Donker, e pago Zaandyk Hollandus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 26 Iunii. Henricus Bernardus van Davelaar, Daventriensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct.

Eodem die. Iohannes Iacobus de Meyier, e pago Voorburg Hollandus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 27 Iunii. Claudius Fredericus Guilielmus Gevers, Bruxellensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Simon Cornelis van Appeltere, Gorinchemensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Lubertus Cornelis van Bommel, Edamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Dic 28 Iunii. Theodorus Ludovicus Lambertus Prins, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Daniel Henricus Delprat, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Henricus Cornelius van Diggelen; Axelensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 29 Iunii. Everardus Iacobus Ludovicus de Sturler, Magellano-Indus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 30 Wiemer Fellinga Ypes, Leovardiensis, defensa Dissertatione *de emollitione cerebri*, Med. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Henricus van Vollenhoven, Roterodamensis, defensa Dissertatione *continente observationes nonnullas e Clinico V. Cl.* Simon Thomas, Med. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Adrianus Ioannes Theodorus Rietstap, Haganus, defensa Dissertatione *de venditore an evictionis nomine cogatur emtorem defendere, ex Iure Romano, Francico et Neerlandico petita*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 1 Iulii. Iohannes Bernardus Wynhoff, Harlemensis, defenso Specimine *exhibente casus quosdam observatos in Clinico Clar.* Krieger, Med. Doct., *magna cum laude.*

Eodem die. Henricus Maarschalk, Haganus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct.

D. 23 Septembris. Raimundus Victor Heyliger, e pago Oosterhout, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 27 Septembris. Carolus Ephraim du Moulin, Amstelodamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 16 Octobris. Iacobus Martinus van Bemmelen, Almeloensis, defensa Dissertatione Chymica *de cybotio Cumingii*, Matheseos Mag. Phil. Nat. Doct., *magna cum laude.*

D. 26 Octobris. Henricus Ianus Gisbertus Vorstman, Haganus, defensa Dissertatione *continente tres morbi casus observatos in Nosocomio Academico*, Med. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Iohannes Gerardus Franciscus Timmermans, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 3 Novembris. Iohannes Guilielmus van Lansberge, ex urbe Santa Fé de Bogota, defensa Dissertatione *de doli et culpae discrimine servato in Codice Poenali*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 22 Novembris. Petrus Hermanus Hubertus van Aernsbergen, Noviomagensis, defenso Specimine *continente observationes quasdam clinicas*, Med. Doct.

Eodem die. Iacobus Lopes de Leaô Laguna, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine *de tutela liberorum naturalium*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 2 Decembris. Andreas Marinus Lubartus de Leth, Hagânus, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct.

D. 9 Decembris. Henricus Nicolaus Grobbee, Zwollanus, *publice* defensa Dissertatione *de condemnatorum restitutione (sive rehabilitatione) in Iure Criminali*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Eodem die. Carolus Iacobus Taunay, Harlemensis, *publice* defensa Dissertatione *de iniuria reali*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 13 Decembris. Cornelius Schokker, Enchusanus, defensa Dissertatione continente *casum aneurysmatis ossis tibiae*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 14 Decembris. Gerardus Leon Herkenrath, Carolopoli-Americanus, *publice* defensa Dissertatione *de vera Codicis Mercatorii indole, sive commentario ad Codicis Merc. art. I*, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 21 Decembris. Hermanus Petrus van Karnebeek, Amstelaedamensis, *publice* defenso Specimine *de distributione et forma praediorum*, Iuris Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

D. 22 Decembris. Ioannes Rutgerus Hoolboom, Leerdamensis, defensis Thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D 9 Ianuarii. Gulielmus Fredericus Rochussen, Amstelaedamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 27 Ianuarii. Fredericus Philippus van der Hoeven, Comensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *magna cum laude.*

Eodem die. Albertus Iohannes van Eekelen, Medioburgensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

Die 29 Ianuarii. GUILIELMUS IACOBUS DE MEYER, Roterodamensis, defensa Dissertatione continente *colitidis gangraenosae casus duos*, Med. Doct., *cum laude.*

D. 5 Februarii. GERARDUS GOSUINUS VAN HARENCARSPEL, e pago Elden, *publice* defenso Specimine *de art. V legis continentis praecepta generalia legislationis*, Iuris Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 6 Februarii. EMILIUS REMIGIUS IACOBUS CAMILLUS DE KUYPER, Roterodamensis, defensis Thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

D. 7 Februarii. HENRICUS GUILIELMUS FANGMAN, Schiedamensis, defensa Dissertatione *de Codicis Iuris Civilis art.* 1167—1172, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A DIE XXVII MARTII MDCCCLIV AD DIEM XXVI MARTII MDCCCLV

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

HENRICUS EGBERTUS VINKE.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

LUDOVICUS CHRISTIANUS VAN GOUDOEVER.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. E. VINKE.
B. TER HAAR. (d. XXIII m. Iunii a. MDCCCLIV munus auspicatus est.)

IN FACULTATE IURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
I. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER. (Extraord.)
I. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. G. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER.

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN. (Emeritus.)
I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. I. LONCQ, CORN. IAN. FIL.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER. (Extraord.)

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. I. I. DE FREMERY. (Extraord.)
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT. (Extraord.)

LECTORES.

G. DORN SEIFFEN, Lit. Antiquarum.
I. H. HISGEN, Lit. Germanicarum.
I. VENNING, Lit. Anglicarum.
I. W. GUNNING, Chemiae.

DOCTORES ACADEMICI.

A. C. OUDEMANS.
C. L. VLAANDEREN.

HENRICI EGBERTI VINKE

ORATIO

DE

VERA FIDEI CHRISTIANAE NOTIONE, NOSTRIS PRAESERTIM TEMPORIBUS, MEMORIA TENENDA ET IN OMNIUM ANIMIS IMPRIMENDA,

HABITA TRAIECTI AD RHENUM,

A. D. XXVI M. MARTII A. MDCCCLV,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM ITERUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, PROFESSORES, LECTORES, CIVES!

CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Academiae regundae munus festo hoc die ponentem lex me iubet enarrare, quae almae matri nostrae tum prospera, tum adversa evenerint, me Rectore. Quod quum exsequi aggredior officium, non possum non me ter quaterque beatum praedicare. Ne tamen putetis, me hoc dicentem significare, grave et molestum mihi fuisse honorificum illud munus: quo magna cum voluptate me functum esse grato animo testificor. Sed subit, hac ipsa hora, tristissima illius diei imago, quo, ante quindecim hos annos de Magistratu academico decedenti, parentandi mihi erant triumviri clarissimi, splendida Academiae nostrae lumina et ornamenta, Heusdius, Heringa, tuusque, clarissime Suermanne! desideratissimus Alexander, filius. Quem diem cum repeto, gravissimo nunc quoque commoveor dolore, simul vero etiam summo afficior gaudio, quod sub altero Magistratu meo e Professorum ordine de praesidio et statione vitae decesserit nemo. Quae igitur tum mihi defuit occasio, praeter fatorum academicorum commemorationem, pro more recepto, de gravissimo aliquo argumento dicendi, haec iam mihi data est. Quam occasionem eo avidius arripio, quo magis toto animo doleo tristissimam, in qua ét Christiana Societas, ét vero etiam Ecclesia reformata nostra versatur, conditionem. Ubi est enim suavissima illa Societas, quae Conditoris sui referebat indolem, ita ut de illa vere praedicari posset: *τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία* [1]); In quot partes divisum est et dilaceratum unum Christi, omnium Conservatoris ac Domini, corpus [2])! quarum altera alteri invidet,

altera alteram contemnit et respuit, altera alteram perdere, comedere, devorare studet. Videmus hoc, eheu! nostro tempore, non tantum in iis, quae Ecclesia Romano-Catholica Protestantium Societatibus denuo molitur; sed in his ipsis, sed in Ecclesia etiam reformata nostra, ab unoquoque vero CHRISTI discipulo, summo animi dolore, idem observatur. Sunt enim duae in primis partes, quarum haec ab *orthodoxia*, quam tuetur, a *liberalitate*, quam propugnat, illa nomen habet. Ab utraque stant viri haud pauci, ingenio, doctrina, pietate, amore erga Deum CHRISTUMque insignes, summo rem Christianam provehendi studio flagrantes. Utinam mutuo etiam amore se invicem prosequerentur! Sed proh dolor! altera pars alteram condemnat, hostili impetu invadit, deprimit, excludit. Fatendum enim est, Iliacos intra muros peccari et extra [3]). Et est verendum, nisi componantur lites istae vehementissimae, ne Ecclesia reformata nostra in duas, vel tres partes maiores distrahatur. Quae cum ita sint, omnibus bonis elaborandum est, ut vulneribus hisce gravissimis medeantur, viamque ostendant, quam ingrediendum nobis sit ad pacem concordiamque restituendam. Haec apud animum meum reputans, orationis argumentum elegi, quod et praesenti Ecclesiae, cuius socius sum, conditioni accommodatum sit, et ad sopiendas lites valeat, imo vero unicam, meo quidem iudicio, monstraturum sit viam, qua laudatum optatumque finem assequi possimus. Dicam igitur de *vera fidei Christianae notione, nostris praesertim temporibus, memoria tenenda, et in omnium animis imprimenda.* Quod argumentum quum sua se gravitate satis commendet, constitutum mihi unice est, eo uti genere dicendi, quod a simplicitate ac perspicuitate laudetur, et a quo fuci omnis suspicio quam longissime sit remota. Quod si quae ex animi sententia dicturus sum, aliquid conferant ad tuendam veritatem pacemque conficiendam, habebo, quod summas Deo gratias agam.

Fidem Christianam dicens, intelligo eam, quam CHRISTUS et Apostoli postulant ab omnibus, quibus denunciatur Evangelium, ut remissionem peccatorum aeternamque beatitudinem consequantur [4]): quae iccirco fides *salutaris*, sive *salutifera* a Theologis dici solet. De huius fidei *notione* agi-

mus. Itaque non omnem, qui est de fide, locum explicabimus. Praetermittimus quae ad eius originem, fundamentum, necessitatem, progressum spectent, unice quaerentes, quid sit, sive quae fides sit intelligenda. Ad quam quaestionem, gravissimam illam prae omnibus, quae hodie agitantur, ut rite respondeatur, videndum nobis est tum de fidei *obiecto*, tum de eius *indole*.

Obiectum habeat fides necesse est; nam sine eo ne cogitari quidem potest. Est autem illud, e Iesu et Apostolorum doctrina, primum: *Evangelium*, salutaris, quem hominibus perferebant, nuncius.

Christus enim populares suos adhortatus est, ut *crederent Evangelio* [5]). Quod alibi appellat *sermonem suum* [6]), *verba sua* [7]), *mysteria*, *s. sermonem de regno coelorum* [8]), *res coelestes* [9]), *Dei sermonem*, *Dei verba* [10]), *veritatem* [11]). Nec tantum in genere hoc fidei obiectum indicavit, sed certa etiam placita, quibus credendum sit, commemoravit, e. c. unum verum esse Deum [13]), a Deo se exiisse [14]), Patris nomine se venisse [15]), missum se esse a Patre [16]), qui, quanto homines amore prosequatur, in ipso tradendo ostenderit [17]), Christum se esse, *Dei Filium*, olim promissum [18]), intima cum Patre necessitudine iunctum [19]), venisse se ut quod periisset quaereret et conservaret [20]), mortique se pro hominibus traderet [21]), e mortuis se suscitatum esse, adeoque dignum, qui Dominus noster Deusque dicatur [22]), alia; perversasque Iudaeorum opiniones impugnavit [23]).

Ita et *Apostoli* fidei obiectum dixerunt *Evangelium*, *Evangelium Dei* [24]), *Evangelium salutis nostrae* [25]), *verbum Dei* [26]), *Dei salutis*que *sermonem* [27]), *veritatem* [28]), *veritatis sermonem* [29]), *fidei sermones* [30]); verbo omnem, quam a Christo, unico suo Magistro [31]) acceptam, hominibus denunciarent [32]), doctrinam. Quid? quod ad illius exemplum certa etiam placita, tamquam fidei obiecta significarunt, nempe: Iesum esse Christum, *Dei Filium* [33]), venisse eum in carne [34]), mortem eum pro nobis subiisse, et e mortuis suscitatum esse [35]), constitutum a Deo omnium Dominum et Iudicem [36]), unicum hominum Conservatorem [37]), in quo Deus insignem suum erga illos amorem patefecerit [38]), alia. Imo quanti fecerint doctrinam, quam docebant, unicuique apparet, attendenti tum ad praeclara nonnulla effata, quibus id diserte significarunt [39]), tum ad illorum agendi ra-

tionem, qua non tantum doctrinam, a CHRISTO acceptam, tradiderunt, sed errores etiam perversasque tum Iudaeorum, tum gentium opiniones impugnarunt et refutarunt [40]). Unde factum esse videtur, ut ἡ πίστις paucissimis locis in N. F. libris, me quidem iudice, de ipsa *fidei doctrina* dicatur [41]).

Sed in his minime subsistunt Magister et Discipuli. Altius escendunt. CHRISTUS enim, quum praecipuum sit Evangelii argumentum, ubique ut praecipuum fidei obiectum laudatur. Quod quum notissimum sit, vix ulla indigere probatione videtur.

Ipse se hoc nomine diserte praedicavit. In memoriam modo vobis revocetis *tum* gravissima, quae cum NICODEMO [42]), et muliere Samaritana [43]) habuit colloquia, *tum* sermones, quos vel cum Iudaeorum proceribus [44]), vel cum populo [45]) contulit, apologeticos, *tum* quae locutus est ad coecum illum, cui visum restituerat Hierosolymis [46]), ad MARTHAM, fratris mortem dolentem [47]), ad discipulos, ultima vitae suae nocte [48]). Imo continue testantem eum audimus, se esse, cui credendum sit et in quo fidem suam reponere debeant homines, ut vitam aeternam consequantur: unde omnes ad fidem sibi habendam comiter graviterque adhortatur.

Neque aliter fecerunt *Apostoli.* Nam omnes, quas ét coram populo, ét coram Iudaeorum Senatu, ét coram certis quibusdam hominibus habuerunt, orationes totae in eo sunt, ut probent, IESUM esse CHRISTUM, Dei Filium, unicum hominum Conservatorem, auditoresque ad fidem ei habendam incitare atque perducere conentur [49]). Ita et in scriptis ad Christianos datis, idem subinde inculcant fidemque CHRISTO habitam confirmare et stabilire student [50]). In quo exponendo variis utuntur praepositionibus dicendique formulis, ad rei gravitatem et amplitudinem exprimendam egregie accommodatis [51]).

Quid? quod altius etiam escendunt, ad *Deum* ipsum, tamquam summum fidei obiectum nos evehentes.

„Amen, amen," inquit ipse CHRISTUS „qui sermonem meum audit, et „credit Ei, qui me misit, vitam habet aeternam, neque in condemnatio„nem venit, sed e morte in vitam transiit [52])." „Qui ex Deo est, Dei „verba audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis [53]). Qui

„credit in me, non credit in me, sed in Eum, qui me misit [54]). „Cre-„dite in Deum et in me credite [55])."

Ita et *Apostoli*. Nam PETRUS Christianos describit, per CHRISTUM credentes in Deum, qui eum e mortuis suscitavit, summoque ornavit honore, ut illorum fides et spes in Deo repositae essent [56]). „Si hominum testi-„monium accipimus," ait IOHANNES, „testimonium Dei maius est; nam „hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo. Qui credit „in Filium Dei, habet testimonium in se ipso: qui non credit Deo, men-„dacem Eum fecit, quia non credidit in testimonium, quod testificatus „est Deus de Filio suo. Et hoc est testimonium, quod vitam aeternam „dedit nobis Deus, et haec vita est in Eius Filio [57])." Et PAULLUS Christianos informat, ut credentes in Eum, qui IESUM, illorum Dominum, e mortuis suscitavit [58]), fidemque eorum diserte *fidem in Deum* dicit [59]).

Est igitur, docentibus IESU et Apostolis, fidei Christianae obiectum *doctrina*, nominatim *Evangelium*, quod denunciarunt, praesertim CHRISTUS, qui princeps Evangelii argumentum est, imo ipse *Deus*, qui Filium suum mundi Conservatorem ac Dominum constituit, eum hanc in terram misit, in Evangelio de eo testatur, per eum se suamque erga nos benevolentiam patefecit, in eoque se conspiciendum nobis dedit [60]). Quae omnia quum Christianis notissima essent, *fides* [61]) et *credentes* [62]) saepissime in N. F. libris commemorantur, nulla fidei obiecti mentione addita.

Sed pergamus ad explicandam fidei Christianae *indolem*. Cerniturne ea in una mentis persuasione de veritate eorum, quae credenda sint? Minime gentium. Nam eiusmodi mentis persuasio, quae animum non afficiat, nec ipsa vivit, nec vitam dare potest; nulla vi gaudet, nullos fructus fert, recteque fides *mortua* a IACOBO appellatur [63]). Num igitur una animi assensione et fiducia consistit? Sed haec animi assensio fiduciaque quo modo cogitari potest, nisi certa adsit mentis persuasio, firmis nixa argumentis, de veritate eorum, in quibus suam fiduciam reponat? Quomodo in *Evangelio*, in salutari, quem perfert, nuncio fiduciam meam reponam, nisi de huius nuncii veritate mihi constet? Quomodo in CHRISTO *Deo*que fiduciam meam reponam, nisi vera esse persuasum mihi sit, quae de CHRISTO, de

Deo, de utriusque voluntate in Evangelio traduntur? Eiusmodi fiducia nec cum natura nostra, ratione praedita, conveniret, et coeca atque stulta esset dicenda. Complectitur igitur fides, de qua agimus, totum hominem, omnes mentis animique, quibus gaudet, dotes, intelligendi, sentiendi, volendi facultatem. Qui Evangelio credit, pro vero illud habet, nec pro vero tantum habet, sed sentit etiam, se hoc Evangelio indigere, sentit etiam salutarem eius vim et efficacitatem, ita ut voluntas eius flectatur ad omnem suam fiduciam in promissis eius reponendam, vitamque suam ad eius praecepta instituendam. Qui CHRISTO credit, talem eum habet, qualis in Evangelio describitur, sed sentit etiam, hoc Conservatore sibi opus esse, in eo omnia inveniri, quibus ad salutem veram aeternamque consequendam indigeat, atque ita se ei confidit, totum se ei tradit, arctissimoque cum illo iunctus vinculo, eodem, quo ille, Spiritu imbuitur et agitur. Qui *Deo* credit, testimonium, quod Ipse testificatus est de sua erga nos voluntate, in CHRISTO praesertim patefacta, et per Evangelium nobiscum communicata, certissimum habet, sed sentit etiam, peccatorum remissione sibi opus esse, sentit etiam, quanto Deus ipsum prosecutus sit amore, et quam dignus Ille sit, in quo omnem suam fiduciam reponat; totumque se Ei tradit, et, ut filius cum patre, sic arctissimo cum Deo iungitur vinculo, ita ut idem atque Ille velit, totamque suam vitam ad Illius voluntatem in dies magis magisque componere studeat. Iidem tamen contendimus, principem et propriam fidei Christianae sedem esse in animo. Quod abunde patet *primum* ex ipso fidei obiecto, quippe quod eiusmodi sit, ut fides illi habita non una mentis persuasione absolvatur, sed fiduciam etiam, et hanc quidem praesertim requirat. Continet enim nuncium salutarem, promissa divinitus nobis facta, declarationem Dei CHRISTIque erga nos amoris. Spectat Conservatorem, qui vita aeterna omnibusque, quae ipse possidet, bonis nos donare velit. Patefacit Deum benevolum, ad remittenda peccata nostra proclivem, Patrem clementissimum. Quae omnia eiusmodi sunt, ut is demum vere credere iis dici possit, qui haec bona desideret, cuiusque animus fiducia sit impletus. *Deinde* fides a CHRISTO et Apostolis ita describitur, ut cogitanda sit ea, quae animum afficiat, suamque vim in consolandis nobis et emendandis patefaciat. Loquuntur enim de fide, cuius fructus sunt nostra *δικαιοσύνη* coram Deo, animi tranquillitas, spes, laetitia, vita ae-

terna; quae novos quasi homines nos facit, quae sincero erga omnes amore nos imbuit, quae per caritatem actuosos nos reddit, atque intimae necessitudinis vinculo cum Christo Deoque nos coniungit [64]). Unde vocabula *πίστιν* et *πιστεύειν* permutant cum aliis, quae quod probamus diserte doceant: cuiusmodi sunt *excipere Christum* [65]) *venire ad eum* [66]), *habere eum* [67]), *esse* et *vivere eum in nobis* [68]). Idem *porro* confirmat descriptio eorum, quae in credentibus requiruntur, universumque religionis Christianae consilium. Fatemur, imo vero contendimus, venisse Christum ad docendos homines, ad illustrandas eorum mentes, ad patefaciendam veritatem, eiusque religionem doctrinam continere; sed iidem negamus, divinam, quam nobis dedit, religionem una doctrina absolvi. Ultimus, ad quem nos ducere vult, finis sine dubio cernitur in animi nostri vitaeque emendatione, in excitando et alendo studio, quo illi, Deoque, Patri nostro, similes evadere conemur, in omnibus populis hominibusque in unam societatem, Deo Christoque dicatam, congregandis. Requirit igitur in unoquoque, ipsi fidem habente, animum, pietatis virtutisque studio imbutum, ad res coelestes divinasque conversum, ab inordinata *φιλαυτίᾳ* alienum, sincero erga ipsum Deumque, et naturae nostrae socios amore flagrantem. Quae in credentibus minime invenientur, nisi eiusmodi fide gaudeant, quae animi sensus praesertim afficiat, et cum fiducia sit coniuncta. Ipsos *denique* credentes suspicite, A. A.! ut veram fidei Christianae indolem intelligatis. Qui turpissimis quibuscunque vitiis se inquinaverant, Christiana fide imbuti, vere dici poterant *abluti*, *sancti*, *iusti facti* [69]), *nova creatura* [70]), *Dei opus*, *ad recte facta in* Christo Iesu *conditi* [71]). Pauperum, aegrotantium, parentibus orbatorum, peregrinorum, captivorum curam gerebant, tantoque se invicem prosequebantur amore, ut gentes, in admirationem abreptae, exclamarent: „ecce, quantopere se mutuo diligant, parati alius pro alio „mori" [72]). Nec fratres tantum, sed omnes omnino homines, ipsos adeo inimicos, summo complectebantur amore. Sic, ut e pluribus unum adducam praeclare factum, dominante vehementissima peste *Carthagine*, Sec. III medio (a. 251), aegrotantium, qui a suis negligebantur, misericordia moti, curam gerebant [73]). Quid? quod in dirissima quaeque aequo atque alaeri animo patiundo fidei suae vim et efficacitatem, adeoque veram eius indolem omnibus palam faciebant. Testes sunt Apostoli, magnus in primis ille gen-

tium Apostolus, qui quot quantaque pro Christi causa perpessus fuerit, in altera sua ad *Corinthios* epistola enarravit [74]). Testis est insignis illa Martyrum corona, qui dira quaevis pati mortemque acerbissimam subire non dubitarunt, in his Ignatius, Polycarpus, Cyprianus, ipsae adeo mulieres, Potamiana, Perpetua, Felicitas [75]). Neque in primis tantum Societatis Christianae seculis, sed instauratarum etiam rerum sacrarum tempore, in ipsa quoque patria nostra [76]), quot hominum millia, feminarum aeque ac marium, fidem suam morte dirissima probaverint, ipsi novistis. Haec Christiana fides est, quae tanto pietatis studio, tanto amore, tanta patientia, tantaque nos imbuit constantia. Haec eius vis est atque efficacitas; haec vera eius indoles. Quae cum ita sint, non est, quod miremur, *fidem* Christum a nobis postulare, ut Deo placeamus [77]), et peccatorum condonationem vitamque aeternam consequamur.

Utinam hanc veram fidei Christianae notionem omnes ét memoria tenuissent, ét in animis impressissent! Sed quam plurimi eam neglexerunt et obscurarunt. Quod ut pateat, secula quae effluxere animo et cogitatione breviter percurramus.

Apud *Patres Apostolicos* nihil fere, ad nostram causam spectans, reperitur. Laudant quidem hic illic fidem, sed veram eius notionem nusquam explicuerunt, licet opinionum, quae deinde viguerunt, semina in illorum scriptis iam inveniantur [78]). — *Patres* vero *Ecclesiastici* suam de fide sententiam magis magisque explanarunt. Nimirum, ut Apologetae religionem Christianam ab inimicis defendebant, sic alii Doctores Christiani ab erroribus, qui exorti erant in Ecclesia, vindicare eam studuerunt. Videmus hoc iam in Patribus *Asiaticis* et *Antiochenis*, nominatim in Irenaeo, qui, etsi ipse inutiles frivolasque de religione quaestiones condemnabat, *quinque* tamen *adversus haereses libros* conscripsit. Spectabant igitur in primis doctrinae integritatem, atque adeo ad intellectum praesertim fidem referebant. — Sed de *Alexandrinis* in primis dicendum nobis est. Hi igitur, pro sua de Christiana religione sentiendi et philosophandi ratione, qua, ad doctrinam eius maxime attendentes, *τὴν πίστιν* ad *τὴν γνῶσιν* evehere

studerent, fidem praesertim *mentis persuasione* cerni statuerunt [79]). Quod valet tum de CLEMENTE, tum de ORIGENE, licet minime praetermittendum sit, *illum* contendere etiam, ubi vera fides adsit, ibi amorem quoque inveniri [80]), atque *hunc* nonnumquam ita fidem describere, ut PAULLI sententiam presse sequatur. Uterque tamen fidei obiectum habebat doctrinam Christianam, cum in Libris SS. patefactam, tum in fidei regula, ab Ecclesia accepta, expositam: et quo magis quis in intelligendis recipiendisque fidei placitis proficiebat, eo magis fides eius crescere ORIGENI videbatur [81]). — Illorum sententiam secuti sunt Patres Graeci, qui deinde floruerunt. Qua de re ut constet, sufficit unum laudare IOANNEM *Damascenum*, patrem Theologiae dogmaticae appellatum, quippe qui in *Expositione* sua *accurata fidei orthodoxae* [82]), cum GREGORIUM *Nazianzenum*, tum alios Ecclesiae Patres, in his BASILIUM *magnum*, GREGORIUM *Nyssenum*, ATHANASIUM secutus est, id sibi proponens, „ut sua nequaquam, aut nova cuderet, sed „veterum potius placita, variis in voluminibus sparsa, in unum opus Theo„logicum congereret [83])." Hic igitur fidei obiectum Ecclesiae Catholicae traditionem facit, atque inter fidem et bona opera ita discernit, ut haec illi apponat, et tamquam complementum eius consideret [84]). Quid? quod operis inscriptio docet, per fidem eum praesertim *fidei doctrinam* intellexisse. Neque est quod id miremur, nam hacc fidei notio quotidie magis invaluerat in Ecclesia. Quod factum est tum ante CONSTANTINUM *magnum*, male philosophandi de Christiana religione studio, tum, et in primis quidem, ab eo inde tempore, quo, regnante illo, victoriam reportarent de suis inimicis Christiani, multique, etsi vera fide destituti, credentibus tamen accenserentur. *Symbolum Apostolicum* et *Nicaenum fidei* nomine appellarunt. Locuti sunt de *fide catholica*. Decreverunt Synodi FIDEM *baptizatos discere debere*, nec cuiquam licere *aliam fidem afferre, vel scribere, vel componere praeter eam, quae a SS. Patribus, Nicaeae congregatis, definita erat* [85]). Et in *Symbolo*, ATHANASIO tributo, diserte dicitur: „Qui„cunque vult salvus esse, ante omnia opus habet, ut teneat Catholicam „fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque „dubio in aeternum peribit," — „qui vult ergo salvus esse, ita de Trini„tate sentiat," — „haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter „firmiterque crediderit, salvus esse non poterit [86])." Quid? quod iam Sec.

IV (A. 385) Priscillianus, qui primus fuit, propter opiniones, quas fovebat, ab Ecclesiae doctrina recedentes, morte affectus est [87]).

Sed in *Patres Latinos* oculos convertamus. De Tertulliano et Cypriano non est quod dicamus: quorum *ille* quidem: „fides," inquit, „in regula „posita est: adversus regulam nihil scire, omnia scire est [88]);" *hic* autem aliis ducebatur studiis, quam ut de vera fidei notione exponere posset [89]). — De Augustino vero paullo agendum est fusius, quoniam ab eo in primis Theologia dogmatica Ecclesiae occidentalis initium cepit, eiusque Systema maximam per consequentia secula vim in Ecclesia habuit, et etiam nunc habet. Quod igitur ex illius sententia est fidei obiectum? Quae eius indoles? Obiectum fidei ea habet, quae ét scriptis canonicis [90]), ét symbolo apostolico [91]) continentur: in quo „Catholica fides nota est fidelibus, „memoriaeque mandata [92])," „fides de Deo conditore et renovatore nos„tro [93])," ita tamen ut inter necessaria et minus necessaria creditu distinguat [94]), ac „certum propriumque fidei catholicae fundamentum Christum „esse [95])" dicat. Fateor, nonnumquam *fidei doctrinam* fidem eum appellasse; sed alibi „fides," inquit, „non est quod creditur, sed qua creditur [96]);" eiusque indolem sic describit, ut appareat, quanti vir ille pius idemque acutissimus fidem fecerit, et quam persuasum illi fuerit, non una mentis persuasione eam absolvi, sed animi etiam assensionem complecti et fiduciam, in Deo Christoque repositam, e qua, tamquam fonte puro, bona quaevis opera necessario profluant, et quae nos incitet, ut quod fide accepimus, ratione etiam, quoad eius fieri possit, salvo fidei obiecto, intelligere studeamus [97]).

Scholastici contra, neglecta Augustini doctrina, una mentis persuasione cerni fidem dixerunt, doctrinamque ab Ecclesia acceptam eius obiectum habuerunt. Qui igitur hanc doctrinam pro vera accipiebant, hos credere scilicet contendebant. Statuebant quidem cum Augustino, per *fidem* procedendum esse ad *intellectum;* sed quum hoc doctiorum tantum esset, inter fidem *implicitam* et *explicitam*, quam dicebant, distinguebant, ac toti fere in eo erant, ut quae captum humanum superarent, explicare studerent. Quum autem bene ipsi intelligerent, plus quam istiusmodi fidem ad salu-

tem requiri, fidem *informem* et *formatam*, quam appellabant, excogitarunt, statuentes, nos non fide, sed operibus, vel fide et operibus, quibus vim meritoriam tribuebant, conservari. Valent haec de ANSELMO [98]), ABAELARDO [99]), THOMA *Aquinate* [100]), aliis. Quibus strenue quidem se opposuerunt BERNHARDUS *Claravallensis* [101]), aliique Theologi mystici; sed hi non eam habuerunt vim, ut veram fidei notionem Ecclesia intelligeret atque teneret. Unde factum est, ut rerum ss. instauratarum tempore altum de fide esset silentium [102]), atque opera bona, quae qualia essent historia nos docet, unice laudarentur.

Itaque non est quod miremur, *sacrorum Instauratores* in Scholasticos vehementius invectos esse [103]). Ipsi, praeeuntibus iam aliis [104]), meliora docuerunt [105]). Quod ut pateat, unum alterumque tantum, ne longior fiat oratio, tum e MELANTHONIS *locis* et CALVINI *institutione*, tum e *libris symbolicis* locum laudabo.

„Quid igitur fides?" Ad hanc quaestionem respondet MELANTHON: „constanter assentiri verbo Dei" [106]), „omni verbo Dei" [107]). Addit autem: „est fides non aliud nisi fiducia misericordiae divinae, promissae in Christo" [108]). „Credit igitur vere, qui praeter minas etiam Evangelio credit, qui vultum „in misericordiam Dei, seu Christum, pignus misericordiae divinae, defi„git" [109]). „Ea fides pacificat cor et exhilarat, facitque ut pro tanto bene„ficio, pro condonato peccato propter Christum redametur Deus, adeoque „amor Dei fructus fidei est" [110]). Summa, omnia habet, omnia potest, „qui Christum habet, hic institia, pax, vita, salus est" [111]). Et „qui no„runt peccati vim, quorum conscientias peccati cognitio perculit, iis demum „voluptati est hanc de fide doctrinam audire" [112]).

Neque aliter CALVINUS. Nam praemissis nonnullis de perversis multorum opinionibus locique gravitate [113]): „principio", inquit, „admonendi „sumus, perpetuam esse fidei relationem cum verbo, nec magis ab eo posse „divelli, quam radios a sole, unde oriuntur, (Io. XX: 31). — „Si ab hoc „scopo, quem collimari debet, vel minimum deflectit fides, naturam suam „non retinet, sed incerta est credulitas, et vagus mentis error. Idem ver„bum basis est, qua fulcitur et sustinetur: unde si declinat, corruit. Tolle „igitur verbum, et nulla iam restabit fides. — Verbum ipsum — instar

„speculi esse dicimus, in quo Deum intucatur fides" [114]). Ad quaestionem autem: quid in verbo Domini reperiat fides, quo nitatur et recumbat? praeter alia haec respondet: „Iusta fidei definitio nobis constabit, si dica-„mus esse divinae erga nos benevolentiae firmam certamque cognitionem, „quae gratuitae in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum S. ét „revelatur mentibus nostris, ét cordibus obsignatur" [115]). — „Non sine causa „in Christo promissiones omnes concludimus: quando et eius agnitione to-„tum Evangelium Apostolus concludit" [116]). — „Fides in Christi notitia sita „est. Christus nisi cum Spiritus sui sanctificatione cognosci nequit. Conse-„quitur, fidem a pio affectu nullo modo esse distrahendam" [117]). — „In „summa, vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deum sibi propi-„tium benevolumque Patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi „pollicetur; nisi qui divinae erga se benevolentiae promissionibus fretus, „indubitatam salutis exspectationem praesumit" [118]). — „Ad talem divinae „bonitatis gustum percipiendum quomodo se attollat animus, quin simul „ad redamandum Deum totus accendatur? Vere enim cognosci illa suavi-„tatis affluentia non potest, quam Deus timentibus se recondidit, ut non „simul vehementer afficiat. Quem autem semel affecit, penitus ad se rapit „et effert" [119]). Uterque igitur, ét Melanhton ét Calvinus, *omne verbum Dei* fidei obiectum dicit, ita tamen ut cerni illud statuant praesertim in *Evangelio*, in Christo, in *Deo ipso*, in *gratia divina* nobis in Christo patefacta. Uterque non una mentis persuasione fidem absolvi, sed animi etiam fiduciam, et hanc quidem in primis complecti, strenue contendit [120]).

Eandem fidei descriptionem dant *libri symbolici* tum *Lutheranorum*, tum *Reformatorum:* a quo tamen probando locis adducendis, brevitatis causa, abstineo [121]).

Reiecit autem hanc doctrinam *Ecclesia Romano-Catholica*, ét obiecti [122]), ét indolis fidei ratione habita [123]). Quid? quod ipsae deinde Protestantium Societates nimis eheu! illam neglexerunt. Etenim cum vera fide, quae primo praesertim tempore in rerum ss. Instauratoribus omni sua vi regnabat, vera fidei notio iterum evanuit. Testantur hoc deploranda ista voluntatum disiunctio, vehementissimaeque lites, de hoc illove placito agi-

tatae, in primis detestabile illud *bellum sacramentarium*, *Lutheranos* inter et *Reformatos* gestum, quo suis ipsi rebus valde nocuerunt, seque mutuo devorarunt, rixas agentes, in lixis et calonibus vix ferendas [124]). Testantur idem dissensiones et inimicitiae, quae nostra in patria *Remonstrantes* inter et *Contra-remonstrantes*, tanta atrocitate tantaque animi vehementia actae sunt, ac si ex abstrusiori quodam dogmate, de quo in utramque partem probabiliter posset disputari, vel accepto vel reiecto, aeterna hominum salus penderet. Retrogressa igitur est utraque Ecclesia, *Lutherana* et *Reformata* in eo, quod fidei doctrinam iusto maiore accuratione describere voluerit, nimiumque suae descriptioni statuerit pretium, quum dogmatum interpretationem eodem loco, atque ipsâ fidei Christianae placita, haberet. Sed numquam eo usque retrogressa est, ut *indolem* etiam fidei perverse prorsus exponeret [125]). Ipsi adeo *Rationalistae*, etsi in exponendo fidei obiecto a sacrorum Instauratoribus longe discedebant, vim tamen eius moralem strenue vindicarunt. Valet hoc de WEGSCHEIDERO [126]). Valet magis etiam de BRETSCHNEIDERO, quippe qui in loco de *παλιγγενεσίᾳ*, de fide agat eamque sic describat, ut mentis quidem persuasio in ea regnet, sed animi etiam assensio ac fiducia in CHRISTO reponenda, ea contineantur [127]). Neque est quod miremur, SCHLEIERMACHERUM, virum pietatc aeque ac ingenii acumine insignem, in animo, in sensu et voluntate propriam fidei sedem posuisse, licet in definiendo fidei obiecto a Reformatoribus abierit: quippe quod in CHRISTI *perfectione et beatitudine* cerni statuat, fidem dicens animi actum, vel conditionem, qua perfectionis et beatitudinis CHRISTI participes fiamus [128]). Sed quid est quod plures commemorem? Nostro enim tempore haud facile quis dixerit, fidem una mentis persuasione absolvi; sed ad animum etiam, et ad hunc quidem praesertim, referendam eam esse omnes concedunt et contendunt [129]).

Verum enim vero de *objecto* fidei si quaeris, in diversas abeunt partes ét Theologi, ét universe Christiani-Protestantes, cum *Lutherani*, tum *Reformati:* quod ét in aliis regionibus, ét vero etiam in ipsa patria nostra videmus et experimur. Quaeritur igitur, quam viam ingredi nos oporteat, ut vehemcntissimae istae contentiones litesque componantur.

Sunt qui contendant, servandam esse ac tuendam Ecclesiae doctrinam, in libris eius symbolicis expositam, hanc tradendam esse ab unoquoque, qui vel sacrorum Antistitis, vel Professoris theologici munere in Ecclesia nostra fungi velit: eosque adeo, qui constitutae huic Ecclesiae doctrinae subscribere nolint, quum a vero eam aberrare sibi persuaserint, vel ad munus, quo in commodum Ecclesiae functuri sint, non admittendos esse, vel, si eo fungantur, sponte sua de illo decedere debere, vel ab Ecclesiae Moderatoribus removendos esse. Quorum nonnulli, paucissimi quidem, at nonnulli tamen, vindicandam esse Ecclesiae doctrinam monent, hanc unice ob causam, quoniam est Ecclesiae doctrina: alii vero, iique longe plures numero, quia persuasum ipsis est, librorum symbolicorum argumentum cum sacri Codicis doctrina plane convenire. Sed qui priorem amplectuntur sententiam, ét Protestantismi principio prorsus valedicunt, ét ipsos Patres Dordracenos sibi repugnantes habent, quippe qui unumquemque Synodi socium hoc iure iurando obstrinxerint: „Promitto coram Deo, — „me in tota hac synodali actione, — non ulla scripta humana, sed solum „Dei verbum pro certa ac indubitata fidei regula adhibiturum," neque examinare acceptam ab Ecclesia doctrina dubitaverint. Quid? quod, admissa illorum sententia, nulla umquam exstitisset ss. instauratio [130]). Qui autem posteriorem propugnant sententiam, pro vero habent, ponuntque, quod alii, iique certe haud pauciores numero, negandum esse existimant. Quid igitur? Num convocandam esse censetis alteram Synodum Dordracenam, quae cum de librorum symbolicorum doctrina, tum de sacrorum Antistitibus et Theologiae Professoribus iudicium ferat? Dubito, an gratum foret illud acceptumque, in praesenti rerum conditione, ipsis doctrinae Ecclesiae fautoribus. Ego quidem mihi persuasi, nihil aliud effecturam esse eiusmodi Synodum, quam ut lites augerentur, atque in diversas partes Ecclesia nostra distraheretur. Qui igitur hoc remedium adhiberi vellet, malo non mederetur, sed illud etiam augeret.

Alii ss. Antistitibus atque Theologiae Professoribus plenam dicendi docendique libertatem dandam esse dictitant; hoc verum esse Protestantismi principium inculcantes, ut suam quisque sententiam libere profiteatur: nec

Christianam, nec Reformatam Ecclesiam suam habere doctrinam, fidemque, quae a nobis postulatur, non esse fidem, certis quibusdam dogmatibus adhibendam, sed consistere unice in fiducia, in CHRISTO, Deoque reponenda. Audio. Sed videte vos, quaeso, qui ita loquimini, an non in alterum ruatis extremum, sententiamque propugnetis, cui et historia, et ipsa rei ratio, et vero etiam vestra ipsorum affirmatio prorsus repugnet. Concedo, nulli licere Societati Christianae eiusmodi doctrinam constituere, quae vel cum librorum ss. enunciatis pugnet, vel plura contineat, quam quae divina nos docet patefactio; nam quae hoc agit horumque confessionem a suis sociis requirit, haec ne *Christiana* quidem Ecclesia, me iudice, dici meretur. Idem vero et Christianam, et Reformatam Ecclesiam sua gaudere doctrina contendo. Etsi enim plus Conditor Ecclesiae spectavit, quam mentes nostras illustrare, nec Systema doctrinae absolutum tradidit, tamen venit quoque ad docendum, doctrinamque, quam a Patre acceperat, cum hominibus communicandam [131]): cui consilio et muneri quo modo satisfecerit, tota eius vita nos docet [132]). Hanc igitur doctrinam accipiat et confiteatur Ecclesia, quae *Christiana* dici possit, necesse est. Imo ne cogitari quidem potest Ecclesia, nisi confitens, nisi id quod credit, libere pronuncians. Quod autem confitetur, quid est, nisi doctrina; quam cogitare non possumus, nisi certa quaedam placita continentem. Cogitandi dicendique libertatem strenue quidem propugnarunt ac vindicarunt Reformatores; sed libertatem intellexerunt, vero CHRISTI discipulo dignam [133]), suamque ipsi doctrinam, Ecclesiae Romano-Catholicae sententiae oppositam, denunciarunt [134]). Putatisne, agnituros fuisse eos pro suis, qui vel summam Pontificis Romani auctoritatem, vel placitum de Ecclesia falli nescia, vel transsubstantiationis q. d. dogma, vel intercessionis Sanctorum, nominatim MARIAE apud Deum CHRISTUMque necessitatem, vel bonorum operum vim meritoriam docerent ac propugnarent? Quid? quod vobis ipsi contradicitis; nam fiducia, in Deo CHRISTOque reponenda, quam recte praedicatis, nonne ponit mentis persuasionem de Deo, bene nobis volente, de CHRISTO, unico nostro Conservatore, divinitus nobis dato, dignoque, in quo omnem nostram reponamus fiduciam? Haec autem nonne placita, s. dogmata sunt, quae cognoscere et amplecti nos oportet, ut Deo CHRISTOque fidem habere possimus! Sunt igitur in Protestantium

quoque Ecclesiis certi denique fines, ultra quos in docendo progredi minime licitum sit, nec commendanda plena est libertas ad praesentes lites componendas [135]).

Alia igitur ineunda est via, et ea quidem, meo iudicio, quam demonstrat orationis meae argumentum. Memoria nimirum tenenda est et in omnium animis imprimenda vera fidei Christianae notio. Quam si attendimus, non omnis quidem deleta erit pugna atque dissensio; sed in necessariis consentiemus, et de ceteris amica erit disputatio. Quod ut pateat, agedum, in memoriam nobis revocemus, quae vera fidei Christianae notio sit, tum obiecti, tum indolis ratione habita.

Obiectum eius est, ex Iesu et Apostolorum institutione, ut vidimus, *doctrina*, quam denunciarunt, in primis *Evangelium*, maxime ipse Christus, unicus hominum Conservator, *Deus*que, qui dando illo, suam erga nos benevolentiam in luce collocavit. Quibuscum consentiunt, ut probavimus, quae sacrorum Instauratores docuerunt. Hoc igitur obiectum fide amplectamur necesse est. Quod qui spernit et repudiat, is, quod moderati etiam vereque liberales Theologi agnoscunt, nec Christi discipulus, Ecclesiaeque Reformatae socius dici potest, nec docendi munere fungi [136]). Contra qui hoc obiectum mente et animo comprehendit tenetque, is, quippe vera fide imbutus, et germanus Christi discipulus atque Ecclesiae Reformatae socius est habendus, neque a docendi munere amovendus. At quaerat forte quis: tune igitur Ecclesiae nostrae libros symbolicos nihili facis, et abrogandos eos esse censes, quos tamen Ecclesia et olim recepit saepiusque confirmavit, nec ad hunc usque diem reiecit? Minime vero: contra magni illos aestimo, veramque patefactionis divinae doctrinam iis contineri mihi est persuasissimum. Sed idem contendo, nonnulla in iis reperiri, quae vel accuratius enuncianda essent, vel nimis accurate dicta sint: quorum posterioribus aptior mihi quidem locus esse videtur in Theologia dogmatica, quam in Confessione: quippe quae philosopham ipsorum dogmatum dent explicationem. Itaque nec contemnendi sunt, qui horum librorum auctoritatem conservare ac tueri studeant; nec vero etiam condemnandi, atque ex Ecclesia excludendi, qui, ad ipsos libros symbolicos pro-

vocantes [137]), quae in iis contineri sibi videantur, vel cum sacrorum librorum effatis minus congruentia, vel horum modum excedentia, amplecti atque docere se posse negent, dummodo principem illum locum non reiiciant, qui in CHRISTI et Apostolorum doctrina regnat, quemque sacrorum Instauratores e tenebris in lucem protulerunt, locum dico de *Evangelio*, in libris ss. nobiscum communicato, locum dico de IESU CHRISTO, Conservatore nostro unico, locum dico de *Deo*, qui tanto mundum prosecutus sit amore, ut unigenam suum Filium dederit, ad unicuique, fidem illi habenti, aeternam vitam beatitudinemque donandam [138]), vel, aliis verbis ad eandem rem exprimendam adhibitis, locum de *Deo*, gratis nos justos declarante, et ut iustos tractante, quotquot fide cum CHRISTO juncti simus [139]).

Sed dicat forte quis: quid proficies, ad Codicem S. tamquam fontem, e quo hauriendum sit fidei obiectum, continue recurrendum esse statuens? An tibi ignotum est verissimum illud WERENFELSII epigramma:

Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua [140])?

Respondeo cum CHRYSOSTOMO: *πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα* [141]). Dissidia autem ista deploranda, quae fuere et adhuc sunt in Ecclesia, magnam partem, diversis multorum tribuenda sunt studiis in altissima et abstrusissima quacqua penetrandi, atque explicandi, quae explicata non sunt in libris ss., quippe captum nostrum superantia: quo factum est, ut hi ad SABELLII, illi ad ARII, alii ad alios prolapsi fuerint errores. Praeclare MELANTHON: „bone „Deus", inquit, „quales tragoedias excitabit haec quaestio ad posteros: *εἰ „ἔστιν ὑπόστασις ὁ Λόγος, εἰ ἔστιν ὑπόστασις τὸ Πνεῦμα;* Ego me „refero ad illas Scripturae voces, quae iubent invocare Christum, quod est „ei honorem divinitatis tribuere, et plenum consolationis est: *τάς τε ἰδίας τῶν ὑποστάσεων καὶ διάφορας ἀκριβῶς ζητεῖν οὐ πάνυ συμφέρει*" [142]). Et alibi: „Mysteria divinitatis rectius adoraverimus, quam vestigaverimus: „imo sine magno periculo tentari non possunt; id quod non raro sancti viri „etiam sunt experti" [143]). Quod tamen non ita accipiendum est, ac si damnandum foret illorum studium, qui fidem ad intellectum evehere conentur; nam sicuti in rerum natura, ita et in libris ss. patefactionem suam Deus nobiscum communicavit, ut eam contemplaremur, et quoad eius fieri

possit, intelligere studeremus; sed eavendum est, ne ad eiusmodi intellectum ét ipsi perveniamus, ét alios ducamus, quo ipsum fidei obiectum reiiciatur, fidesque vera evanescat. Quae ad salutem scitu necessaria sunt, non uno, sed plurimis locis, neque obscure, aut dubie, sed aperte atque dilucide in S. Codice docentur. Nec timendum est, ne, admissa, quam propugnamus, sententia, veritas ipsa detrimenti quid sit eaptura. Quod vere dictum sit in libris nostris symbolicis, pro vero agnoscetur. Nam veritati atque adeo Evangelio Christi non nisi pro tempore contradici potest. Indiget homo ea, quam S. Scriptura manifeste nobiscum communicat, doctrina, quum, peccatorum suorum sibi conscius factus, ab illorum poena et dominatu liberari cupiat. Unde quae ante aliquot annos tamquam obsoleta et falsa reiecta fuerunt, nunc iterum, certe pro parte, ut vera ac probanda agnoscuntur [144]). Solet autem ingenium humanum ab altero extremo in alterum ferri, donec tandem veritatem, ab omni parte conspectam atque expositam, amplectatur. Reformatores e. c. naturae humanae depravationem praesertim urgebant; recentiores nonnulli Theologi praestantiam eius in primis extollunt. Illi in morte Christi salutari sanctitatem et iustitiam Dei praesertim suspiciebant; hi amorem et benevolentiam Eius, si non unice, certe in primis animadvertunt. Illis Evangelium praesertim consolationis animique tranquillitatis fons erat; his viam monstrat, qua ad Dei similitudinem veramque animi vitam perveniatur. Sic itur ad pleniorem veritatis cognitionem eiusque agnitionem interiorem. Tolerandi igitur, imo audiendi sunt, qui alteram eius partem clarius exponant, licet dolendum simul sit, alteram ab iis negligi, vel etiam impugnari. Ab unoquoque discere velle nos oportet, atque in id incumbere, ut totum fidei obiectum, sicuti latet in V. F. atque in Novo patet, tum ad nostram consolationem, tum ad emendationem valens, cognoscamus, intelligamus, amplectamur. Quod ut assequamur, alter alteri lucem afferat et opituletur; alter alterum amice admoneat, neque ullus sit proclivis ad fratrem suum condemnandum, recordantibus et cogitantibus singulis, nos, quamdiu his in terris vivimus, ex parte tantum cognoscere, ac veluti *δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι* cernere [145]). Haec unica via est, meo quidem iudicio, qua praesentes lites componi possint, et veritatis regnum in Dei Christique honorem, atque Ecclesiae emolumentum stabiliri et amplificari.

Quod ut fiat, attendere etiam nos oportet ad fidei, quam descripsimus, *indolem:* quae semper eadem est, quum obiectum eius diversum esse potest. Quod videmus non tantum in gentis Israëliticae patre [146]), sed in quam plurimis, quorum fides N. F. libris magnopere laudatur atque effertur, licet pauca tantum placita cognita illis essent et accepta [147]). Illorum nimirum fides non in mente modo, sed in animo praesertim residebat, suamque vim et efficacitatem in tota illorum vita patefaciebat. Hanc igitur fidem, quae vere fides dici meretur, ét ipsi sectemur, ét in aliis requiramus maximique faciamus. Quae quo magis regnat in nobis, eo minus proclives erimus ad illos contemnendos, et condemnandos, qui, etsi in nonnullis a nobis dissentiunt, vera tamen fide se gaudere ostendant [148]). Neque enim propter reiectam alicuius loci interpretationem, de qua in utramque partem disputari possit, aut propter certum quoddam placitum, in dubium vocatum, quia doceri illud in Codice s. nobis non constat; sed propter reiectam patefactionem divinam, sed propter reiectum Evangelium, sed propter reiectum Christum, Conservatorem nostrum unicum, sed propter reiectam Dei gratiam, in eo palam factam, condemnabimur. Quicunque suam in Deo Christoque fiduciam reponens, omnem suam a Deo per Christum spe exspectat salutem, cuiusque fides fructus laetos et uberes fert, in amore cum erga Deum Christumque, tum erga fratres omnesque naturae suae socios conspiciendos, hunc Christus in suis habet, hunc coram Patre suo confitebitur, hunc pro filio suo agnoscet ipse Pater, hunc vita aeterna fruiturum esse certo certius statuimus. Quid igitur nos? Num nos eum condemnabimus, et a societate nostra excludemus, quem Christus, omnium dominus iudexque, quem ipse Deus acceperit, palamque olim sit probaturus? Absit! Ut germanum Christi discipulum, ut Dei filium, ut fratrem nostrum, verumque Ecclesiae nostrae socium nos quoque eum agnoscamus, diligamus, amemus, [149])! Et si quid sit in illo, quod displiceat, in quo errare nobis videatur, de eo amice illum admoneamus, sine ira et odio cum illo disputemus, meliorem plenioremque rei cognitionem, ad Paulli exemplum, a Deo illi exoptantes [150]). Haec unica via est, qua, meo quidem iudicio, praesentes lites diminui possint atque componi.

Utinam hanc viam ingrediare, o carissima mihi patria Ecclesia! Utinam omnes, qui vel ab orthodoxia, vel a liberalitate sua nomen habent, quae vera sit fidei notio, intelligant, memoria teneant, in animis imprimant, vita sua factisque ostendant! Utinam omnes, qui Christo nomen dederunt, per omnem terrarum orbem, in id praesertim incumbant, ut ad quaestionem, quae omnium gravissima est: „τί με δεῖ ποιεῖν, ἵνα σωθῶ [151]:" rite respondere sciant, religionisque Christianae indolem moralem continue sibi ante oculos ponant [152]. Tum lites omnes et contentiones in dies magis evanescent, pristinusque in Christiana Ecclesia amor iterum vigebit. Altera societas tum alteram docebit, et ad veri investigationem pietatisque studium instigabit. Omnes, veritatem sectantes cum charitate, adolescemus ab omni parte, iuncti cum eo, qui Ecclesiae caput est [153], Finem assequemur, quem ipse monstravit, quum pro nobis precatus est, ut omnes in eo, eiusque Patre unum simus [154]. Deo, qui veritatis pacisque auctor est et fons, placebimus, ac probabiles Eius erimus administri. Regnum denique coeleste in dies magis amplificabitur, plenamque tandem de mundo, peccato dedito, victoriam reportabit. Quod ut fiat, te Pater coelestis! enixe precamur. Tu tumultuantes affectuum fluctus moderarere. Tu, discordiarum ventis ac procellis compositis, serenum reducas coelum. Tu veram fidei Christianae notionem in omnium animis imprimas, atque ipsam hanc fidem in iis excites et alas, ut Te, Filiumque tuum sincero omnes corde colant, ac mutuo amoris vinculo iuncti, toti in eo sint, ut regnum tuum, quod veritatis pietatisque regnum est, stabiliant et amplificent [155].

Veni ad alteram orationis meae partem, qua Academiae nostrae fata enarrare me oportet.

Academiam autem dicentes, sponte primum cogitamus Regem nostrum augustissimum, artium ac disciplinarum fautorem, tum ceterarum, tum nostrae Universitatis statorem ac vindicem: qui populum suum afflictum consolando, eique opitulando nuperrime patriae Patrem se ostendit. Salvum igitur eum esse cum tota eius domo valde gaudemus, pro beneficiis, in eum collatis, summas Deo gratias agentes, votaque sincera pro salute eius nuncupantes.

Est etiam, quod de patriae conditione, quacum Academiae fata arctissimo iuncta sunt vinculo, magnopere laetemur; nam, etsi hisce diebus ingenti, eheu! aquarum effusione magnam accepit calamitatem, tamen haud scio an ulla gens sit ab ortu solis ad hesperium cubile, quae de felicitate nobiscum possit contendere. Faxit paterna Dei benevolentia, ut hoc quoque anno eadem frui nobis contingat prosperitate, cessetque bellum istud gravissimum, quod regnare in Europa vehementer dolemus. Verissime enim Poeta nullam bello esse salutem affirmavit.

Sed Academiam memorantes, vos praesertim mente complectimur, Viri amplissimi! quibus cura eius mandata est, nec non te, qui illis ab actis es, Vir consultissime! Gaudemus, hoc anno academico e vestro quoque collegio de vita discessisse neminem. Nam qui sub magistratu meo e vita migravit, Iohannes Gerardus Swellengrebel, de munere suo iam decesserat. Attamen ét vos, ét nos omnes tanti eum fecimus, ut ad memoriam eius recolendam celebrandamque sponte ducamur. Erat enim vir, qui ingenii animique, quibus gaudebat, dotibus, alacritate, affabilitate, amabilitate, modestia, candore, pietate magnum in modum se commendaret. Gravissimo Curatoris munere functus est inde a die 26 m. Iulii a 1819 usque ad diem 11 m. Sept. a 1847, atque adeo per octo et viginti annos, diligenter, strenue, religiose; nam ét litteras, praesertim philosophiam naturalem ipse amabat, ét Academiae nostrae salus curae illi cordique erat. Decessit igitur de munere, quod gratissimum illi erat suavissimumque, fere invitus; sed senectute confectus, gravissimisque casibus domesticis afflictus, quum sentiret, se non amplius rite fungi eo posse, ipsius rogatu, a Rege augustissimo honorifice dimissus est. Tandem de ipsa vitae statione decessit: decessit autem aequo animo, omnem suam in Deo Christoque reponens fiduciam, abiitque ad illud divinum animorum concilium coetumque, quo profecti iam erant ét uxor, femina pia gravissimaque, ét filius carissimus unicus, ét gener, quem maximi faciebat, intimeque diligebat, desideratissimus noster Royaardsius.

Sed ad te me converto, amplissime ab Hoytema! quem regio decreto ad vacuam nobilissimi Lyndeni a Lunenburg sedem occupandam designa-

tum decessor meus cum auditoribus suis communicavit [156]) quemque iam salutare me oportet. Gratulamur tibi toto ex animo de honore, quo Rex te affecit, quem gratum tibi fuisse acceptumque mihi persuadeo, non propter se ipsum; nam quid habet gloria in se, cur expetatur?, sed quia virtutem tamquam umbra sequitur, munusque, quo fungeris, gravissimum novam tibi praebet facultatem vitam tuam viresque ad provehenda iuventutis commoda patriaeque salutem adhibendi. Gratulamur autem praesertim ét nobis, ét nostrae Academiae; nam novimus tuas mentis animique dotes, ingenii acumen, iudicium acerrimum, prudentiam, humanitatem, veri bonique studium, litterarum amorem, institutionis provehendae ardorem, caritatem denique, qua affectus es erga nostram Academiam, almam tuam matrem. Quid mirum igitur, magnopere nos gaudere de munere in te delato et a te suscepto? Persuasimus enim nobis, omnem te curam in sustentanda augendaque Universitatis nostrae dignitate esse positurum. Adsit tibi tuisque Collegis Deus propitius, ut res, quae vobis curae sunt, feliciter prospereque eveniant. Adsit tibi illisque in gravissimis etiam consiliis, quae capienda vobis sint, ut Cathedrae iam iam vacantes eximiis ornentur viris, qui nihil antiquius habeant, magisque optent, quam ét litterarum studiis ac iuventuti prodesse, ét vera Societatis Christianae commoda provehere. Sic tuo Collegarumque tuorum consilio, auctoritate, sententia floreat et crescat Academia Rheno-Traiectina!

Ut autem Academia indiget Curatoribus, sic, et minus etiam carere illis potest, qui litteras tractent ac doceant. Quod cum ita sit, in commemorandis eius fatis, de his praesertim referre me oportet. De studiis nostris laboribusqus dicere nec consuetudo fert, et vetat modestia. Itaque unice de fatis nostris enarrabo.

Pauca quidem, at nonnulla tamen adversa evenere sub Magistratu meo. Vobis enim, Viri Clarissimi! Collegae coniunctissimi: Groenewoud, Holtius, van Rees, Buys Ballot, Harting et de Geer! morte erepti sunt cognati dilectissimi. Praeterea uterque vestrum, Cl. Harting et Schroeder van der Kolk! orbati estis filia carissima: qui casus utrumque vestrum, et te quidem praesertim, Cl. van der Kolk! recrudescente graviori etiam vulnere, magno affecit dolore, nec tamen oppressit. Fortiter enim

eum tulistis, Christiana illa, quam descripsi et celebravi, fide sustentati atque erecti: quae ut perpetuum uberrimumque vobis aperiat consolationis fontem, optamus ac precamur.

Plura autem prospera et laeta enarranda habeo. Ac primum quidem gratulari me oportuisset Clar. OPZOOMER de domestica, quae illi contigit, felicitate. Auctus enim est, divina benignitate, filiola, salva uxore dilectissima. Quae felicitas te quoque, Cl. ACKERSDIJCK! magno affecit gaudio. Sed valetudinis causa hic adesse non potuit. Addat igitur Dei benevolentia beneficiis, quibus illum cumulavit, etiam hoc, quo pristina caque continua uti illi contingat valetudine, ut omnem suam vitam viresque in veri regnum amplificandum possit impendere.

Sed alia etiam commemoranda sunt. Gaudemus enim tecum, Cl. BERGSMA! de singulari, quo pater fruitus es gaudio, quippe qui hoc anno academico tres filios variarum disciplinarum Doctores creatos videris, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude. — Gratulandum etiam mihi est Academiae nostrae de conservato, certe ex parte, MULDERO nostro. Quod cum factum sit tum Curatorum nostrorum sententia atque consilio, tum Regis augustissimi decreto, gratias illis referre nos oportet, quod eius lumine atque auctoritate non plane orbata sit Academia Rheno-Traiectina. Ipsum compellare volueram, sed maximis occupationibus se impediri, quominus hic adesse posset, hesterno die mecum communicavit. — Vobis autem non possum non gratulari, Viri doctissimi OUDEMANS et VLAANDEREN! de honoribus, quibus orbati estis. Eam enim Academiae Curatores in utroque vestrum posuerunt fiduciam, ut una cum *Lectore Chemiae*, Viro Doct. GUNNING, lectiones habere vobis mandaverint, quas Cl. MULDER dare solebat. Nec spes, de vobis suscepta, eos fefellit: quod ab idoneis harum rerum iudicibus me accepisse, lubens palam declaro. Pergite igitur vos, Viri doctissimi! eadem, qua coepistis, diligentia, et ardore munere vestro fungi, atque tum disciplinae vestrae, tum civibus academicis, ceterisque, qui ad lectiones vestras confluant, prodesse studete.

Nec te praeterire volo, Cl. DE FREMERY! quippe cui per quinque lustra et quod excurrit, munere tuo fungi contigerit. Est certe haec singularis felicitas: ita enim data tibi fuit facultas per longum sane tempus et disci-

plinae tuae operam navandi, ét Studiosorum commoda provehendi. Te intuenti, Patris tui imago continue mihi ante oculos versatur, cui quantum debeam, in oratione mea inaugurali palam testatus sum [157]). Conservet Deus vitam tuam, quae ut ét disciplinae tuae, ét Academiae nostrae magno sit emolumento sincere ab Illo optamus.

Sed maior etiam felicitas contigit tibi, Cl. GROENEWOUD! quippe qui non per quinque tantum lustra munere tuo functus sis, sed ad ealcem usque, a lege positam, spatium decurreris, iamque septuagenarius ét decreto regio honorifice dimissus sis, ét iure tuo docendi munus deponas. Functus autem eo es diligenter, strenue, religiose. Ante oculos semper habuisti finem, cui destinati essent discipuli, tuae curae commissi; quam ob causam ita eos instituere studuisti, ut, adhibitis aliis dialectis Orientalibus, Hebraeas praesertim litteras et antiquitatem callerent, V. F. libros bene intelligerent, eademque, qua ipse plenus es, fide, divinis oraculis habenda, imbuerentur, sine qua ss. Antistites verba facere ex pectore ad populum Christianum non possint. Conscientia bene actae vitae gaudens, otio tuo honestissimo laeto fruare animo, sitque tibi Codex ille, quem diurna noeturnaque manu versas, tum in reliquae vitae tempore, tum in ipsa morte fons consolationis gaudiique uberrimus.

Novistis, AA.! quam vehementer rursus nostram urserit civitatem tristissimus iste morbus, quem adpropinquantem magna cum sollicitudine videbamus. Novistis, quot carissima capita cuiuscunque ordinis, loci, aetatis abstulerit, alterum post alterum in cava busta trahens. Pepercerat autem adhuc Professorum ordini. Iam vero invadit capitalis ille hostis in nostrum quoque VAN REES, Collegam coniunctissimum. Quo audito, afflicti et perturbati, summo premimur angore ad unum omnes. Confluimus ad domum eius continue. Medicos eius fidelissimos, quid sentiant de morbi vi, suspenso animo interrogamus. Prudenter quidem illi, ut solent, at ita tamen respondent, ut vitae periculum adesse intelligamus. Annuit autem votis nostris precibusque paterna Dei benevolentia. Ecce adest Vir desideratissimus, plane confirmatus, pristina gaudens valetudine. Quod eum video, summo ego afficior gaudio, Collega coniunctissime! qui eo iam tempore, quo una in hac Academia versabamur, permagni te feci. Sed quid de me

uno dico? Omnes gaudemus, imo tota civitas gaudet de conservata vita tua carissima, gratiasque tecum agimus, quas possumus, maximas supremo primum Numini, sine quo nihil proficiat humana sapientia, deinde tibi etiam, cl. SUERMANNE! pro singulari, qua Collegae coniunctissimi valetudini, una cum eius Medico, consuluisti, cura et diligentia.

"Ad vacuam defuncti sedem occupandam decreto Regio vocatus est BER-"NARDUS TER HAAR, quem delatam sibi provinciam suscepisse laetamur". Haec iis, quae de ROYAARDSIO nostro vere praedicaverat, addidit decessor meus [158]). Addidit autem non e sua tantum, sed ex mea quoque sententia. Novi enim patrem tuum, Collega aestumatissime! virum, in quo erat comitate condita gravitas, cuiusque imaginem honoratissimam et suavissimam etiamnum possum cogitatione depingere, teque haud uno nomine similem ei esse acceperam. Praeterea uterque nostrum, iuvenili aetate, eodem usi sumus Magistro, in rebus ad religionem spectantibus, carissimo nostro WOLTERBEEKIO, cui plurimum nos debere grato animo palam testamur. Neque ex mea tantum, verum etiam ex cl. BOUMANNI, Collegae coniunctissimi, quem graviter aegrotare, atque hanc ob causam abesse dolemus, sententia locutus est praecedentis anni Rector. Noveramus enim non pulcri modo, sed et veri bonique, quo imbutus es, sensum. Noveramus humanitatem tuam, modestiam, animi candorem, moderationem, doctrinae denique copiam, libris, quos conscripsisti, egregiis abunde probatam. Nec spes, quam de te concepimus, nos fefellit. Nam oratione tua inaugurali, quae tum argumenti pondere et gravitate, tum verborum elegantia magnopere se commendavit, omniumque applausu accepta est, continuo magnam de te exceptationem dedisti, tuaque consuetudo ac familiaritas nos iam docuit, de studiis tuis moribusque vere praedicata esse, quae ad nostras aures pervenerant. Gratulamur igitur tibi ex animo de honore in te collato, deque munere a te suscepto. Nec tibi tantum gratulamur, sed et nobismet ipsis, atque Academiae nostrae. Nos non desideramus amicitiae tuae testificationem, neque tu nostrae. Iisdem enim iam animi sensibus studiisque iuncti sumus, id unice spectantes atque optantes, ut communis nostra opera tendat ad Academiae nostrae celebritatem, veramque Societatis Christianae salutem augendam et amplificandam.

Sed in fatis Academiae enarrandis de *Civibus* eius etiam mihi est dicen-

dum. Quam vellem, ut de his idem atque de Professoribus possem affirmare. Quatuor autem iuvenes egregii ét nobis, ét parentibus suis atque cognatis morte acerba erepti sunt, nempe IANUS MAAS, WILHELMUS ANTHONIUS VAN DOORN, DIDERICUS TIEERD VISSER et IOHANNES CAROLUS VAN ZYST. Nec praetermittendus est doct. Ecco EKKER, quem, etsi Academiae iam valedixerat, civibus tamen eius adnumerandum censeo. Nam me Rectore, dissertationem suam de CLEMENTIS *Romani priore ad Corinthios epistola* publice defendit, summisque cum laudibus Theologiae doctor creatus est, stationem desiderans atque exspectans, qua Societatis Christianae commodis ex animi votis posset inservire. Sed aliter placuit sapienti rerum nostrarum Moderatori. Ereptus est tibi, aestumatissime EKKER! *Ecco* tuus filius dilectissimus; sed ereptus non in perpetuum; nam animus eius non te deserens, sed respectans, in ea loca discessit, quo tibi ipsi cernebat esse veniendum. Sit illi, sit ceteris quoque defunctis terra levis, fidesque, quam praedicavi, ét tibi, ét illorum cognatis spem certam iniiciat, qua sustentati atque erecti in Dei voluntate aequo animo acquiescatis. — Haec dicenti mihi succurrit gravissimum illud TULLII effatum: „Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad „vesperam esse victurum?" [159]) Utendum igitur est aetate, atque ita instituenda nostra vita, ut ét officia, hîc a nobis colenda, praestemus, ét sublimiori illi praeparemur vitae, quam post terrestrem hanc spe exspectamus. Omnesne hoc semper memoria tenuistis, atque imis infixum medullis, Commilitones amicissimi! Omnesne strenuam assiduamque studiis doctrinae operam navastis, propositumque finem, quo cursum dirigere debetis, continue ante oculos habuistis? Omnesne vestros parentes ac praeceptores iusto semper obsequio et observantia coluistis? Ad has aliasque eiusmodi quaestiones ipsi respondeatis velim. Equidem festo hoc laetoque die neminem vestrum palam reprehendere volo. Et sane pauca tantum, quae vel oculis vel auribus percepi, in paucis reprehendenda haberem: quae ipsi iam, ut spero et confido, cum animi pudore memoria recolitis, et condemnatis. Multi certe vestrum studiorum assiduitate bonisque moribus magnum in modum se commendarunt. Nec possum non vos nominatim laudare, ornatissimi VAN WAGENINGE et HAGEN! quorum uterque propter hanc conscriptam Commentationem a Professoribus Groninganis,

alter a Facultate Medica, alter a Theologorum Ordine honorifico ornati estis testimonio. Quid? quod praeter laudabilia, quae fovent ac tuentur, instituta, novum etiam Cives academici condiderunt sodalitium, *πάντα νόητα* dictum, bene intelligentes, verissimum esse, quod monet Tullius, „omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune „vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineri [160])."

Ad artes autem illas exercendas idoneis opus est *subsidiis adminiculisque:* quam ob causam in commemorandis Academiae fatis de illis etiam referre me oportet.

Cubicula, Professorum conventui ac Studiosorum examinibus habendis destinata, nec sufficere, et minus apta esse novimus omnes. Alia igitur eaque commoda iis addendi facultas ne desit Curatoribus, iusta de causa optamus.

Bibliotheca per proximum annum a multis ét Academiae civibus, ét ab aliis frequentata, plurimis magno usui fuit. Librorum numerus insigniter auctus est donis, quibus illa tum ab augustissimo Rege, tum aliorum accommodatione donata fuit. *Societas Vattemariana*, hoc quoque anno, haud paucos libros, maxime ad res Americae Septentrionalis pertinentes, transmisit. *Institutio Smissoniana*, quae *Washingtoniae* floret, amplum librorum apparatum *Traiectinae artium et doctrinarum Societati* dono obtulit, qui omnes in Bibliotheca collocati communi usui expositi sunt. Praeterea tam ex aerario publico, quam singulari Curatorum liberalitate, cum aliunde, tum e Bibliothecis *Steenwykiana* et *Wolterbeekiana* magnam librorum, rariorum etiam et pretiosorum, copiam acquisivimus, qui huc usque in nostra Bibliotheca desiderabantur. Crescente autem in dies librorum multitudine, in dies magis deficit quoque locus, quo apte disponi possint et conservari. Multi iam vel duplici ordine positi sunt, vel, refertis pluteis, in ligneo aedificii solo strati iacent, ut adeo non sine causa de amplificando aedificio deliberent Curatores: quae Virorum amplissimorum deliberatio ut bonum habeat eventum ét Bibliothecae nostrae Praefectus, ét nos omnes ardentissime speramus.

Museum Anatomicum non modo nonnullis auctum est speciminibus, sed tota etiam collectio meliori denuo ordine est disposita.

Laboratorio Physiologico item varia addita sunt instrumenta pretiosa, in his *Kymographion*, perfectumque *oculi Speculum*.

Nosocomium Academicum gaudet hodie instrumentis Chirurgicis sufficientibus, multis novis iisque pretiosis illi additis. Sed ipsarum aedium miserrima conditio adhuc ea est, ut nec aegrotantes capi illis queant ritequc curari, nec instrumenta apte servari. Verbo, *Nosocomium* nc dici quidem meretur. Itaque de emendando illo et amplificando iam diu cogitarunt Curatores, magnaque nunc spes est, ut coniunctis tum illorum, tum Magistratuum civilium, tum Praefectuum Nosocomii urbani curis, tandem ratum fiat, quod plures iam annos in votis fuit.

Museum Physicum, *Laboratorium Chemicum* et *Observatorium Microscopicum* laeto statu gaudere pergunt. Quod affirmari quoque potest de *Horto botanico*, cuius tamen aedificia, asservandis plantis destinata, minus apta, magnaque emendatione indigere dicuntur.

Speculae denique *astronomicae* aedificatio absoluta est: qua de re mirificum in modum gaudemus, pro cura, quam illius gesserunt Curatores, maximas iis gratias agentes. Consecuti enim iam sumus, „ut praeclara „Astronomiae doctrina," verbis utor cl. Mulderi [161]), „pro rei dignitate „et cum fructu discentium in hac Universitate coli et explicari queat:" quae verba, praesertim auctoritate cl. Buys Ballot nisus, lubens mea facio.

Communicavi vobiscum, AA.! de institutis adminiculisque academicis, quae vel ipse noveram, vel a Collegis meis acceperam. Quo facto, ad vos iterum me converto, Iuvenes praestantissimi! Commilitones ornatissimi! Certaminis enim ineundi facultatem vobis indico praebeoque, non quale iam, eheu! inter potentiores Europae gentes geritur, sed litterarium, honestum, honorificum, quo nullum est periculum, ut sauciemini atque ex acceptis vulneribus moriamini; sed quo ingenii animique vires acuantur, explicentur, augeantur. Ad respondendum enim tum vobis, tum ceterarum Academiarum et Athenaeorum civibus proponuntur hae Quaestiones:

A FACULTATE THEOLOGICA:

Ostendatur ex historia, quid *Carolingico aevo* religionis Christianae vim moralem in gentes Neo-Europaeas impediverit; quomodo vel sic tamen

haec religio praestantissimam ac beneficam suam indolem satis superque comprobaverit.

A FACULTATE IURIDICA:

I. Enarretur historia fideicommissorum in patria nostra.

II. Qui post HUGONEM GROTIUM in Belgio nostro iuris gentium peritia insignes fuerint viri docti, ordine Chronologico recenseantur, deinde quid in primariis illius disciplinae partibus singuli praestiterint, exponatur.

A FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM:

I. Instituatur disquisitio de HORATII *Epistola ad Pisones*, qua praecipui loci, in quibus vel verborum, vel rerum controversia aut obscuritas inest, ponderatis Criticorum rationibus, explicentur.

II. Exponatur, quid ad diiudicandam celeberrimam de animi existentia quaestionem hac nostra aetate Anthropologia attulerit.

A FACULTATE MEDICA:

Experimentis tum in ranis, tum vero praesertim in mammalibus institutis, inquiratur in differentiam mutationum, vulnera et fracturas sequentium, prouti trunci nervorum, ad laesa membra pertinentium, vel dissecti, vel non dissecti fuerint, ita quidem, ut, ratione habita tam aliorum, quam KONINGII disquisitionum, vis nervorum in inflammationem, suppurationem, novarum universe partium formationem, in ipsam adeo vulnerum et fracturarum sanationem, quantum fieri possit, eluceat.

A FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS:

I. Critice exponantur naturae scrutatorum indagationes et opiniones de Arthropodum oculorum compositorum fabrica, et partium functione physiologica, additis, quantum possit, propriis observationibus.

II. Quamnam significationem tribuerunt Geometrae recentiores quantitatibus, quae dicuntur, imaginariis in Geometria, et quo iure?

Videor mihi iam videre inter vos, qui honesto decoroque honoris studio flagrantes, audita hac illave quaestione continuo consilium ceperint, ingenii sui vires periclitandi. Agite vos, Commilitones! laudabile hoc consilium strenue persequamini, nec palmam vobis ab alius Academiae, vel Athenaei civibus praeripi patiamini.

Restat, ut Rectoris magnifici munus deponam, ac Successori designato tradam. Itaque ex Regis augustissimi decreto te, IACOBE VAN HALL! in proximum annum *Rectorem magnificum* dico, renuntio, proclamo. Accedas igitur, Vir Clarissime! locumque occupes, quem tibi feci vacuum. — Salve iam, magnifice Rector! iterumque salve. Quidquid ét honoris ét oneris habeat Academiae magistratus, eo lubentius in te devolvo, quo certius mihi persuasi, tuto tibi mandari, quod recte curatum velimus. Sit tibi valetudo opportuna, ut munere tuo fungi possis cum voluptate! Augeatur Civium academicorum numerus! Commendent se singuli studiorum assiduitate, modestia, humanitate, probitate, floreatque, te Rectore, Academia Rheno-Traiectina! — His tu votis precibusque annuas, Pater coelestis! Gratias Tibi agimus, quas possumus, maximas pro beneficiis, quibus ét nos omnes, ét Rectorem, munere suo iam defunctum, cumulasti. Tu hoc quoque anno academico salvos nos serves et incolumes! Tu tenui valetudine utentes confirmes, Seniorumque corporis et animi vires sustentes! In Te fiduciam nostram reponimus omnes. Tibi sit laus, et honos, et gloria!

DIXI.

ANNOTATIO.

1) Vid. Act. IV: 32. 2) Vid. 1 Cor. XII: 12 sqq.

3) Praeclare NEANDER, *Der heilige Bernhard und sein Zeitalter* ed. 2ª p. 387: »Nirgends", inquit, »werden wir in solchen Kämpfen Recht und Unrecht nur auf Einer Seite finden, »sondern wir werden den Entwicklungsprocess des Christenthums als einen getrübten von bei»den Seiten erkennen müssen".

4) Vid. Ioh. III: 15, 16, 18. Act. X: 43. XVI: 30, 31. Rom. I: 16. 1 Ioh. V: 1, 5 al.

5) Marc. I: 15. 6) Ioh. V: 24. VIII: 31. 7) Ioh. V: 47.

8) Matth. XIII: 11, 19. 9) Ioh. III: 12. 10) Luc. VIII: 12. Ioh. VIII: 47.

11) Ioh. VIII: 32. 13) Ioh. XVII: 3. 14) Ioh. XVI: 27. 15) Ioh. V: 44.

16) Ioh. XI: 42. XVII: 8, 21. 17) Ioh. III: 16.

18) Ioh. I: 51. IV: 26. VIII: 24. X: 24—26, 36, 38. XIII: 19.

19) Ioh. X: 38. XIV: 10, 11. 20) Luc. XIX: 10.

21) Matth. XX: 28. XXVI: 28. Ioh. III: 14, 15. VI: 51 sqq. X: 11, 17, 18.

22) Ioh. XX: 29. 23) Matth. V—VII. Luc. XV. Ioh. V, VI, VIII al.

24) Rom. I: 1, 16. X: 16. Philipp. I: 27. Col. I: 23. 25) Eph. I: 13.

26) Rom. X: 17. 27) 1 Thess. II: 13. Act. XIII: 26. 28) 2 Thess. II: 12, 13.

29) Eph. I: 13. 30) 1 Tim. IV: 6. 31) Matth. XXIII: 8. 32) 1 Cor. I: 21.

33) PETRUS ceterique Apostoli Act. II: 36. V: 30—32. PETRUS et IOHANNES, Act. III: 18 sqq. IV: 11, 12. PETRUS, Act. X: 34 sqq. IOHANNES, Ev. XX: 31. 1 Ep. IV: 15. V: 1. PAULLUS, Act. IX: 20. XIII: 23. Rom. I: 3. 1 Cor. II: 2. III: 11. XV: 1 sqq.

34) Ioh. I: 14. 1 Ioh. IV: 2.

35) PETRUS ceterique Apostoli, Act. II: 23 sqq. V: 30—32. PETRUS et IOHANNES Act. III: 13—15. IV: 10. PETRUS, Act. X: 39—42. 1 Ep. I: 3, 19. II: 24. III: 18. IOHANNES Ev. XIX: 35. XX. 8. 1. Ep. I: 7. III: 16. PAULLUS, Act. XIII: 27 sqq. Rom. III: 25, 26. IV: 25. V: 6—10. X: 9. 1 Cor. XV: 3 sqq. 2 Cor. V: 19, 21. 1 Thess. IV: 14 al.

36) Petrus ceterique Apostoli, Act. II: 36. V: 31. Petrus, Act. X: 42. Iohannes, 1 Ep. II: 28. Paullus, Rom. VIII: 34. XIV: 9. Eph. II: 20—23 al.

37) Petrus ceterique Apostoli, Act. II: 38. V: 31. Petrus et Iohannes, Act. IV: 12. Iohannes, Ev. XX: 31. 1 Ep. II: 2. III: 5. IV: 9, 10. Paullus, Act. XIII: 38, 39. 1 Cor. I: 30 al.

38) Rom. V: 8. 1 Ioh. IV: 8—10, 14, 16.

39) 1 Cor. II: 2. Gal. I: 6—9. 1 Ioh. IV: 2. V: 1.

40) Act. XI: 4 sqq. XV. 1 Cor. XV. Ep. ad Gal. Eph. IV: 13—15. 1 Ioh. IV: 3. 2 Ep. 9, 10.

41) Vid. Act. VI: 7. Eph. IV: 13. Iud. 3. — Sed conf. cl. van Hengel, *Betoog, dat het woord „geloof (πίστις)" in het N. T. nergens „de leer des geloofs", maar overal „de daad des geloofs" beteekent*, in *Bijdr. tot bevordering van Bijb. Uitlegk., verz. door* van Willes, II. 1. p. 123 sqq.

42) Ioh. III: 15, 16, 18. 43) Ioh. IV: 21.

44) Ioh. V: 38, 46. VII: 38, 39. VIII: 24, 45, 46. X: 37, 38.

45) Ioh. VI: 29, 35, 40, 47. XII: 36, 44, 46.

46) Ioh. IX: 35. 47) Ioh. XI: 25, 26. 48) Ioh. XIV: 1. XVI: 9.

49) Act. II. III. IV. V. IX: 22, 23. X: 36 sqq. XIII: 16 sqq. XVI: 31. XVII: 2, 3, 31 al.

50) Petrus 1 Ep. I: 8. II: 6. Iohannes Ev. I: 12. 1 Ep. III: 23. V: 10, 13. Paullus, Rom. IX: 33. X: 11, 14. 1 Cor. II: 2. III: 11. Gal. II: 16. III: 26. Eph. I: 15. Philipp. I: 29. 1 Tim. I: 16. 2 Tim. I: 12. III: 15. Philem. 5 al.

51) Vocabula *πίστις* et *πιστεύειν* modo cum praepositionibus *ἐν*, *εἰς*, *ἐπὶ*, *πρὸς*, modo cum dicendi formulis, *τῷ ὀνόματι*, *εἰς τὸ ὄνομα*, modo etiam cum Genitivo et Dativo coniungunt.

52) Ioh. V: 24. 53) Ioh. VIII: 47. 54) Ioh. XII: 44.

55) Ioh. XIV: 1. 56) 1 Petr. I: 21. Conf. et Hebr. VII: 25.

57) 1 Ioh. V: 9—11. 51) Rom. IV: 24. Conf. et Tit. III: 8.

59) 1 Thess. I: 8. Vid. et Act. XVI: 34, coll. s. 31. 60) Ioh. XII: 45. XIV: 9.

61) Luc. XVIII: 8. XXII: 32. Act. VI: 5, 7, 8. XI: 24. XIII: 8. XIV: 22, 27. XV: 9. XVI: 5. Rom. I: 5, 8, 12. III: 27, 28, 30, 31. Gal. I: 23. III: 23, 24, 25. V: 5, 6 al.

62) Matth. XXI: 22. Marc. XI: 23, 24. XVI: 16. Ioh. I: 7. IV: 48. X: 25, 26. Act. II: 44. IV: 32. XI: 21. XIII: 12, 39, 41, 48. XIV: 1. XV: 5, 11. XVII: 12, 34. Rom. III: 22. VI: 8. X: 4. XIII: 11. XV: 13 al.

63) Iac. II: 17, 26.

64) Vid. Rom. V: 1 sqq. XV: 3. Gal. V: 6. Ioh. III: 15, 16. XV: 1 sqq. XVII: 21, 23. 1 Ioh. I: 3, 6, 7.

65) Ioh. I: 11, 12. 66) Ioh. VI: 35. 67) 1 Ioh. V: 12.

68) 2 Cor. XIII: 5. Gal. II: 20. 69) 1 Cor. VI: 11.

70) 2 Cor. V: 17. 71) Eph. II: 10.

72) Vid. Act. II: 44, 45. IV: 32, 34—37. VI: 1—6. Cf. NEANDER, *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christlichen Lebens*, t. I. ed. 3^tia^, p. 92 sqq.

73) Vid. NEANDER, l. modo l. p. 96 seqq. 74) 2 Cor. XI: 23—27.

75) Vid. HAGENBACH, *die Christl. Kirche der 3 erste Jahrh.* Leipz. 1853. p. 197 sqq. NEANDER, *Denkwürdigk.* p. 98 sqq.

76) Vid. A. VAN TOORENENBERGEN, *Keur uit de geschiedenis der Martelaren van de Protest. Apostolisch-Kathol. Kerk.*

77) Hebr. XI: 1, 6. — Cf. et de fidei notione apud IESUM et App. E. REUSS, *Histoire de la Théologie Chrétienne au siècle apostolique*, t. I. p. 211 sqq. t. II. p. 121 sqq. et 418 sqq.

78) Praecipua quae habent haec sunt: CLEMENS *Rom.* I ad Cor. c. XXXII: „Καὶ ἡμεῖς οὖν, inquit, διὰ θελήματος αὐτοῦ (Dei) ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' αὑτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων, ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσεν," Capp. seqq. ad bona opera et caritatem adhortans. HERMAS, *Past.* L. I. Vis. III. § VIII: „Per hanc" (fidem) „salvificnt electi Dei. — Ex fide nascitur abstinentia; de „abstinentia simplicitas; de simplicitate innocentia; de innocentia modestia; de modestia „disciplina et caritas." IGNATIUS *Ep. ad Ephes.* c. XVI: „εἰ οὖν οἱ κατὰ σάρκα ταῦτα πράσσοντες ἀπέθανον, πόσῳ μᾶλλον, ἐὰν (τις) πίστιν Θεοῦ ἐν κακῇ διδασκαλίᾳ φθείρῃ, ὑπὲρ ἧς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐσταυρώθη; in *Ep. ad Magnes.*, c. I. et *ad Smyrnaeos* c. VI. πίστις καὶ ἀγαπὴ iunguntur, altera alteri simpliciter apposita; in *Ep. ad Eph.* c. XIV: ἡ πίστις καὶ ἡ ἀγάπη dicuntur ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος. Ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο, ἐν ἑνότητι γενόμενα, Θεοῦ ἐστιν· τά δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκἀγαθίαν ἀκολουθά ἐστιν. Οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἁμαρτάνει. POLYCARPUS in *Ep. ad Philipp.* c. III: ἡ πίστις dicitur μήτηρ παντων ἡμῶν, ἐπακολουθούσης τῆς ἐλπίδος, προαγούσης τῆς ἀγάπης. — Cf. et E. EKKER, *Disquisitio crit. et hist. de Clementis Romani priore ad Car. epist.* Trai. ad Rh. 1854. p. 75 sqq.

79) Cf. HOFSTEDE DE GROOT, *Het onderscheid tusschen de doorgaande voorstelling van „geloof" in de SS. des N. V. en de beteekenis van dit woord, die in de stelsels der Godgeleerden sedert de Alex. Kerkvaders de heerschende is geworden*, in *Waarh. in liefde*, 1842. I.

80) Vid. HAGENBACH, l. l. p. 221.

81) Cf. REDEPENNING, *Origenes. Eine Darstellung seines Lebens und seiner Lehre*, p. I. Bon. 1841, ubi CLEMENTIS de fide sententiam exponit, p. 152 sqq. ORIGENIS, p. 335 sqq.

82) Liber Gr. inscribitur: ἔκδοσις ἀκριβὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως.

83) Verba sunt MICH. LEQUIEN, in *Prol.* ad IOANNIS *Damasceni Opp. omnia*, t. I. p. 118 sq. cuius ed. in seqq. laudo.

84) Praecipua IOANNIS *D.* dicta, huc spectantia, haec sunt: πίστις χωρὶς ἔργων νεκρά ἐστιν, ὁμοίως καὶ ἔργα χωρὶς πίστεως· ἡ γὰρ ἀληθὴς πίστις διὰ τῶν ἔργων δοκιμάζεται l. IV. c. IX. p. 261. ἡ μέντοι πίστις διπλῆ ἐστιν· ἔστι γὰρ πίστις ἐξ ἀκοῆς· ἀκούοντες γὰρ τῶν θείων γραφῶν, πιστεύομεν τῇ διδασκαλίᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος. αὕτη δὲ τελειοῦται πᾶσι τοῖς νομοθετηθεῖσιν ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, ἔργῳ πιστεύουσα, εὐσεβοῦσα, καὶ τὰς ἐντολὰς πράττουσα τοῦ ἀνακαινίσαντος ἡμᾶς· ὁ γὰρ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πιστεύων,

ἢ κοινωνῶν διὰ τῶν ἀτόπων ἔργων τῷ διαβόλῳ, ἄπιστός ἐστιν, l. IV. c. X. p. 263. πίστις δὲ ἐστὶν ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις, l. IV. c. XI. p. 263. Conff. tamen et l. IV. c. IX. p. 261., ubi: πίστις νίοθετεῖν οἶδε, καίτοι ὄντας κτίσματα, διὰ τοῦ πνεύματος, καὶ εἰς τὴν ἀρχαίαν ἄγειν μακαριότητα, paucique alii ll., ubi paullo meliora docere videtur.

85) Vid: SUICERI, *Thes. Eccl.* t. II. in v. p. 725 sq.

86) Vid. mea *Libr. Symb. Eccl. Ref. Nederl.* ed. p. 289 sqq.

87) Vid. BAUMGARTEN-CRUSIUS, *Lehrb. der Christl. Dogmengeschichte*, t. I. p. 111.

88) Vid. eius l. de *praescript. haereticorum*, Cap. XIV. Cf. tamen, quae narrat NEANDER in *Antignosticus. Geist des Tertullianus* caett. Berl. 1825. p. 323 sqq. 393 sq.

89) De CYPRIANO vid. J. CLARISSE, in diar. *de Fakkel*, ed. a SPRENGER VAN EYK, a. 6, 7, 9 et HAGENBACH, l. l. p. 259 sqq.

90) „Titubabit," inquit, „fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas: porro fide „titubante, charitas etiam ipsa languescit. Nam si a fide quisque ceciderit, a charitate „etiam necesse est cadat", *Opp.* t. III. p. 39. A. „Quae nec corporeo sensu experti sumus, „nec mente assequi valuimus aut valemus, eis sine ulla dubitatione credenda sunt testibus, a „quibus ea, quae divina vocari iam meruit Scriptura, confecta est: qui ea sive per corpus, sive „per animum, divinitus adiuti, vel videre, vel etiam praevidere potuerunt", t. VI. p. 346. A.

91) „Quid credendum? Quae Symbolo apostolico continentur", t. VI. p. 346 sqq. Vid. et ib. p. 280 et 429. A.

92) *Opp.* t. VI. p. 262. A. B. 93) *Opp.* t. VI. p. 276.

94) „In quibus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur an non — „in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si „est, minimum esse atque levissimum. — Ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum: „quae via fides est Christi, quae per dilectionem operatur", *Opp.* t. VI. p. 537. A. B.

95) *Opp.* t. VI. p. 346. B. 96) *Opp.* t. VIII. p. 1448. B.

97) E pluribus ll. probandi causa hos laudo: „Laus fidei explicari a me nullo modo „potest, sed a fidelibus cogitari potest", *Opp.* t. V. p. 304. B. — „Initium bonae „vitae, cui vita etiam aeterna debetur, recta fides est. Est autem fides credere quod „nondum vides: cuius fidei merces est videre quod credis", ibid. p. 303. D. — „Quid est „credere, nisi consentire verum esse quod dicitur", t. X. p. 351. C. — „Fides est gradus „intelligendi: intellectus autem meritum fidei", t. III. p. 39. A. — Corrige definitionem „tuam, non ut fidem respuas, sed ut ea, quae fidei firmitate iam tenes, etiam rationis luce „conspicias. Absit namque, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus „excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive „quaeramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. — Fides „praecedat rationem, qua eor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem; hoc „utique rationis est. — Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, „ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat", t. II. p. 518 A. et p. 519. C. — „Quod intellectui nostro nondum eluxit, non debet a firmitate fidei dimitti", t. VIII. p. 1321. A. — „Ex aliqua parte verum est, quod ille dicit: intelligam ut credam, et ego qui dico, sicut

„dicit Propheta: imo crede ut intelligas: verum dicimus, concordemus. Ergo intellige ut „credas: crede ut intelligas. Breviter dico, quomodo utrumque sine controversia accipiamus. „Intellige ut credas verbum meum: crede ut intelligas verbum Dei", t. V. p. 308. C. — „Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. — Itaque „priusquam mens nostra purgetur, debemus credere, quod intelligere nondum valemus, quo„niam verissime dictum est per Prophetam: *nisi credideritis, non intelligetis*, t. VI. p. 428 sq. — „*Credere in Christum* non hoc est habere daemonum fidem, quae recte mortua perbibetur; „sed fidem, quae per dilectionem operatur", t. VI. p. 315. B. — „Si Christus" (fundamentum est) „procul dubio fides Christi: per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, „sicut idem Apostolus" (Paulus) „dicit. Porro si fides Christi, illa utique, quam definivit „Apostolus, quae per dilectionem operatur. Non enim fides illa daemonum, cum et ipsi „credant et contremiscant, et Filium Dei confiteantur Iesum, potest accipi in fundamento. „Quare, nisi quia non est fides, quae per dilectionem operatur, sed quae exprimitur per „timorem? Fides itaque Christi, fides gratiae Christianae, id est fides, quae per dilectionem „operatur, posita in fundamento neminem perire permittit", ibid. p. 312. B. C. — Si adsit „fides, quae per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei secundum interiorem „hominem", t. X. p. 330. A. — „Inseparabilis est bona vita a fide, quae per dilectionem „operatur, imo vero ea ipsa est bona vita", t. VI. p. 323. A. — „Haec est fides", (qua Deum patrem invocamus, omniaque bona ab eo petimus) „ex qua iustus vivit; haec est „fides, qua creditur in eum, qui iustificat impium; haec est fides, per quam excluditur glo„riatio; haec est fides, qua impetratur largitas Spiritus, de quo dicitur: *Nos enim spiritu „ex fide spem iustitiae exspectamus*", t. X. p. 353 sq. D. A.

98) Vid. Anselmi lib. *Cur Deus homo?* L. I. c. I. XXV. L. II. c. XXII. Cf. Neander, *der h. Bernhard* caett. p. 165, 235.

99) Cf. Neander, l. modo l. p. 172 sqq. et quam laudat, Abaelardi *Introd. in Theol.* nec non Ullmann, *Reformatoren vor der Reform.* I. 46 sq. et Ioh. Offerhaus *diss. theol., exhibens* Abaelardi *Theologi Methodum*, p. 43 sqq.

100) Vid. eius l. *de veritate Cathol. fidei contra gentiles, s. summa philosophica*, e rec. P. C. Roux l'Avergne, E. d'Yzelguier et E. G. Durand, t. II. c. XL, ubi probare conatur „felicitatem humanam non consistere in cognitione Dei, quae est per fidem." „Fe„licitas enim", inquit, „est perfecta humani intellectus operatio. In cognitione autem fidei „invenitur operatio intellectus imperfectissima." Cff. et t. I. c. IV—VII, et II. all. ab Hofstede de Groot, l. l. p. 111, nec non Ullmann, l. l. p. 47 sq.

101) Vid. Neander, l. modo laud. p. 25, 50, 54 sq. 134 sq. in pr. p. 141 sqq.

102) Vid. *Conf. August.* Art. XX.

103) Ne de Luthero dicam, „Scholastica fides", inquit Melanthon, „nihil nisi mortua „opinio est", in *Locis Theol.* ad fidem ed. primae 1521 ed. ab Augusti, Lips. 1821. p. 93. Idem contendit, ibid. p. 116: „nihil fuisse spiritus in toto isto Scholasticorum genere", imo „nihil docere Sophistas nisi mendacium, vanitatem et hypocrisin", ibid. p. 90, ac quaerit p. 106: „Ubi promissionum scholastica theologia vel verbo meminit?" additque:

„Atque ita factum est, ut gratiam Christi obscuraret; ut ex Christo non pignus misericor-„diae, sed legislatorem et exactorem multo tristiorem faceret, quam Moses etiam visus est." — Ita et CALVINUS, de Scholasticorum sententia agens: „hoccine credere est", ait, „nihil intel-„ligere: modo sensum tuum obedienter Ecclesiae submittas"? in *Instit. rel. Christ*, L. III. c. II. s. 2. „Imaginantur eos credere quicquid cognitu necessarium est ad salutem, qui „nullo timore Dei, nullo pietatis sensu tanguntur", ibid. s. 8. — „Tota terra Scholastici „aberrant, qui in fidei consideratione nudum ac simplicem ex notitia assensum arripiunt, „praeterita cordis fiducia et securitate", ibid. s. 33. — „Quod tradunt Scholastici, caritatem „fide ac spe priorem, merum est deliramentum", ibid. s. 41, (laud. Sentent. l. III. dist. 25. et saepius). Ostenditque „quam perniciosum sit scholasticum illud dogma, nos de gratia Dei „erga nos non aliter statuere posse, quam ex coniectura morali, prout se unusquisque non indi-„gnum ea reputat", ibid. s. 36. Cf. tamen ULLMANN, *Reformatoren vor der Reform.* I. p. 33 sqq.

104) Vid. ULLMANNI lib. modo laud. passim.

105) Vid. I. C. RIEHM, *Comm. theol. de vindicanda Ecclesiae emendatae super fide salutari sententia*, in *Ann. Acad. Gron.* a. 1821.

106) Pag. 91 ed. laud. 107) P. 93, 98. 108) P. 91.

109) P. 125. 110) Pag. 123. 111) P. 105.

112) P. 109. — Alia etiam MELANTHONIS dicta, in oratione non laudata, hic addere iuvat: »Omni verbo Dei", inquit, »minis et promissionibus, historiae divinae vere adsentiun-„tur, qui sic fidunt", p. 93. — »Certa impietas et infidelitas est non omni verbo Dei cre-„dere, aut credere non posse, quod et tibi sit promissa remissio peccatorum", p. 98. — „In universam Scripturam mirifice sparsum est Evangelium, quod est simpliciter condonatio „peccati propter Christum, seu praedicatio gratiae", p. 106. — »Nondum credit omni verbo „Dei, qui minas audit, qui historiam profitetur, sed qui praeter minas, praeter historiam „etiam promissionibus credit. Neque vero historiae de Christo credere id est, quod putant „impii, sed credere, cur carnem induerit, cur crucifixus sit, cur post mortem in vitam redie-„rit: nempe ut iustificaret quotquot crediturі sibi essent. Haec tu si credis tuo bono, tui „servandi gratia gesta esse, foeliciter credis. Praeter eiusmodi fidem fucus, mendacium, fal-„sae insaniae sunt, quia quicquid vocant fidem", p. 106 sq. — „Est credere, nullo ullorum „operum nostrorum respectu, fidere divina misericordia", p. 107. — „Equidem sic sentio, „primum quod ad divinam voluntatem attinet, fidem non aliud esse, nisi certam et constantem „fiduciam benevolentiae divinae erga nos", p. 117. — „Evangelium est promissio gratiae, seu „condonatio peccatorum per Christum", p. 124. — „Evangelium ostendit Christum. — Fides, qua „creditur Evangelio ostendenti Christum, qua Christus accipitur pro eo, qui placarit Patrem, per „quem gratia donetur, est iustitia nostra, Ioh. I: 12", p. 122. — „Promissionem misericordiae „Dei specta, eius fiducia nihil dubita, quin iam non iudicem in coelis, sed patrem habeas, cui tu „sis curae, non aliter, atque parentibus filii inter homines", p. 92. — „Ea fiducia benevolentiae, „seu misericordiae Dei cor primum pacificat, deinde et accendit velut gratiam acturos Deo pro „misericordia, ut legem sponte et hilariter faciamus", p. 91. — Unica fides est, sensus misericor-„diae Dei, quae omnium bonorum operum et fons, et vita, et rectrix est", p. 114.

113) »Eo maiore cura", inquit, »et studio dispicienda est nobis et disquirenda germana »fidei proprietas, quo perniciosior hodie est in hac parte multorum hallucinatio. Siquidem »bona pars orbis, audito eius nomine, nihil altius concipit, quam vulgarem quemdam Evan»gelicae historiae assensum: imo quum in scholis de fide disputant, Deum eius obiectum »simpliciter vocando, evanida speculatione miseras animas rapiunt transversum magis, quam »ad scopum dirigant. Nam quum Deus lucem inaccessam habitat, Christum occurrere medium »necesse est. — In Christo Deus se patefecit. — Invisibilis Pater non alibi quam in hac »imagine quaerendus est. — Per ipsum in Deum credimus (1 Petr. I: 21)" *Instit. rel. Christ.* L. III. c. II. s. 1.

114) l. l. s. 6. 115) Ibid. s. 7. 116) Ibid. s. 32. 117) Ibid. s. 8. 118) Ibid. s. 16.

119) Ibid. s. 41. — Iuvat et hic alia CALVINI dicta addere: »Non minus", inquit, »verbo opus habet fides, quam fructus viva radice arboris: quia non alii — sperare in Deo »possunt, nisi qui noverunt nomen eius. Haec autem cognitio ex cuiuscunque imaginatione »non est; sed quatenus Deus ipse suae bonitatis testis est", ibid. s. 31. — »Neque unum id »in fidei intelligentia agitur, ut Deum esse noverimus, sed etiam, imo hoc praecipue, ut »qua sit erga nos voluntate intelligamus. Neque enim scire, quis in se sit, tantum nostra »refert, sed qualis esse nobis velit", ibid. s. 6. — »Non negamus, quin fidei officium sit »veritati Dei subscribere, quoties et quicquid et quocunque modo loquitur: sed quaerimus »modo, quid in verbo Domini reperiat fides, quo nitatur et recumbat. — Nondum plena »habetur a nobis fidei definitio, quando voluntatem Dei qualemcunque nosse pro fide cen»sendum non est. Quid si in locum voluntatis — benevolentiam, seu misericordiam sub»iiciamus? Ita certe ad fidei ingenium propius accesserimus", ibid. s. 7. — »Fidei funda»mentum facimus gratuitam promissionem, quod in ipsa proprie fides consistat. — Non »negamus, quin Dei verbum omni ex parte amplectantur et suscipiant fideles: sed miseri»cordiae promissionem fidei in proprium scopum destinamus", ibid. s. 29. — »Fateor, »generale fidei obiectum esse Dei veritatem, s. minetur, s. spem faciat gratiae. — Tantum »indicare haec duo volumus, numquam scilicet ipsam consistere, donec ad gratuitam pro»missionem pervenerit: deinde non aliter nos per ipsam conciliari Deo, nisi quia nos Christo »copulat. Utrumque notatu dignum. Fidem quaerimus, quae Dei filios a reprobis discernat, »et fideles ab incredulis", ibid. s. 30. — »Haec vera est Christi cognitio, si eum, qualis »offertur a Patre, suscipimus, nempe Evangelio suo vestitum: quia sicuti in scopum fidei nos»trae ipse destinatus est, ita non nisi praeeunte Evangelio recta ad eum tendemus", ibid. s. 6. — »Non in ignoratione, sed in cognitione sita est fides. — Explicitam requirit Apostolus »(Rom. X: 10) divinae bonitatis agnitionem, in qua consistit nostra iustitia", ibid. s. 2. — »Vocare fidem implicitam licet, quae tamen proprie nihil aliud est, quam fidei praeparatio", ibid. s. 5. »Imo fidem, quamdiu in mundo peregrinamur, implicitam esse" concedit CALVINUS; addit autem: »perfectissimi cuiusque summa sapientia est proficere placidaque docilitate »longius eniti", ibid. s. 5. — In refutanda quae in scholis volitabat nugatoria fidei formatae et informis distinctione, ad Rom. X: 10 provocans, haec monet: »Si una haec nobis sup»peteret ratio, valere deberet ad litem finiendam: assensionem scilicet ipsam — cordis esse

„magis quam cerebri, et affectus magis, quam intelligentiae. — Sed alterum multo clarius „argumentum se etiamnum offert. Quum enim fides Christum amplectatur, ut nobis offertur „a Patre: ille vero non in iustitiam modo, peccatorum remissionem et pacem offeratur, sed „in sanctificationem quoque et fontem aquae vivae, eum haud dubie rite cognoscere num- „quam potest, quin sanctificationem Spiritus simul apprehendat. Aut si quis apertius id „dictum cupiat: Fides in Christi notitia sita est" caett. (vid. l. in or. iam laud.), ibid. s. 8. — „Credunt certe plurimi Deum esse, Evangelicam historiam, ac reliquas Scripturae „partes veras esse arbitrantur: quale fere iudicium esse solet de iis, quae vel olim gesta „narrantur, vel ipsi praesentes spectavimus. Sunt etiam, qui ultra procedant: nam et Dei „sermonem pro certissimo habent oraculo, nec eius praecepta prorsus negligunt, et minis et „promissionibus utcunque commoventur. Talibus quidem fidei testimonium tribuitur, sed per „κατάχρησιν", ibid. s. 9. — „Verum haec fidei s. umbra, s. imago, ut nullius est mo- „menti, ita indigna est fidei appellatione. — Qualiscunque illa est assensio, ad cor ipsum „usque minime penetrat, ut illic defixa resideat, et quamquam radices egisse interdum vide- „tur, vivae tamen illae non sunt", ibid. s. 10. — Hic praecipuus fidei cardo vertitur, ne „quas Dominus offert misericordiae promissiones, extra nos tantum veras esse arbitremur, in „nobis minime: sed ut potius eas intus complectendo nostras faciamus", ibid. s. 16. — „Nec satis fuerit, mentem esse Dei Spiritu illuminatam, nisi et eius virtute cor offirmetur „ac fulciatur", ibid. s. 33. — „Neque enim si in summo cerebro volutatur Dei verbum, „fide perceptum est: sed ubi in imo corde radices egit, ut ad sustinendas repellendasque „omnes tentationum machinas invictum sit propugnaculum", ibid. s. 36. — Porro egregie probat Calvinus, fidem spem ex se gignere, ibid. s. 42 sq. — Denique poenitentiam bonaque opera non modo fidem continuo subsequi, sed ex ea nasci praeclare exponit, dicens: „Quum enim venia et remissio per Evangelii praedicationem ideo offeratur, ut a tyrannide „Satanae, peccati iugo et misera servitute vitiorum liberatus peccator in regnum Dei transeat: „certe Evangelii gratiam nemo amplecti potest, quin ex erroribus vitae prioris in rectam viam „se recipiat, totumque suum studium applicet ad poenitentiae meditationem", ibid. c. III. s. 1.

120) Egregie Schenkel in *Theol. Stud. u. Krit.* 1855 I. 55: „Der Glaube", inquit, „im evangelischen Sinnen des Wortes konnte seine Bedeutung erst dann wieder erlangen, „nachdem Christus wieder als das alleinige Heil erkannt war. Wo die Erkenntniss Christi „fehlt, da trifft die Gewissenserregung auf ein *falsches Object*"

121) Unam laudare iuvat *Confessionem Augustanam* et *Conf. Belgicam.* Illa: „admonen- „tur", inquit, „homines, quod hic nomen fidei non significet tantum historiae notitiam, „qualis est in impiis et diabolo, sed significet fidem, quae credit non tantum historiam, sed „etiam effectum historiae, videlicet hunc articulum: remissionem peccatorum, quod videlicet „per Christum habeamus gratiam, iustitiam et remissionem peccatorum. Iam qui scit, se per „Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit se ei curae esse, invocat eum; „denique non est sine Deo sicut gentes." Porro provocat ad Augustinum, qui „de fidei „nomine hoc modo admonet lectorem, et docet, in Scripturis nomen fidei accipi non pro „notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quae consolatur et erigit perterrefactas men-

tes. — Fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur „Spiritus s. iam corda renovantur et induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. — „Sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi praeccpti opera facere. Sine „fide non invocat Deum, a Deo nihil exspectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana „praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, et humana „consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum", art. XX. Conf. et *Apol. Conf.* ad quaest.: „*quid sit fides justificans?*" et *Artt. Smalc.* P. II. *de justificatione e fide*, quem locum gravissimum non possum non addere: „De hoc articulo cedere, aut aliquid contra illum „largiri, aut permittere nemo piorum potest, etiamsi coelum et terra ac omnia corruant. „Non enim est aliud nomen hominibus datum, per quod salvari possimus, inquit Petrus Act. „IV. Et per vulnera eius sanati sumus Esa. LIII. Et in hoc articulo sita sunt et consistunt „omnia, quae contra Papam, diabolum et universum mundum in vita nostra docemus, testamur „et agimus. Quare oportet nos de hac doctrina esse certos, et minime dubitare, alioquin actum „est prorsus, et Papa et diabolus et omnia adversa ius et victoriam contra nos obtinent."

Confessio Belgica, licet primum fidei obiectum generaliori sensu accipiat de Dei voluntate, in s. S. nobis patefacta, art. VIII, aeque ac Calvinus, quod Confessio etiam Augustana ponit, tamen praecipuum eius obiectum in peccatorum remissione cerni statuit, deque fidei indole idem monet. Nam: „credimus", inquit, „Spiritum s. veram in cordibus nostris fidem „accendere, quae Iesum Christum cum omnibus suis meritis amplectitur, eumque suum ac „sibi proprium efficit, nihilque amplius extra eum quaerit. — Instrumentum" est, „quo „Christum iustitiam nostram apprehendimus, — quo nos cum illo in communi omnium „bonorum eius retinemur", art. XXII. — „Credimus hanc veram fidem per auditum verbi „Dei et Spiritus s. operationem, homini insitam, eum regenerare, novumque hominem „efficere, adeoque ad novam vitam vivendam excitare, et a peccatorum servitute liberum „reddere", art. XXIV. Conf. et *Cat. Heidelb.* quaestt. 21, 60, 61, 64.

122) Nam ut libros ss., ita et *traditiones* „pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et „veneratur." Vid. *Conc. Trid. Cann. et Decr.* Sess. IV. § 12. ed. Danzii, condemnatque aeque qui has, atque eum, qui illos „sciens et prudens contempserit." ibid. § 13. Cf. et *Cat. Rom.* L. I. P. II. c. VII. § 102. Vid. tamen et Sess. VI. cap. VI. § 46. Imo vero doctrina Ecclesiae, „quae" scilicet „errare non potest in fide ac morum doctrina tradenda, „cum a Spiritu s. gubernetur," illi fidei obiectum est. Vid. *Cat. Rom.* L. I. P. III. c. II. § 159. Cf. et ibid. P. I. c. I. § 16.

123) Fidem enim unice ad intellectum refert, ita ut sola mentis persuasione absolvatur. Vid. *Conc. Trident. Cann. et Decr.* Sess. VI. Can. XXVIII. § 89: „Si quis dixerit, amissa „per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram „fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; „anathema sit." Ibid. Cap. VII. § 48: „Fidem ante Baptismi sacramentum ex Apostolorum „traditione Catechumeni *ab Ecclesia* petunt." *Cat. Rom.* L. I. P. I. C. I. § 10: „Cognitio" (finis, qui ad beatitudinem homini propositus est) „nihil aliud est, nisi fidei, cuius virtus „efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum esse sanctissimae matris Ecclesiae

„autoritas comprobarit." Unde *doctrina fidei* subinde fidei nomine appellatur, atque *inanis* scilicet *haereticorum fiducia* impugnatur, *Conc. Trid.* Sess. VI. Cap. IX. § 50. Cf. et ibid. Can. IX. § 70. Can. XII. § 73. Can. XIII. § 74. Vid. et Riehm, l. l. p. 9 sqq.

124) Vid. Planck, *Gesch. der Entsteh., der Veränderr. und der Bildung unsers protest. Lehrbegriffs* caett. t. II. p. 205 sqq. t. III. p. I. p. 350 sqq. p. II. p. 279. t. IV. p. 33.

125) Vidd. variorum Theoll. sententiae laudd. a Riehm, l. l. p. 39 sqq. quibus addatur praeter alios de Moor in Marckii *Med.* p. IV. p. 304 sqq.

126) Vid. eius *Institutt. Theol. Christ. dogmat.* ed. 7. Hal. 1833. Prolegg. C. III. § 23. p. 105, ubi: „Minime", inquit, „salus aeterna pendet e persuasione quadam *theoretica*, sed e fide, quam Deo habemus, *practica*, quae vera est virtus Deo probata." Et P. III. C. III. § 159, p. 552: „Haec fides tamquam constans animi ad Deum eiusque „voluntatem strenue sequendam conversi habitus simul verus et unicus virtutis et salutis „adiunctae fons in N. T. indicatur."

127) Vid. eius *Handb. der Dogmat.* caett. ed. 4. Lips. 1838, t. II. p. 504, ubi: „πίστις", inquit, „nicht der Glaube an die versöhnende Kraft des Todes Iesu, sondern Glaube an ihn, und Vertrauen auf ihn, als den von Gott gesendeten Messias oder Erlöser"; p. 512: „*Der Glaube*, oder die Ueberzeugung, dass die Christliche Religion wahr und göttlich, „und Christus der verordnete Beglücker des menschlichen Geschlechts sei", caett. et p. 187: „Der generelle Begriff von πίστις und πιστεύειν ist: Iesum mit vollem Vertrauen und mit „gänzlicher Hingabe des Gemüths für den Christus, den von Gott geordneten Heiland hal„ten, und daher sich mit Vertrauen und Gehorsam an ihn und seine Gemeinde anschliessen", caett

128) Vid. *Der Christ. Glaube*, caett. ed. 2. t. II. § 108. p. 183.

129) Vidd., ut unum alterumque recentiorum Theologorum, qui diversis studiis ducuntur, hic laudem, Ebrard, *Christl. Dogmatik*, t. II. p. 486: „Es ist die Gesinnung, welche in „bussfertigen Erkennen und Bekennen der eignen Schuld und Todeswürdigkeit die durch „Christum vollbrachte Sühne ergreift (Rom. III: 24, 25, 28, vgl. Joh. VI: 29, 51) ihre „Hoffnung vor Gott allein und ausschliesslich auf diese Entsühnung gründet. Hiermit wird „der Glauben aber — weitenfernt, ein blosses Fürwahrhalten eines Lehrsatzes zu sein — „ein persönliches Verhältniss zu Christi Person" (Joh. VI: 29) caett. et p. 490: Sobald „wir die *fides* (gleich den Leuten bei Jak. II: 14) definiren würden als die Orthodoxia, so „müssten wir auch mit Jak. sagen: *fides non iustificat.* Definiren wir aber die *fides* im „Sinne von Jak. II: 5. Rom. III ff. Gal. III f. (Hebr. X f.), als die That des Bauens „auf Christum, als die *pars positiva conversionis ad Christum*, so dürfen wir auch ohne „Gotteslästerung den Satz nicht fallen lassen: *Fides sola iustificat.*" — Da Costa, *Voorll. „over het O. T.* II. 1. p. 143 sq.: „Een geloof met zwakheid, met ongeloof, met opstand „des vleesches gemengd, maar levend, maar oprecht, maar zich die oprechtheid ook onder „den zwaarsten aanval bewust, als dat van Job, is duizendmaal beter, dan eene kennis van „God, effen, wijs, verstandig, streng zedelijk, Gods verborgen wegen rechtvaardigend, — „maar bespiegelend, maar zonder liefde, maar juist door overmaat van ijver voor Gods „eere, koud." — Egeling, *Weg der Zaligheid*, caett. ed. 1. t. II. p. 228: „Het geloof

„verkeert in 't algemeen omtrent alles, wat God ons ter onzer zaligheid in zijn woord „openbaart; maar meer bijzonder omtrent datgene, wat in nadruk Evangelie mag genoemd „worden, en de blijde boodschap van Gods genade over ons door J. C. in zich bevat. Wij „gelooven in Hem en zijn Evangelie, als wij bij ons zelven aangaande de waarheid van „dit alles regt overtuigd zijn, en daaraan gaarne onze toestemming geven"; p. 231: „Het „regte geloof is werkzaam niet alleen omtrent het Evangelie en de genadegaven Gods, „daarin aan ons beloofd, maar vooral ook omtrent den Heere J. C. zelven"; p. 232: „Het „is *volstandig*. Het moet eene hebbelijkheid in ons worden, die wij niet kunnen of willen „afleggen, Joh. XV: 4—7. 1 Joh. II: 28", et p. 233 sq. „Het is *levendig* en *krachtig*. — „PAREAU et HOFSTEDE DE GROOT, *Comp. Dogmat. et Apolog. Christ.* ed. 3. § 67. p. 157: „Est *fides* illa animi conditio, qua homo praevenienti Dei amori se confidit, sive obsequi- „tur; qui amor se eum in omnibus rebus, tum maxime in Iesu Christo patefecit, atque „demonstrat. Itaque fides est primum quidem praestita Iesu Christo; neque tamen in hoc „subsistens, sed et altius se erigens, fides praestita Deo", et in *Obs.*: „Haec est fidei notio „in N. F., conf. imprimis Gal. II: 20, eaque hominis naturae et cum patre Deo coniunc- „tioni respondens, sed in Ecclesia deinde haec notio multum fuit perversa." — Et SCHOLTEN, *Leer der Herv. Kerk*, caett. ed. 1. t. II. p. 16 sq.: „Het geloof is — de werkzaamheid „des menschen, die, getrokken door de kracht der waarheid, die zich in Jezus' woorden en „handelingen openbaart, (Joh. VI: 44, 68. Matth. XVI: 17), Hem erkent als den *Christus*, „den Zaligmaker der wereld, (Joh. IV: 42. VI: 69. XI: 27. VIII: 24. XIV: 11. XVII: 8) „en op grond daarvan aan Hem zich toevertrouwt, (Joh. XI: 27. VIII: 24. XIV: 11. XVII: 8), „om door de innigste vereeniging met Hem, zijne goddelijke levenskracht en zijnen geest „zich zelfstandig eigen te maken, gelijk de rank, die met den wijnstok verbonden is, bloeit „en vrucht draagt", (Joh. XV: 1 vv.), et p. 148: „Ware het *geloof* in Protestantschen „zin, even als bij de Socinianen en Roomschgezinden, niet anders dan *autoriteitsgeloof*, een „bloot *verstandelijk voor waar houden*, hetzij op het *gezag* der kerk, hetzij op dat des „bijbels, dan ware de stelling, dat *alleen* het geloof regtvaardigt, der goddelijke heiligheid „onwaardig. Nu echter volgens het Protestantisme het geloof de *kiem*, de *wortel*, de *potentia* „is van 's menschen geheele godsdienstige leven, en zich uit zijnen aard niet anders, dan „in de werken der liefde openbaren kan (Heid. Kat. vr. 64), nu wordt het eene miskenning „van het ware begrip des *geloofs* aan hetzelve nog iets ter onzer regtvaardiging bij God „te willen toevoegen." — Nee possum, quin his addam praeclarum LUCKII effatum in „SCHNEIDERI *Deutsche Zeitschr.* caett. 1854. N°. 22. p. 187 sq.: „Man mag noch soviel „spotten über die sogenannte Pektoral-theologie, und allerdings macht das Herz allein noch „nicht den waren Theologen, aber der Kopf allein thut es auch nicht, am wenigsten der „bloss formelle Verstand und die allgemeine Menschenvernuft, sondern Kopf und Herz „zusammen, und der ganze geistige Mensch zusammen gefasst in dem Christlichen Bewusst- „sein und durch dieses historisch bestimmt. Wo diese harmonische Ganzheit und Bestimmt- heit des christlichen Lebens fehlt, da geht entweder das blosse Herz, oder der blosse Kopf „mit der Theologie durch, und es entstehen die Desorganisationskrankheiten, die nervösen

„Fieberzustände des Pietismus, des Mysticismus, der Orthodoxie und des Rationalismus, „welche einander hervorrufen, und wie im Wetteifer die Kirche stören und verderben."

130) Vid. mea *librorum Symb. Eccl. reform. Nederl.* ed. p. 402.

131) Vid. Ioh. VII: 16, 17. VIII: 12 coll. XII: 46, 47. XVIII: 37.

132) Vid. Matth. IV: 17, 23. V: 2. XI: 1. XIII: 3. Ioh. VI: 59. VIII: 1. 1 Ioh. I: 5 al.

133) Cf. omnino Ullmann, *Reformatoren vor der Reform.* I. *Vorr.* s. XVII sqq.

134) Cf. Ullmann, l. l. s. VI ubi: „Hätte dieses Drama", inquit, Reformationem intelligens, „nicht eine christlich-ächte, aus guter Quelle geschöpfte, und mit tiefer erfahrungs-„mässiger Ueberzeugung festgehaltene Lehre, einen neuen gereinigten Glauben zu seiner eigent-„lichen Grundlage gehabt, so wäre es ohne wahre innere Bedeutung, ohne sicheren Halt „gewesen und erfolglos vorübergegangen".

135) Praeclare Calvinus in Comm. ad Ioh. VII: 13: „ut in statu Ecclesiae", inquit, „bene ordinato locum non habet effrenis licentia, sic, ubi metu compressa tenetur omnis „libertas, ut vocem nemo mittere audeat, miserrima est conditio".

136) Sic Lucke in Schneideri *Deutsche Zeitschr.* caett. 1854. N°. 22. p. 179: »Die „evangelische Kirche und Theologie", inquit, „gedeihet allezeit nur, wenn sie auf dem alten „wahren Spruche steht: Theologus (theologia) in scripturis nascitur." — Iul. Muller, ibid. N°. 23. p. 214: „Die Stütze der evangelischen Kirche ist und bleibt das Wort Gottes, „welches alle Ueberlieferungen der Kirche ohne Unterlass richtet und reinigt. Und eben „darum bedarf die evangelische Kirche in ihrem eignen Innern eines Gebietes, in welchem „diese nie versiegende schöpferischkritische Macht der göttlichen Offenbarung frei und unge-„hindert wirken kann, dass die Quellen immer offen bleiben, aus denen die evangelische „Kirche den Ursprung ihres Lebens geschöpft hat. Diess ist das Gebiet der wissenschaft-„liche Theologie." idemque in eodem diar. 1851. N°. 27 sq. — Schenkel in *Allg. Kirchen-Zeit.* 1854. N°. 104. p. 850 sqq.: „Ein Christenthum ohne Christus ist gerade so viel „werth, als ein Tag ohne Sonnenlicht." — Lebendiger Glaube an Chr. J., eine Erneuerung „unserer Theologie und unseres Kirchlichen Lebens aus dem Worte Gottes, der heilige „Schrift heraus, — durch den heiligen Geist, — das wäre es, was uns helfen könnte. — „Aus der ewigen Substanz des geoffenbarten Gotteswortes, aus der heilige Schrift und ihrer „freien Aneignung in lebendigen Glauben an den Sohn Gottes kommt uns allein Licht, „Kraft, Heil und seliges Leben. *Suchet in der Schrift*, ruft uns unser Herr und „Meister zu, sie ist's, die von mir zeuget, (Joh. VI:" leg. V, „39). Das ist der einzige „Weg, um hinanzukommen zu *einerlei* Glauben und Erkenntniss des Sohnes Gottes, und „ein volkommener Mann zu werden, caett. (Eph. IV: 13). Wenn wir diesen Weg gehen, „dann werden wir auch der Aufforderung des Apostels Folge leisten: Lasset uns rechtschaffen „sein in der Liebe, und wachsen in allen Stücken an dem, der das Haupt ist, Christus." — Hagenbach in *Theol. Stud. u. Krit.* 1854. I. p. 7 sqq.: „die Reformation war Rückkehr „von — dem Autoritätsglauben im schlechten zum Autoritätsglauben im guten Sinne", idemque alibi: „Die protestantischen Kirche würde sich selbst aufgeben, wenn sie die Schrift „aufgäbe." — Hundeshagen, in *Allg. Kirchenzeit.* 1852. N°. 139 sqq.: „das Schriftprin-

„cip ist nichts anders, als der Protestantismus selbst." — „Haben die Reformatoren in der „Hauptsache die Schrift nicht richtig ausgelegt, so ist mit dieser Ueberzeugung dem Pro„testantismus sein religiöses Fundament abgesprochen, und haben andererseits wir kein Ver„trauen mehr zu der freien Schriftforschung, so ist auch mit dem Aufhören dieses Ver„trauens dem Protestantismus sein religiöses Fundament entzogen." eaett. — PALMER, ibid. 1854. N°. 155: „Wer unter allen Theologen seit der Reformation hat die Grundprincipien „der evangelische Kirche, das Princip des allein normativen Ansehens der heil. Schrift und „das Princip der Rechtfertigung durch den Glauben, aus welcher in ihrer ehrlichen und „wahren Fassung die gesammte evangelischen Kirchenlehre in allen wesentlichen Punkten mit „logischer Nothwendigkeit folgt, dauernd zu erschüttern oder gar zu stürzen vermocht " — Conf. et ULLMANN et UMBREIT, in *Theol. Stud. u. Krit.* 1855. I. p. 11 sqq.

137) Vid. *Conf. Belg.* art. VII. *Cat. Heidelb.* quaest. 21.

138) Vid. Ioh. III: 16. Cf. ULLMANN, l. l. p. 13 sq.

139) Vid. Rom. III: 23—28 al. 140) Vid. Epigr. LIX. Opuscc. t.I I. p. 509.

141) Vid. eius Hom. 3 in 2 ep. ad Thess. c. III. p. m. 381.

142) Vid. *Corp. Reform.* ed. a BRETSCHNEIDERO, Vol. II. p. 629 sq.

143) Vid. *Loc. Theol.* ed. 1. a. 1521. p. 8, ed. l. Conf. et CALVINUS, qui *Instit. rel. Christ.* L. I. c. XIII. § 21, in exponendo loco, qui est de Patre, Filio et Spiritu s.: „equidem," inquit, „hic, si quando alias in reconditis Scripturae mysteriis, sobrie multaque eum moderatione phi„losophandum: adhibita etiam multa cautione, ne aut cogitatio, aut lingua ultra procedat, „quam verbi Dei fines se protendunt. Quomodo enim immensam Dei essentiam ad suum mo„dulum mens humana definiat, quae nondum statuere certo potuit, quale sit solis corpus, quod „tamen oculis quotidie conspicitur? Imo vero quomodo proprio ductu ad Dei usque substantiam „excutiendam penetret, quae suam ipsius minime assequitur? Quare Deo libenter permittamus „sui cognitionem. Ipse enim demum unus, ut inquit HILARIUS, idoneus sibi testis est, qui „nisi per se cognitus non est. Permittemus autem, si et talem concipiemus ipsum, qualem „se nobis patefacit, nec de ipso aliunde seiscitabimur, quam ex eius verbo," eaett.

144) Sie e. e. NEANDER, *der h. Bernhard*, eaett. p. 235 de ANSELMI sententia de satisfactione dicit: „die bei allen ihren Mängeln doch aus der Tiefe des christlichen Bewusstseins „und Christlicher Anschauung geschöpft ist"; et SCHENKEL, ne plura afferam, in *Cens.* l. DE WETTE, *das Wesen des Christl. Glaubens*, in *Theol. Stud. u. Krit.* 1847. II. p. 468 sqq. ad quaestionis: „Ist die stellvertretende Genugthuung Christi bloss als ein subjectiver Vorgang „im *Menschen*, oder als eine objective Thatsache in *Gott selbst* aufzufassen?" partem posteriorem affirmando respondet, monetque: „Der eigentliche Zweck der Sühne war gewiss Aus„gleichung und Wiederherstellung der durch die Sünde verletzten Harmonie des Guten. In „dieser Beziehung hat die Anselmische Genugthuungslehre ihre unwiderlegliche Wahrheit. „Anselm hat nur darin geirrt, dass er die Genugthuung in das Gebiet eines gewöhnlichen „Rechtshandels herabzieht und so einen künstlichen, aus der Processualistik hergenommenen „Rechtsfall aus ihr gemacht hat. Dass aber die beleidigte Gottheit wieder ausgesöhnt werden „müsse, das halten wir für die Grundlage aller Religion. — Immerhin geben wir dem Verf.

„gerne darin Recht, dass es falsch sey, die Versöhnung *nur* als einen Vorgang in *Gott* be„greifen zu wollen, wie es falsch ist, anzunehmen, dass sie nur *in und mit dem Menschen* „vorgehe. Vielmehr muss die Versöhnung *sowohl in Gott als auch in Menschen* vorgehen; „die Sünde muss sowohl von Seiten Gottes *vergeben*, als im Menschen durch den Glauben „*getilgt* werden; und das kann, wie die Kirchliche Lehre *allein consequent* auseinandersetzt, nur „durch einen *Gottmenschen* geschehen. — *Die Versöhnung ist ein Geheimniss*, in dem für den „menschlichen Verstand die Göttliche Liebe mit der göttlichen Gerechtigkeit zu streiten scheint. „Dieses Geheimniss suchte Anselmus mit seiner Theorie gleichsam zu zergliedern, in seine „Theile aufzulösen; und es ist ihm nicht gelungen. Warum sollten wir das Geheimniss nicht „mit dem *Glauben* anerkennen, da es doch unserem innersten Bedürfniss entspricht", caett.

145) Vid. 1 Cor. XIII: 12.

146) Vid. Ioh. VIII: 39, 56. Matth. XXII: 31, 32. Rom. IV: 1—5, 9—24. Gal. III: 6—9, 14—18, 29. Hebr. XI: 8—19. Iac. II: 21—23.

147) Valet hoc de Christi discipulis, ipso hac in terra degente; de tribus hominum millibus, Pentecostes die, ad eius castra conversis, Act. II: 40 sqq., de aulico Aethiopico, Act. VIII: 26 sqq., de Cornelio, Act. X, de aliis.

148) Egregie Columban sec. Neander, *Denkwürdigkk.* caett. II. p. 163, monebat: „dass „wenn nur erst Alle als Kinder Gottes durch die Gemeinschaft der Liebe und die Einheit des „evangel. Sinnes mit einander verbunden wären, aller streit sich leicht werde beilegen lassen."

149) Praeclare Augustinus, in Ps. XXXII. *Enarr.* III. § 29. Opp. t. IV. p. 296 A. „Tunc esse desinent," inquit, „fratres nostri, si desierint dicere: *Pater noster.*"

150) Vid. Philipp. III: 15. 151) Vid. Act. XVI: 30.

152) Vid. N. C. Kist, *Oratio de religionis Christianae indole practica, uti antea semper, sic omnino hodie multum neglecta*, habita d. 9 m. Febr. a. 1852. L. B. 1853.

153) Eph. IV: 15. 154) Ioh. XVII: 20, 21.

155) Iuvat hic addere hoc Werenfelsii *Epigr.* Opp. t. II. p. 502. *Epigr.* XXVII:

O utinam terris pietas antiqua rediret,
Simplexque et nondum litigiosa fides!
Relligioque foret non bella irasque fovere,
Quae Christi lacerant, heu sine fine! gregem.

— — —

Sed cordis probitas divini maxima cultus
Pars foret, et recti non simulatus amor:
Et Christum puro et sincero corde vereri,
Seque adeo tota traderc mente Deo.

156) Vid. G. I. Mulder, *Redevoeringen, den* 27^en^ *en* 28^en^ *Maart* 1854, *bij gelegenheid der overdragt van het Rectoraat aan de Hoogeschool te Utrecht, uitgesproken*, p. 50.

157) Vid. mea *Or. de germano Philosopho, optimo Theologo*, hab. a. d. 8 Dec. a. 1836, p. 33.

158) Vid. G. I. Mulder, l. l. p. 62. 159) Vid. eius l. *de Senectute*, c. XIX.

160) Vid. Or. pro Archia *poeta*, c. I. 161) Vid. G. I. Mulder, l. l. p. 55.

ACTA IN SENATU

A°. 1854—1855,

RECTORE HENRICO EGBERTO VINKE,
GRAPHIARIO LUDOVICO CHRISTIANO VAN GOUDOEVER.

Die 28 m. Martii. Rector Magnificus GERARDUS IOHANNES MULDER a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, habita oratione *de rebus, quae Academiae, ipso Rectore, evenerunt prosperis et adversis*, datum sibi successorem proclamat et salutat Virum Clar. H. E. VINKE.

Die 22 m. Iunii. Vir Doctissimus BERNARDUS TER HAAR, Theol. Dr. et Euangelii apud Amstelodamenses Interpres, Decreto Regio d. 2 m. Martii Theologiae in hac Academia Professor Ordinarius creatus, munus auspicatus est, habita oratione *de historiae ecclesiasticae et theologiae moralis studio, his maxime diebus arcte coniungendo.*

Die 19 m. Iulii. Leguntur Literae Curatorum diei 8 m. Iulii, quibus cum Senatu communicatur Viro Clar. G. I. MULDER Decreto Regio scholarum habendarum vacationem dari, et Curatores pro potestate ipsis eodem decreto concessa adiutores Clar. MULDERI designasse I. G. GUNNING, Chemiae Lectorem, C. L. VLAANDEREN et A. C. OUDEMANS.

Die 14 m. Februarii. Rector ad Senatum defert, e Litteris a Curatoribus datis apparere, Virum Clar. I. C. Swyghuisen Groenewoud propter aetatem septuagenariam Decreto Regio a die 1 m. Ianuarii a. 1855 rude donatum esse.

Senatui placet honoris causa summos in Medicina honores conferre in Virum Doctissimum Petrum Bleeker, ex oppido Zaandam, Matheseos Magistrum Philosophiae Naturalis honoris causa Doctorem et Medicum militarem in Insula Iava primarium.

Designantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo Rector in proximum annum eligatur:

Ex Ordine	Iuridico	I. van Hall.
"	Phil. Theor. et Lit. Hum.	A. van Goudoever.
"	Medicorum	L. C. van Goudoever.
"	Math. et Phil. Nat.	P. Harting.

Designantur etiam quatuor viri, e quibus Senatus Academici Graphiarius eligatur.

Ex Ordine	Theologico	H. E. Vinke.
"	Iuridico	A. C. Holtius, loco Clar. van Hall.
"	Phil. Theor. et Lit. Hum.	A. van Goudoever.
"	Math. et Phil. Nat.	C. H. D. Buys Ballot.

Assessores constituuntur:

Ex Ordine	Phil. Theor. et Lit. Hum.	L. G. Visscher.
"	Medicorum	L. C. van Goudoever.
"	Math. et Phil. Nat.	Th. G. van Lidth de Jeude.
"	Theologico	B. ter Haar.

ORATIO

DE

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET THEOLOGIAE MORALIS STUDIO, HIS MAXIME DIEBUS, ARCTE CONIUNGENDO,

QUAM HABUIT

BERNARDUS TER HAAR,

THEOL. DOCT.,

A. D. XXIII M. IUNII A. MDCCCLIV,

QUUM ORDINARIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES! VIRI AMPLISSIMI! QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!

QUI IN PROVINCIA ET URBE RHENO-TRAIECTINA AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI SPECTATISSIMI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DOCTRINARUM PROFESSORES! VIRI CLARISSIMI! — LECTORES, DOCTORES, MAGISTRI! VIRI DOCTISSIMI, ERUDITISSIMI!

LITTERARUM SACRARUM INTERPRETES! IN QUORUM NUMERO NONNULLI QUONDAM ACADEMIAE SODALES VEL COLLEGAE MIHI FUISTIS CONIUNCTISSIMI! VIRI PLURIMUM VENERANDI!

QUI HAC IN ACADEMIA BONIS ARTIBUS OPERAM NAVATIS, IUVENES PRAESTANTISSIMI! COMMILITONES SUAVISSIMI!

VOS DENIQUE OMNES, QUOTQUOT ADESTIS, CIVES ATQUE HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Si quis vestrum, Auditores Humanissimi! iam ante suspicatus est, me, quum hanc cathedram adscenderem, gravissimae veluti molis onere pressum, valde commotum ac perturbatum fore, hunc vera auguratum esse et mentem animumque meum, hac ipsa hora, bene perspicere, lubenter concedo ac profiteor. Nec sane video, cur hanc animi commotionem et perturbationem celare vel dissimulare frustra studeam, quam mei inviti vultus et vox agitata cuiquam, oculos atque aures in me convertenti, satis superque proderent. Si enim vel loci vel muneris, quod capessendum est, dignitas Oratori aliquid timoris iniicere potest, Rheno-Traiecti, in amplissima bonarum artium sede, doctissimorum virorum iuvenumque lectissimorum corona stipatus — magna insuper hominum cuiusvis ordinis et loci adstante

caterva — dicturus sum. Ex honorificentissimo Regis decreto Professorum numero adscriptus atque in hanc sedem evocatus, cum Historiae Ecclesiasticae tum Theologiae Moralis provinciam demandatam mihi video; quarum disciplinarum studia quo pluris faciam, eo magis me perturbet necesse est insignis, quae ad hoc requiritur, doctrinae atque eruditionis copia. Sunt alia quoque, quae in auspicando hoc munere metum augeant. PHILIPPUM MELANCHTHONEM, summum Theologum, eundemque in omnibus humanioribus litteris atque artibus nemini secundum, quum tener adhuc iuvenis in Professorum ordinem reciperetur, statim Orationis Inauguralis suae praestantia Latinique sermonis elegantia auditorum omnium aures atque animos adeo demulsisse sibique devinxisse legimus, ut hi tenerae eius aetatis prorsus obliti, laetissimam de ipso spem atque exspectationem (non vanam profecto illam!) animo conciperent. At quonam animo (haud arroganter hoc a me dictum existimari velim — magna componere parvis liceat!) at quo tandem me animo esse censetis, quum haec recordor, quumque ad meam aetatem iam provectiorem et sermonis mei egestatem mens mea vel cogitatio redit. Etsi enim, quum ipse adhuc iuvenis studiis operam navarem, Latine scribendi et loquendi haud prorsus ignarus vel insuetus fuerim — scilicet hoc turpe ac dedecori censendum fuisset discipulo e Lennepii scholis profecto — nunc tamen, cum, post Academicum stadium decursum, viginti, et quod excurrit, anni praeterlapsi sint, hunc Latini sermonis usum mihi prorsus in desuetudinem abiisse — quisque — vel me tacente — satis intelliget, et mihi ingenue illud confitenti facile condonabit. Accedunt eximia plane erga disciplinas illas, quas docendas ac tractandas suscepi, ROYAARDSII merita. Quae quanta et qualia fuerint ipsa mortem eius lugens agnovit Academia Traiectina. Quod et vos prae aliis compertum et perspectum habetis, Viri Clarissimi! qui desideratissimum virum tam diu fraterno amplexi estis amore! et vos, egregii Iuvenes! qui ROYAARDSII discipulis vos quoque annumerandos esse recte gloriamini, et dilectissimi Praeceptoris imaginem et memoriam, haud unquam perituram, veluti in cordis penetralibus reconditam servatis, ad rogum usque pio amore colendam! Quid denique commemorem temporum, quae vivimus, conditionem, ingravescentibus in dies litibus, tam commota et tam perturbata, quae Academici muneris, quod mihi imponatur, onus, semper grave illud ac

difficile, gravius etiam quam alias ac difficilius reddant. Quae omnia si quis animo perpenderit, haud facile me affirmantem, moestum ac tremebundum me hanc cathedram adscendisse, dissimulationis vel affectatae et fucatae modestiae accusaverit.

Nec desunt tamen, quae ad animum demissum erigendum, quin etiam dulci quodam laetitiae sensu perfundendum, egregiam vim habeant. Quamquam enim omni disciplinae, si qua ad Theologiae studia pertinet, permultum utilitatis atque emolumenti inesse intelligo, ea tamen, quae in Religionis et Societatis Christianae Historia cognoscenda, enarranda, tractanda versatur, eximia quadam laude atque industria digna mihi videtur; si illam saltem Historiae tractandae viam sequaris, quae minime nuda ac tersa enarratione absolvitur, sed quae etiam magnos rerum flexus ac mutationes sequitur et considerat, eorumque caussas atque effectus exponit; verbo dicam: illam Historiae tractandae rationem, quae vere Pragmatica dici potest, quae Polybium patrem atque auctorem habuit, quam e Brittannis maxime Robertsonus et Gibbonus, e Germanis Heerenius, Planckius, ut alios mittam, aequalibus suis commendarunt, cuiusque in hac nostra patria Heusdius ille vester, et genuinus ac germanus eius discipulus Royaardsius felicissimi fuere cultores. Hic nimirum Historiae ita tractatae est fructus longe uberrimus, quo nihil dulcius, nihil iucundius, nihil utilius excogitari potest, ut non solum hominem ipsum in scena prodeuntem atque agentem videamus, sed sapientissimi Dei Moderatoris Christique Regis gubernationem veluti in speculum intuentes, summa veneratione atque admiratione abripiamur; unde sequitur, illum qui tantarum rerum cognitionem discipulis suis impertiat — in quo Borgerus summum Historici munus posuit — iure meritoque administrum dici ac veluti praeconem Providentiae divinae. Quidni igitur laeter, A. A! eiusdem Providentiae numine ac singulari Dei erga me favore mihi contigisse, ut in hac disciplinarum parte et regione, quam semper in deliciis habuerim, totus degere, totus versari possim, vitaeque tabernaculum collocare mihi liceat.

Quod quum dico, nolite putare de altera demandatae mihi provinciae parte minus honorifice a me iudicari, vel me eorum probare iniquitatem, qui vel Exegesin, vel Dogmaticam vel Historiam tanquam Theologiae reginam laudibus extollunt, sed Theologiam Moralem vel Ethicen

Christianam veluti ceterarum ancillam et pedissequam spernunt et vituperant. Longe secus est. Theologiam moralem, quae non solum externos mores sed omnem spectat hominem internum; quae Anthropologiam, Philosophiam, Historiam complexa, fere omnes Theologiae disciplinas in auxilium vocat, et prorsus intactam relinquit nullam, perquam arduam sed haud minoribus quam Historicum studium laudibus dignam, et, si fines ac fructus respicias, nemine in sororum consortio inferiorem esse habendam asseverare nullus dubito.

Quid? quod in Ethicam Christianam verissime quadrant, quae de Philosophia Veteres praedicarunt; eam opes nobis recludere longe ditissimas, quae non furto eripi, non incendio absumi, non naufragio absorberi possunt, quaeque certam et rectam viam commonstrant, ad assequendum summum illud bonum, quo cetera omnia continentur. Quid multa? Quam alienum iniquum istud, quod redargui, de Theologia Morali iudicium a mea sit sententia, spero fore ut et ipsa muneris, quod capesso, professio et haec mea qualiscunque Oratio demonstret. Nimirum! argumentum orationis quaerens, illud prae aliis, quae magis etiam alliccrent, eligendum esse duxi, quod utrumque studium, in quod toto pectore incumbam, complecteretur. Dicam igitur: *de Historiae Ecclesiasticae et Theologiae Moralis studio, his maxime diebus arcte coniungendo.* Quod cum iam aggrediar, vos omnes, Auditores Humanissimi! quotquot adestis, ut ingenii mei ac dicendi mediocritatem, ea quae in vobis est, humanitate, benevolentia ac patientia sublevetis, etiam atque etiam rogatos volo.

At, cum iam in eo versetur nostra oratio, ut ad argumentum, quod tractandum putavi, propius accedam: ecce nobis occurrunt, qui mihi obiiciant: vide quî tu rem tuam bene agas, qui perperam connectis vel potius permisces et confundis dispares Theologicae disciplinae partes, quae si minus sibi invicem adversentur, toto coelo a se distare et differre videantur; cui dubio ut respondeam forsitan hoc unum proferre sufficiat, e notissimo CICERONIS dicto „cunctarum artium ac disciplinarum commune quoddam esse vinculum" atque, „uti omnes naturae partes sunt coagmentatae inter sese

et arctissimo quodam nexu cohaerent," sic certo certius nullam esse Encyclopaediae Theologicae partem, cuius cum ceteris huius Disciplinae partibus non communis quaedam sit ac necessaria cognatio.

Ut vero nemo haec a me dicta in sensum a mea mente alienum accipiat, quid velim paulo accuratius definire lubet. — Et sane haud inficior Historiae Ecclesiasticae et Theologiae Moralis disciplinas, singulas ad scholae diligentiam exactas, suisque cancellis circumscriptas, diversas omnino spectare Theologiae partes, adeoque in scholis seorsim esse tractandas. Hoc duntaxat in mente habui, has Theologiae partes ita esse comparatas, ut altera ab altera minime sit aliena, sed potius mutuo quodam cognationis vinculo sint coniunctae; ita quidem ut una alteram illustret, altera alteri mirifice prosit atque opituletur; adeoque in utriusque studio neque hoc illi esse anteponendum, neque in hoc illove segnius, sed omnino ita esse versandum, ut illud huius auxilio magno sine damno carere non posse, hoc ab illo permultum praesidii atque ornamenti mutuari, probe teneamus. Quod ubi demonstravero, operam non perdidisse mihi videbor probare studens *Historiae Ecclesiasticae* ac *Christianae Ethices* studium arcte esse coniungendum. Cur vero talem utriusque studii coniunctionem *his maxime diebus* bene animadverti omnibusque Theologis vel Theologiae studiosis curae cordique esse velim — de hoc postmodum agemus.

Agite igitur, A. A. H. H! et primum de Theologiae Moralis ad Historiam Ecclesiasticam bene tractandam atque adhibendam usu et fructibus videamus!

Arctissimum illud, quod utramque disciplinam coniungat, cognatonis vinculum, iam in eo, ni fallor, cernitur, quod utrique, si rem ad vivum resecueris, idem esse consilium reperies. Nimirum Historia Ecclesiastica bene tractata atque adhibita, acque ac Theologia Moralis, morum praeceptrix, vitae vere Christianae magistra sit oportet. Atque hoc paulo uberius explicare liceat!

Ecquis Litterarum Sacrarum tam inscius est, ut ignoret vel negare sustineat, Iesu Christo, optimo hominum Conservatori, quum Societatem his in terris

conderet, quae iure meritoque Regnum Coelorum audit, pro singulari ac plane divino, quo humanum genus est amplexus amore, hoc morale ac sublime fuisse consilium: ut cunctos homines, quotquot ipsi nomen darent ac fidem haberent, morte sua redemtos atque a teterrimo servitutis iugo liberatos, ad novam mentem animumque informaret, in veram libertatem, in sui Deique similitudinem evheret, cosque aeternae felicitatis redderet participes. — Quicunque autem Theologiae Moralis studii amore imbutus ad Historiam Ecclesiasticam accedat, haud dubie id imprimis aget, ut bene indaget: quatenus Societas Christiana per varios temporum casus ac vicissitudines huic morali et sublimi IESU consilio satisfecerit. Et sane Religionis Christianae moralem vel, si vis, practicam indolem omni fere tempore conspicuam fuisse, saltem numquam prorsus latuisse, Historia teste, eademque duce, satis luculenter nobis apparebit.

In memoriam revocate, quaeso, A. A! primi aevi CHRISTI sectatores, a foedissima, quae ubique terrarum invaserat, morum depravatione immunes, sanctitate, fraterno amore, omni virtutum genere conspicuos! Et quorsum oculos convertatis pulcherrima pietatis, virtutis, constantiae, ne dirissimis quidem suppliciis fractae vel labefactatae, vobis proposita videbitis exempla. Quid POLYCARPUM, quid sacrum Martyrum agmen dicam, qui, etsi haud pauci eorum perperam virtutis culmen in martyrii laude posuerint — ad pyram et crucem usque CHRISTI amore incensi atque inflammati vita ac morte se non solum CHRISTI sectatores sed etiam imitatores praestiterunt? Quid AMBROSIUM, AUGUSTINUM, GREGORIOS, CHRYSOSTOMUM memorem, intaminatis fulgentia honoribus Ecclesiae lumina, quorum nomina etiamnum per omnium ora volitant? Quid BERNARDUM illum *Clarevallensem*, qui, monachicae licet virtutis studiosior, tam vere pium se vita ac scriptis probavit, ut vel hunc vel neminem sanctorum corona, qua eum ornavit Ecclesia, dignum iudicemus. Quid Valdenses priscorum Christianorum imaginem vita et moribus ad vivum referentes, ut probem qualis et quanta, medio etiam aevo, ad excolendos mores, ad ipsum animum humanum emendandum religionis Christianae fuerit vis et efficacitas? Quid? quod et hanc in ipsis sectis, quae Haereticorum vel Schismaticorum nomine tanquam atro carbone in Historia notatae sunt — Montanistas, Donatistas, Albigenses dico — non agnoscere non possumus;

quod et hanc quamvis absconditam vel nebulis obductam, in illis erroribus studiisque, quae Christi Apostolorumque menti admodum contraria dixeris — Monachorum ac Stylitarum vitam asceticam, Flagellantium insanos furores, Mysticorum somnia cogito — haud prorsus desideramus. Et iam, quum fugatis nebulis laetior e tenebris affulgeret dies — ipsam sacrorum instaurationem e sensu morali, iam pridem altissimo somno oppresso, sed demum expergefacto, originem suam traxisse et lactissima cepisse incrementa, Historia bene perspecta nos docet. Neque solum reformationem, a Luthero vel Zuinglio inchoatam, hanc moralem vel practicam indolem in fronte gessisse, sed Calvinum ipsum, haud minus vitae morumque reformatorem atque emendatorem, quam Dogmatices acerrimum propugnatorem et vindicem esse dicendum — quisque Historiae indagator a partium studio alienus lubenter nobis concedet. Quid plura? Quicunque in Theologiae Moralis atque Historiae Ecclesiasticae studium pariter incumbit, hic, ut opinor, in Societatis Christianae Historia tractanda aliisve tradenda Neandri maxime vestigiis insistet, atque in omni Historia, in qualibet Religionis Christianae formae varietate, et quovis tempore, luculentissimum, unde huius Religionis vis atque indoles maxime moralis appareat, haud frustra sibi quaeret documentum.

At quamvis Neandri consilium, id agentis, ut Historia teste ac vindice, Religionis Christianae genuina eluceret praestantia, summopere laudamus, nescio tamen an iis assentiendum sit, qui egregium Virum in inquirenda Historia aliquantulum genio indulsisse, et pro nativa indolis suae mansuetudine, optimâ quaevis sperante, interdum de hominibus et rebus mitius quam verius existimasse censeant. Quidquid huius rei est, cavendum nobis esse ne cuncta vel nimia in Historia laudando cuidam partium studio inservire videamur probatione vix indiget. Sed ab hoc quoque sedulo sibi cavebit, quicunque Historiae Ecclesiasticae atque Ethices Christianae studium arcte coniunxerit. Ubivis in Historia, qua late patet, is videat necesse est, quantopere abstracta rerum divinarum contemplatio, abstrusiorum dogmatum inquisitio, atque arcana Dei rimandi et perscrutandi studium cum Theologiae Morali tum morum emendationi ipsi et vitae vere Christianae nocuerint. Dolebit, dolebit, inquam, omni fere tempore extra atque intra Ecclesiam plus philosophatum esse scholae quam vitae, et sectatores

Christi ad Religionis Christianae practicam indolem multo minus attendisse quam huius Religionis dignitas postulet et vitae salus exigat. Quid referam Gnosticorum in Oriente late sparsas familias? Manichaeorum Aeones et Pleromata? Neoplatonicorum Christi doctrinam veluti in Procrustis lecto ad suam Philosophiam adaptandi et torquendi conamina? Num testes advocem Monarchianorum, Arianorum, Apollinaristarum, Nestorianorum, Monophysitarum rixas, quae Muhammedi facilem in Oriente pararunt victoriam? Num moestas renovem querelas de litibus acerrimis, post instaurata sacra inter Protestantium familias denuo exortis, quae laetissimam Reformationis segetem vastarunt? At taedet haec in memoriam revocare, atque eo magis his supersedere licet, cum Clarissimus KISTIUS ante biennium, quum regundae Leidensis Academiae munus iterum poneret, Religionis Christianae indolem practicam male ac multum esse neglectam, qua est sagacitate et doctrinae ubertate, in variis Historiae periodis veluti digito monstraverit.

Nihil tamen iuvaret optime scire, quaecunque in Historia bene sint gesta vel merito in nostram reprehensionem incurrant, nisi huius rei cognitio, in practicos usus conversa, ad verae sapientiae virtutisque disciplinam referatur. Historia vere a Ciccrone *lux veritatis* dicitur, sed eam ex eiusdem sententia *magistram vitae* esse probe tenendum est. At, si quis alius, ad hoc attendet quicunque utriusque studii arcte coniuncti pari amore ardet, neque hic ante in tractanda aliisve tradenda Historia bene suas partes se gessisse sibi persuadebit, quam et ipse animadverterit et discipulorum suorum animis inculcaverit, quaenam inde praecepta et nobis et tempori, quod vivimus, sint derivanda; quinam inde ad vitam moresque regundos atque emendandos colligendi sint fructus. Hac ratione tractata societatis Christianae Historia — quod etiam in spe ac votis habuit NEANDER, quum eiusdem Historiae conscribendae consilium animo conciperet — experientiae ac pietatis Christianae erit optima schola, unde egregiam petamus disciplinam bene beateque vivendi. Sic demum eadem Historia, aeque ac Theologia Moralis, vere dici poterit *vitae Christianae magistra* morumque moderatrix.

Iam semel atque iterum AUGUSTI NEANDRI nomen huic orationi intexui, et mihi temperare non possum, quin immortalia eius merita cele-

brem, quamvis summum Virum qualibuscunque meis laudibus longe esse maiorem penitus persentio. Historiam Religionis et Societatis Christianae iam dudum bene multis dumetum quoddam satis late patens at aridum visum esse neminem paulo peritiorem fugit. Hinc factum, ut nulla fere fructuum, quos gesserat ager, ratione habita, in illo solum vepres ac spinas anxie nimis et cupidius quaererent rerum ante gestarum indagatores et perscrutatores. Quod non solum in Centuriatoribus Magdeburgensibus, sed etiam in SPITTLERO, HENCKIO, aliisque egregiis ceteroquin viris, reprehendendum esse recte, ut opinor, monuerunt Viri docti, qui NEANDRO parentarunt. NEANDER vero plane diversam haec tractandi viam et sibi sequendam putavit et aliis commendandam. Ubivis in societate Christiana Coeleste illud Regnum ob oculos habens, omnibus terrenis regnis et societatibus humanis longe sublimius et stabilius, omne illud ex Historia veluti aurum e terra eruendum atque in media luce ponendum curavit, quidquid divinae religionis vim beneficam ad miserorum mortalium animos consolandos atque emendandos patefaceret, quidquid facile in practicum usum converti posset adeoque vitae inserviret vere Christianae. Et tam feliciter rem suam egit, ut opere nondum perfecto et sibi et religioni, quam vita et scriptis tuitus est, monumentum condiderit aere perennius. Eat nunc aliquis et de meritis eius detrahens perfricata fronte altoque supercilio affirmet NEANDRUM totum internae vitae contemplationi deditum res externas parum curasse; eum iudicii acumine cedere SPITTLERO; ingenii ubertate, quae sales et lumina spargit, HASIO; in accuratissima fontium descriptione vel aestimatione GIESELERO; vel eum in dictionis perspicuitate et stili elegantia MERLEIO, HAGENBACHIO, BUNGENERO minorem esse habendum; vel his omnibus concessis nullum horum coryphaeorum NEANDRO, Historicorum quondam principi, palmam erepturum, vel debitas id est summas laudes denegaturum esse persuasum mihi habeo! Favete pii NEANDRI manes! Tuam imaginem quo diutius intueor, eo magis te venerari, admirari, adamare animus iubet. Faxit Deus, ut haec tua imago mihi semper ita obversetur, ut hanc contemplando, te ducem sequendo, tuaque scripta nocturna diurnaque manu versando, omnes, qui meas scholas adeant, reddam sapientiores, meliores, vere Christianos, atque ipse in dies sapientior meliorque evadam.

Si, hisce enucleatis, satis constat de Theologiae Moralis studio ad Historiam Ecclesiasticam bene tractandam atque adhibendam usu et fructibus — spem prae me ferre licet, A! A! fore ut vos et nunc assentientes habeam asseverans atque efficere conans: „Historiae Ecclesiasticae studium ad doctrinam morum bene explicandam et rite aestimandam esse efficacissimum." Profecto et hic satis latus huic orationi se ostendit campus. Ne tamen in illo perlustrando vestra attentione, benignius mihi concessa, abuti videar, brevitati studebo.

Quanti Historiam eiusque usum et fructus in Theologicis fecerit ROYAARDSIUS, cum omnis eius institutio optime declaravit, tum ipse in Oratione illa, quam dimidiato saeculo in finem vergente habuit, ex hac ipsa Cathedra elocutus est. Meministis illum Historiae dignitatem vindicantem atque eius vituperatoribus his respondere verbis: „Audio, at quae reponam plura habeo; unum illud regero: absque Historiae ope nullam facile disciplinam recte pertractari. Historia facem praefert singulis sane disciplinis Theologicis; illius nisi auxilium implorcmus, nulla rite excolatur Theologia vere liberalis. Haec illustrat omnem illum orbem Theologicum. Haec cavendum docet ab erroribus, quibus indulgent dogmatisantes et philosophantes contemplando. Haec in iustam nos ducit viam. Haec hodierna et futura a praeteritis divelli non posse, quippe e seminibus antea sparsis fructus esse ortos, quos hodie animadvertimus, serio monet." — Ita ROYAARDSIUS. Et quod vir ille egregius de Theologia Historica, ex omnium consensu, penes quos hac de re iudicium est, vere dixit, id de Historiae in morum doctrina explicanda atque illustranda multiplice et vario usu verissime praedicari posse arbitror; ut inde appareat, quomodo notiones morales, quae humanae naturae divinitus sunt inditae, pro varia temporum et populorum indole sese formaverint, in maturitatem magis magisque adoleverint, donec religionis Christianae ope perfectionis veluti culmen attingerent. Quod cum bene perspicerent WETTIUS, SCHWARZIUS, alii, in hac disciplina exponenda Historicam praesertim viam et rationem esse incundam exemplo suo probarunt, aliisque commendarunt.

Uti autem aliarum Religionum cognitio egregie eo valet, ut praeclara Euangelii indoles et plane singularis Christianae Ethices praestantia sole

clarius enitescat; sic Historia Ecclesiastica sola nos edocere potest, quomodo Iesu Apostolorumque institutio moralis, per seculorum decursum, a Christi sectatoribus sit accepta, explicata atque adhibita; quam variam, pro populorum et temporum, ingenii atque opinionum diversitate, Ethice Christiana induerit formam; quid Romano-Catholicorum inter et Protestantium, Lutheranorum et Reformatorum, Scholasticorum et Mysticorum, Iansenistarum et Iesuitarum doctrinam moralem discrimen intercedat; quos denique casus, sive prosperos seu adversos, Theologiae Moralis studium, ab illo inde tempore, quum adhuc in incunabulis versaretur, ad hunc usque diem expertum sit.

Et quantopere talis Historica disquisitio Theologiae Moralis cultorem vel doctorem, qui hanc disciplinam tractandam aliisve tradendam hac nostra aetate suscipit, adiuvet, incredibile dictu est.

Nec admodum vereor A. A! quod ad partem *Historicam* attinet, ne illa, quae hucusque disputavi, in dubium vocari queant, at fortasse mihi occurrunt, qui in parte *theoretica* construenda vel tractanda Theologiae Moralis studium haud ita Historiae Ecclesiasticae ope indigere opinentur. Sed aut ipse egregie fallor, aut egregie falluntur, qui ita statuant, cum Historia et hic omnibus Ethices penetralia intrantibus facem praeferat atque optimam sternat viam. Quid? quod iam in introitu, ubi quaestio nobis est dirimenda; utrum haec nostra disciplina cum Theologia contemplativa vel Dogmatica coniunctim explicari debeat, ut veteri consuetudine receptum erat, an vero, uti post Danaeum et Calixtum consuevit, seorsim tractanda sit, Historiam consuluisse iuvabit. Quid enim illa? „Videte" inquiet „quamdiu Christianae Ethices studium, quae iure suo disciplinae nomen sibi vindicat, in magnum scientiae veraeque religionis detrimentum fuerit spretum et neglectum!" Mox vero addet: „Cavete tamen ne necessarium vinculum atque arctissimum nexum, quo utraque disciplina copulatur, ita negligatis, ut quod Deus ipse coniunxerit prorsus divelli patiamini! A Christo ipso perfectissimo virtutis exemplo, et fide in illo posita, verae sanctitatis et vitae Christianae fonte, principium moralitatis esse repetendum (praeeuntibus non solum Apostolis sed omnibus fere primorum temporum doctoribus) facile nobis persuadebit. Sic quoque, ubi in principium vel fundamentum inquirimus, cui veluti aedificium

totius doctrinae moralis superstruendum sit, accuratior Historiae cognitio tutissimam nobis viam muniet. Denique de gravissimis, quae Anthropologiam spectant, quaestionibus — uti de libero hominis arbitrio, de natura peccati, de vitiositatis, quae genus humanum infecerit, labe — de quibus adhuc sub iudice lis est — haud dubie eo cautius et verius iudicabimus, quo maiorem atque interiorem cum AUGUSTINI, Scholasticorum, Reformatorum, iisque contradicentium adversariorum scriptis contraxerimus familiaritatem.

Si Theologiae Moralis pars theoretica multarum quaestionum difficultate premitur, pars *practica*, de qua itidem verbo agendum est, quae in singulis hominis Christiani officiis exponendis versatur, e multorum opinione nimia perspicuitate laborat. Qua de re iam suo tempore questus MURETUS multos esse tirones ait, qui tam communia et contrita esse, quae hic doceantur, ut ad ea percipienda doctore nihil opus sit; at, quamvis et hanc opinionem falsam esse omnes norunt, qui nostram disciplinam non tantum de limine salutaverint, sed paulo interius perspexerint; quomodo tamen cavendum, ne gravissimorum officiorum prorsus necessaria expositio, citius quam par est, e lassitudine taedium pariat. Et hic ad Historiam Ecclesiasticam provocandum et refugiendum esse existimo, quae suos nobis recludat thesauros, quorum ope Euangelii praecepta ubera praestantissimorum exemplorum copia exornentur atque illustrentur. Quidni etiam prisci aevi scriptorum testimonia, quidni Poëtarum (PRUDENTII, BOËTHII, FORTUNATI, AVITI), ubi moralia tractant, vocem audiamus? Sic mirum in modum rerum ubertatem et varietatem accrescere videbimus, et forte sperare licet, fore ut Theologiae Moralis pars practica et iis, qui iniquius de illa iudicent, nequaquam nudus atque aridus locus, sed amoenior hic et illic venustis Eloquentiae vel Poëseos floribus pictus et distinctus ager videatur.

Sed qualis et quantus Historiae Ecclesiasticae in Theologia Morali explicanda sit usus, id clarius etiam elucet in parte *ascetica*, quae nobis ostendit, qua via et ratione, quibusnam adminiculis in propositam sibi perfectionem moralem Christi sectator feliciter enitatur; quaenam maxime impedimenta virtutis et vitae vere Christianae obstent incrementis; quaenam cuivis, de animi salute sollicito, similitudinemque Dei et Christi piis su-

spiriis appetenti immineant pericula. Hic statim in oculos incurrat necesse est, non solum iucunditatis sed multo magis magnae, quam afferant, utilitatis caussa talia exempla ex Historia esse petenda. Hic eadem Historia praeceptricis atque admonitricis personam agens, ad cunctos, quorum non occlusae sint aures, vocem dirigit, eosque hortatur, ut bene attendant, ubinam ingenium humanum in Deo Christoque colendo maxime aberraverit; quaenam recta sit semita, in qua firmo atque indefesso pede tuto sit progrediendum, quid cane atque angue peius fugiendum sit. Sed iam me reprimam fas exigit. Verendum enim esset, ne positos huic orationi terminos egrederer, si diutius singulis immorari vellem. Videtis, uti spero, Historiae Ecclesiasticae studium ad doctrinam morum bene explicandam et rite aestimandam esse efficacissimum. Videtis utramque disciplinam alteram alteri mirifice prodesse atque opitulari, adeoque utriusque studium, ut utrique suus tribuatur honos et iustum statuatur pretium, arcte esse coniungendum.

Sed quorsum spectavit haec nostra oratio? — Nimirum eo, A. A! ut probe intelligatis, mihi quoque, ex meo ipsius iudicio, illud incumbere officium, ut utriusque studii exercitandi atque excolendi amore atque ardore imbuam horum generosa iuvenum pectora. Quod officium eo sanctius atque antiquius mihi videtur, quo magis animo et cogitatione perpendo, quid sibi requirat et postulet haec nostra aetas. Restat igitur ut quibusnam de caussis Historiae Ecclesiasticae et Theologiae Moralis studium *his maxime diebus* sit coniungendum, paucis exponam.

Hanc nostram aetatem, uti in ceteris, sic quoque in Theologicis disciplinis et studiis felices atque insignes progressus fecisse nemo facile inficias ibit. Quod si quis negaverit, hunc potius morosum temporis acti laudatorem, quam aequum horum temporum iudicem appellaverim. Ab altera vero parte concedamus oportet, altioris, quam dicunt Theologi, Critices molimine multa, quae olim ab omnibus satis firma et stabilia ac prorsus indubitatae fidei haberentur, adeo esse concussa et labefactata, ut

ipsum fundamentum, quo nititur Religio Christiana, nonnullis vacillare videatur. — Euangelii Historiam, si STRAUSZIUM, FEUERBACHIUM, BRUNONEM BAUERUM audias, vel nugarum et fabularum esse plenam, quibus ne mulierculae et pueruli quidem credant, vel saltem a carceribus inde ad calcem mythis esse accensendam, quis nescit? Quos si forte eo minus reformidandos esse existimes, quo maiore protervitate atque audacia in Euangelii veritatem et fidem Historicam sint grassati: ecce alii, haud spernendi Theologi, e Tubingensi schola profecti in aciem progrediuntur, qui Apostolicam, quae dicitur, aetatem suis armis aggressi iam Historiam quoque Ecclesiasticam ab eius primordiis denuo construendam atque ad aliam trutinam examinandam esse clamant. Et quanquam Religionem Christianam, quae ab acerbissimis hostibus petita e tot pugnis et praeliis victrix discessit, in hoc quoque certamine, Christo moderante Rege, salvam atque incolumem fore pro certo habeo et confido: in eo tamen, si quid video, omnes consentient prudentiores, coniunctis viribus atque armis ipsam Euangelii arcem esse defendendam. At videte hominum dementiam vel socordiam! Dum his nostris diebus extrinsecus hostium agmina ingruunt; dum, e multorum sententia, servile Hierarchiae Romanae iugum haud minus extimescendum Europae populis et societati Christianae imminet — Protestantes velut i Cadmaeos fratres in sua viscera saevientes videmus, ac si prorsus immemores essent illius dicti, quod STANISLAUM HOSIUM, acerrimum Hierarchiae Romanae propugnatorem prodidisse legimus; „Bellum Haereticorum pax est Ecclesiae! — Mordeant et comedant se invicem, ut eo citius a se invicem consumantur!" — Quod cum saepius mecum reputo, A. A! Hierosolymorum fere oppugnatorum et Zelotarum intus inter sese digladiantium furore vastatorum tristissima mihi obversari solet imago. In patria nostra acerbissimas lites dogmaticas, paene extinctas et suffocatas, denuo exarsisse animo dolemus. Et quisque veram patriae atque Ecclesiae salutem curans acerbissimo doloris sensu non affici non potest, videns et cogitans, tanquam navem turbulentis in undis, ita discordiis et vehementissimis opinionum in contraria ruentium fluctibus quassatam atque agitatam hanc nostram Ecclesiam. Iam vero si quaeritur, unde aegrotantis Ecclesiae sanatio exspectanda sit, vel quaenam tot malis et morbis ingravescentibus remedia sint afferenda, iterum in diversas partes, veluti in

oppositas sibi acies discedunt Christi sectatores. Alii, quos haud ita procul a Romano Catholicis distare facile agnoscas, in iis, quae ipsi e pueris edocti sunt, acquiescendum adeoque credendum esse iubent, quod credit Ecclesia, omnesque dissentientes coercendos vel expellendos esse autumant. Alii, licet ab omni vi dissentientibus inferenda abhorreant, auctores nobis sunt, ut his maxime diebus nos ad avitae Confessionis Palladium recipiamus, ne sectae nascantur e sectis et totum corpus Christi multa in disiecta membra nervis et capite destituta divellatur et dilaceretur. Alii, verentes ne libertas Christiana quid detrimenti capiat, cavendum esse monent ne iugum, quod maiorum humeri ferre recusaverint, denuo nostris humeris imponatur, neque divinis humana aequiparentur. Alii disruptis his vinculis omnia misceri et turbari queruntur. Alii denique veritatis aeque ac pacis amantissimi intra atque extra Iliacos muros peccatum esse haud negant, sed scientiae abusus scientiae usu esse tollendos existimant; a libera eademque pia et docta veritatis inquisitione nunquam intermittenda vel potius a Deo ipso, summo veritatis auctore eodemque Tutore, solum illud remedium mali esse sperandum atque implorandum arbitrantur. Et me maxime ab horum partibus stare eo lubentius fateor, quo apertius Historia nos docet, omnes hominum conatus ad sedandos animos et restituendam pacem — concilia, symbola, colloquia, henotica — vel minime suffecisse vel fausto ac prospero caruisse eventu. Quotquot autem, etsi laudabili ducti consilio tollendi Christianorum dissidia, a talibus remediis unicam Ecclesiae sperant atque exspectant salutem, admodum vereor ne idem illud experiantur, quod histrioni quondam in ludicro spectaculo, coram Carolo V eiusque aulicis habito, accidisse legimus. Hic scilicet, in scena prodiens et Leonis X personam agens vix vidit ignem, a Luthero incensum, quin huc illuc oculos vertens, unde aquam hauriat, ad incendium extinguendum quaerit. Mox duae urnae, quarum altera aqua altera oleo erat repleta, eum advertunt; et statim prosiliens has arripit, sed bonus ille et miser non aquam sed oleum igni infundit, et iam flammarum assurgentium adspectu perterritus, praeceps e scena se corripit atque aufugit.

Ne tamen haec mea dicta ita interpretemini, quaeso A. A! quasi ex mea sententia in praesenti rerum conditione nil boni vel laeti esset lau-

dandum, aut nihil prorsus ad auream pacem et tranquillitatem revocandam esset agendum et perielitandum. Immo vero multa esse, quae animum tristem consolentur atque ad laetitiam erigant, grato erga Deum animo recordamur. Etiamsi haec nostra tempora (quod cupidius quam verius a nonnullis factum) vix vel ne vix quidem Reformationis temporibus aequiparanda censeamus, et nunc tamen religionis, veritatis amorem, qua nihil sanctius et pretiosius sit habendum, in innumerorum animis experrectum esse, ipsae illae lites, quas dolemus, quas lugemus, quarum nos taedet et pudet, alta voce testantur. In tanto sententiarum divortio, in tot dissonantibus rixantium verbis, inter illos quoque, qui de quovis liberalioris ingenii Theologo iniquius iudicent, subinde non agnoscere non possumus testimonia et desideria mentis Deo Christoque dicatae, quae in coeli inhiat atque anhelat sanctitatem et beatitudinem. Et nunc bene multos — quidni dicam plurimos — reperiri Christi sectatores, uti Dei Christique, ita fratrum, uti veritatis, ita pacis amantissimos ex animo gaudemus. Cuncti denique, quotquot melioris mentis atque indolis sunt — licet diversis partibus, sectis, nominibus addicti — licet, si fidei capita quaeras, toto coelo a se invicem dissentire affirment, aut revera dissentiant — magis magisque tamen in eo consentiunt, nullam esse fidem Deo acceptam, nisi vita, factis moribusque comprobatam. Quid, quod etiam Pietismum cum flagrante doctrinae Ecclesiasticae tuendae studio haud minus flagrans vitae excitandae vere Christianae studium arte coniunxisse, et, in oppugnandis et corrigendis omnis generis vitiis, in succurrendo lapsis et miseris, multisque aliis nominibus egregie de societate Christiana meritum esse lubentur fatemur.

Quae cum ita sint, A. A! magna me tenet spes, fore ut haec nostra aetas magis magisque perspiciat, vitam vere Christianam caput et princeps esse in religione; hoc quoque ipsius Iesu, optimi Servatoris, fuisse consilium sublime et longe saluberrimum, ut genus humanum ad virtutem, amorem et sanctitatem informaretur. Et quidquid metuant et reformident alii, hanc laetissimam spem nunquam mihi eripi atque ex animo evelli patiar, ita fore, ut Deo moderante Christique auspiciis ex hac turbulentorum atque agitatorum temporum commotione novus, idemque melior enascatur rerum ordo, quo humanum genus ad sanctitatem Deique similitudinem propius accedat.

Ad metam mihi propositam properare me sinite, A. A! Iam perspicitis, ut opinor, quibusnam de caussis Historiae Ecclesiasticae et Theologiae Moralis studium *his maxime diebus* arcte esse coniungendum asseveraverim. Si enim iterum quaeritur, quanam via vel quonam auxilio aegrotanti nostrae Ecclesiae sit succurrendum: alii quid respondeant et sentiant sibi viderint; equidem hoc interrogatus vix habeo, quod respondeam; dicam vero, quod sentio. Theologum, qui hisce diebus doctoris munus auspicatur, optime rei Christianae ac suae aetati consulere persuasissimum mihi est, Religionis Christianae indole morali illustranda et commendanda, adeoque Theologiae Moralis, eiusdemque vere Christianae, explicatione, nec minus practico Historiae Ecclesiasticae usu. Historia sic tractetur, ut norma morum optima, vitae Christianae dux et Magistra habeatur. Atque utinam haec nostra aetas Historiae vocem monitricem audiat atque auscultet, minime ut Cassandram incassum augurantem, vel Pythiam incerta de suo tripode oracula edentem, sed audiat tanquam Deum, tanquam Christum ipsum in illa loquentem. Theologiae Morali nimium neglectae suus stet honos, suum restituatur pretium, at sic excolatur, ut a Christo principium petat atque omnia ad Christum referat. Esto igitur, Theologiam Dogmaticam reginae instar esse colendam, ita regnet atque imperet et illa, ut posthabitis infructuosis litibus, maximi faciat maximamque curam gerat eorum, quae maxime spectant ad vitam. Omnes Theologiae disciplinae religioni et vitae adeoque Ethices Christianae consilio inserviant. Religio Christiana generis humani fermentum se probet. Cuncti denique Theologi, coniunctis viribus, omni cura et studio eo enitantur, ut accelerent laetissimum illud tempus, piis omnium cultorum Dei desideriis et precibus exoptatum atque imploratum, quo, sedatis rixis, compositis litibus, extinctis discordiae facibus, hoc aureum Pauli effatum: *vivo, sed egomet non amplius, at Christus in me vivit* unicum universae Ecclesiae superstes sit Symbolum!

Quod si autem ea felicitas mihi contigerit, ut qualicunque mea institutione futuri Sacrorum Antistites in utriusque studii amorem magis etiam incitentur atque exacuantur — hoc vobis acceptum referam, Viri Amplis-

simi! huius Illustrissimae Academiae Curatores! — Nimirum vestro insigni erga me favori Augustissimi Regis placitum debeo, quod me Theologiae Professorem creavit. Quos honores, quam singularem vestram erga me, alius Academiae alumnum, benevolentiam, quanti faciam, verbis eloqui prorsus nequeo; at gratum animi vobis devincti atque obstricti sensum magis factis studiisque vobis testificari et comprobare, quam verbis enunciare aut magna quaevis vobis polliceri, haud dubie e vestrum quoque sententia praestat. Audivistis, Viri Amplissimi! quantopere in obeundo hoc munere erucier et perturber magni illius Viri cogitatione et recordatione, in cuius locum me succedere voluistis; cui cogitationi si indulgerem prope abesset, quin deficiente prorsus mihi animo, ex hac ipsa Cathedra descenderem. Sed alea iacta pedem referre non licet. Nec ipse, si possem, regredi vellem. Omnipotentis et benignissimi Dei fretus auxilio, qui per tot annorum spatium, in tot susceptis et peractis laboribus nunquam mihi defuit; qui me acerbissimae cladis dolore afflictum et lugentem sustentavit et erexit — huius igitur auxilio nixus, — si quid in me est eruditionis, assiduitatis, studii amoris, id omne, quantulumcunque est, ita adhibebo atque impendam, ut horum iuvenum studiis, Academiae, Ecclesiae, patriae inserviam. Si vero ROYAARDSII vestigiis insistens tali decessore, qualem ipsum omnes cognovimus et dileximus, licet longe inferior, non plane indignus deprehendar successor, erit, quod summopere mihi gratuler et gratias Deo reddam quam maximas. Ceterum, Viri Perillustres! idem ille bonorum omnium Largitor ut vos diu salvos incolumesque servet, et ut vestra cura, vestris auspiciis, huius inclytae Urbis atque Academiae honos et gloria in dies crescant atque adaugeantur, in votis et precibus habeo ardentissimis!

Si vera est Veterum sententia — est autem verissima — intuendo et suspiciendo egregia proavorum vel aequalium exempla mirifice ali atque augeri imitandi studium — talia exempla, quae et me incitent atque inflamment, animoque deficienti novos admoveant stimulos, profecto in hac alma Musarum sede nec mihi desunt, quum defunctos in memoriam revoco, vel quum vos intueor, Viri Clarissimi! variarum artium et disciplinarum in hac Academia Professores! earumque ornamenta et decus! — Quidni autem fatear? (sit venia fatenti!) me vestro adspectu magis angi

et sollicitari, quam incitari atque inflammari, ut vos, tales tantosque viros, duces sequar. Haesitante pede, vestro ordini adscriptus, honorificum mihi oblatum locum occupo. Haestitante lingua vos, Viri Celeberrimi! collegas compello et saluto. Accipite me tanquam fratrem et socium, quaeso, qui suae mediocritatis et vestrorum meritorum probe conscius, vestra familiaritate uti, vestris monitis et consiliis frui permagno sibi ducet honori, et licet a vobis omnibus, vel iunioribus vel senioribus cum doctrinae praestantia tum ingenii dotibus longe superetur, id tamen aget, ut in omnibus illis exhibendis officiis, quae mutuam alant amicitiam, a paucis se vinci et superari sinat! — Atque hoc vobis praesertim spondeo, Theologiae Professores! Viri gravissimi! quibuscum earundem disciplinarum studium, adeoque arctior etiam me iunget necessitudo. Vos, ut me vestro favore, vestro amore complectamini, ut me vacillantem sustentetis, ut mihi vestra experientia instrui, vestra doctrina doceri concedatis, obsecro atque obtestor. Ac magnam et laetam spem in animo concepi, fore quod peto. Nonne mihi, quum dubius atque anxius haererem, utrum oblatum mihi munus acciperem an recusarem, ita succurrere voluistis, ut qui moestus ad vos accessissem, laetior a vobis discederem? — Nec metus valde me angit, ne iis quaestionibus, quae hoc potissimum tempore Theologorum animos advertant et suspensos teneant, nostri animi disiungantur. — Nonne tu, Clarissime Boumanne! in memoria Clarissii, quem tecum venerari atque admirari nunquam desinam, ita Theologum veri nominis nobis delineasti, ut, si tale exemplum vel e longinquo sequerer, me terque quaterque felicem praedicarem? Quod reliquum est, Viri gravissimi! amicus nobis Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Hanc veniam damus petimusque vicissim. Uti autem veritatis studiosissimum, ita et pacis amantissimum me vobis comprobare studebo. Coniunctis licet imparibus viribus, eodem consilio ductis laborem et vitam Theologicis studiis impendere nobis Deus concedat, et, si quid mea vota valent, Vos diu valebitis, vigebitis! Funesta, quae huic Academiae Royaardsium eripuit, mors vestris parcet dicbus; vobisque continget, rude donatis, placidae senectutis otio frui, antequam optime de Patria et Ecclesia meriti ex hoc vitae stadio in beatas beatorum sedes evocemini!

Salvete et vos, Viri Clarissimi, Leidenses Theologiae Professores! qui

dulci non solum Haganae Societatis consortio, sed tot aliis nominibus mihi estis coniunctissimi! qui, quali erga me sitis animo, hoc ipso dic, vestra mihi gratissima praesentia, hic palam testificari voluistis. Quot quantaque Praeceptoribus iam dudum defunctis, VOORSTIO, CLARISSIO, PALMIO debeam, grato erga Deum animo adhue recordor; atque obmutesceret haec mea lingua mallem quam taceret, quid debeam, Praeceptoribus Aestumatissimis, Clarissimo KISTIO, quem, extincto ROYAARDSII lumine, in magnum Historici studii incrementum, diu superstitem fore non tantum Leida precatur, sed et haec Academia Traiectina, quae et illum et SCHOLTENIUM alumnos habuisse gloriatur; et tibi quam maxime, Celeberrime HENGELI! qui te mihi, iuveni et viro, in prosperis atque adversis amicum intcgerrimum, patris instar colendum, et tam fidum studiorum ducem probasti, ut quidquid iuvenis profecerim, id magis tuum quam meum esse arbitrer. Favere mihi pergite, Optimi viri. Equidem, quantum potero, eo intendam, ut me et in posterum vobis commendem, atque idem illud, quod nos iungit amicitiae vinculum, iungat et utramque academiam Lugduno Batavam et Rheno-Traiectinam.

Tandem ad vos haec mea oratio se convertit, Iuvenes Ornatissimi, Praestantissimi! quos brevi auditores et commilitones nacturus sum. — Quotiescunque lectissimorum iuvenum coronam, in ipso aetatis flore, corporis vigore, mentis sanitate, ingenii dotibus conspicuam intueor, nescio quo dulcissimo laetitiae sensu animus afficitur et perfunditur. Redit toties et mihi illius iucundissimi temporis recordatio, quod cum amicis in Academia degi, quo iuvenilis animus, spretis voluptatis illecebris, pulcra quaevis et sublimia appetit, quo Litterarum et Poëseos amor primulos suos emittit flores. Quae recordanti mihi ipsa iuventus cum iuvenili vigore redire videtur, quasi in vestrum sodalitium iterum adscitus, vestrorum studiorum consors et socius vocarer. Et quidni vestrorum studiorum consors et socius dicerer, qui, quo serius ad hanc cathedram accessi, eo melius intelligo et persentio, multa, vos docendo, mihi esse discenda, ut hoc meo munere ita fungar, ut vestra, Ecclesiae et Patriae salus, Theologicae disciplinae dignitas et huius nostrae Academiae honos et fama a me postulant. Huius nostrae Academiae inquam; nam postquam, relicta civitate patria, ruptis tot amicitiae et propinquitatis vinculis, deposito sacratissimo

munere, reliquos, qui mihi supersint dies, vobis vestrisque studiis dicare constitui, totus iam Vester sum et Vester esse pergam. Et quidquid in me praeceptore desideretis, scitote tamen, Iuvenes! et confidite, illud mihi curae cordique fore, ut nunquam vobis vestrisque studiis desim. Ceterum, quid in institutione mea summum futurum sit, quod vobis inculcare studeam — hac mea Oratione habita — nolite quaerere. Quanquam enim et vobis cavendum et mihi sedulo invigilandum est, ne illic Pantheismi subtilioris vel ἀπιστίας cuiuslibet formae, ne hic Separatismi et Fanatismi laqueis circumventi irretiamini; ex animo tamen gaudeo me hanc sortitum esse provinciam, in qua, relictis vel sepositis acerbioribus litibus, Historiam ipsam loquentem inducam, vel talia vobiscum communicabo, qualia maxime mores et vitam spectant. — „Pectus est, quod Theologum facit!" Hoc NEANDRI dictum, quod vir summus pro vitae et studiorum tessera usurpavit, et a nobis, qui in iisdem castris una militabimur, nostro vexillo inscriptum velim! — „Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero." Et hoc SENECAE effatum, quod REINHARDUS operis sui immortalis, doctrinam morum exhibentis, titulo exarandum curavit, iterum iterumque vobis in memoriam revocabo. Nec tamen illud dictum ita interpretabor, ut vos e Stoicorum mente arrogantius sapere vel sentire doceat, sed ut, neque in Veterum placita neque in cuiusvis recentioris Philosophi vel Theologi verba iurantes, tales evadatis (quales his maxime diebus futuros Sacrorum Antistites mihi opto) viri αὐτάρκεις, Theologi vere Eclectici! Hanc dico αὐτάρκειαν, qua HEUSDIUS, vir immortalis, suorum discipulorum animos imbuere voluit, quae licet fixis et stabilibus principiis nitatur, humanae imbecillitatis haud immemor, sc sine divino auxilio nihil pollere probe cognovit. — Tali pectore in Theologiae studia incumbatis, Iuvenes dilectissimi! quotquot CHRISTO eiusque Ecclesiae nomen dedistis. Me praeceptore vel potius eiusdem itineris comite utamini, et, quoties temporum aestuatio vel nostrae tenuitatis conscientia nos angit vel deprimit, manibus atque oculis in coelum sublatis, has pias, tanquam mentis Deo Christoque devotae suspiria, effundamus preces: Sol veritatis! Sol iustitiae illustra nos!

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI MDCCCLIV USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI MDCCCLV

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

HENRICO EGBERTO VINKE.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Philosophiae de Deo, sive *Theologiae Naturalis historiam antiquiorem* enarrabit H. Bouman, diebus iovis et veneris, hora IX.

Critices sacrae leges ad *difficiliores S. S. locos* applicabit H. Bouman, die lunae, hora IX.

Hermeneuticae sacrae partem alteram tradet H. Bouman, die martis, hora IX.

Iesaiae Vaticinia interpretabitur H. Bouman, diebus iovis et veneris, hora X.

Epistolas catholicas explicabit H. Bouman, diebus lunae et martis, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae tradet B. ter Haar, diebus lunae, martis et iovis, hora I.

Historiae Ecclesiasticae veteris monumenta exponet B. ter Haar, die mercurii, hora I, die iovis, hora II.

Theologiam dogmaticam tradet H. E. Vinke, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Collocutionibus *de Theologia populari*, cum commilitonibus habendis, vacabit H. E. Vinke, die iovis, hora XI et XII.

Ethicam Christianam docebit B. TER HAAR, diebus lunae, martis et mercurii, hora II.

Theologiam pastoralem tradet H. E. VINKE, diebus lunae, martis et mercurii, hora XII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. BOUMAN, H. E. VINKE et B. TER HAAR, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

IN FACULTATE IURIDICA.

Doctrinam Pandectarum MÜHLENBRUCHIANAM e voll. I et II enarrabit A. C. HOLTIUS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Locum *de hereditatibus* e vol. III. die saturni, hora singulari, cum auditoribus constituenda.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, hora VIII.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, die lunae, hora XII, diebus iovis et saturni, hora X.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus martis, mercurii et veneris, hora I.

Ius civile Nederlandicum docebit I. VAN HALL, die lunae, hora XII, diebus martis, mercurii et iovis, hora I.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora X.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, praeerit I. VAN HALL, alternis mercurii diebus, hora vespertina VI.

Repetitorium de iure civili, mercatorio et maritimo instituet I. VAN HALL, die lunae, hora I.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, hora XI.

Statisticam I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, hora IX.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus lunae et martis, hora VIII.

Ius gentium Europaeum G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, hora X.

Selecta *de necessitudine Batavorum cum populis exteris, ab anno* 1648 *usque ad nostra tempora*, tradet G. G. VREEDE, die saturni, hora I.

Ius criminale, tam *Batavum*, quam *commune*, docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die iovis, hora X, die veneris, hora I, die saturni, hora VIII.

Publicis disputandi exercitiis alternis saturni diebus praeerunt Iuris Professores, hora XII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora II.

Metaphysicam C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora I.

Historiam philosophiae veteris enarrabit S. KARSTEN, diebus lunae et iovis, hora II, aliave commodiore.

Litteras Latinas docebit A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, iovis et veneris, hora XI, interpretando Sallustii *Belli Iugurthini* partem postremam et Virgilii L. II *Aeneidos*.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, iovis et veneris, hora X.

Litteras Graecas docebit S. KARSTEN, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII, interpretando tum locos selectos ex Homeri *Iliade* et e Platonis opere *de Rep.*, tum Sophoclis *Antigonam*.

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus mercurii et veneris, hora IX, aliave commodiore.

Litteras Hebraicas tradet I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum exponenda *Grammatica*, tum *huius* ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historieis monstrando, die lunae, hora I, die martis, hora II, die mercurii, hora X et II.

Litteras cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, die martis, hora XI, die mercurii, hora XII.

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora IX.

Ceterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.

Litteras Belgicas et Litterarum Belgicarum Historiam exponet L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta Stili bene Belgici L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis et saturni, hora II.

Historiam gentium antiquarum, praecipue *Imperatorum Romanorum* aetatem, enarrabit S. KARSTEN, diebus martis et iovis, hora I, die mercurii, hora XII.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum enarrabit I. ACKERSDYCK, diebus mercurii et veneris, hora I.

Historiam Patriae tradet L. G. VISSCHER, die lunae, hora XI, diebus martis et iovis, hora XII, die saturni, hora I.

Institutiones paedagogicas habebit S. KARSTEN, die saturni, hora IX et X, partim *metrica* explicanda, partim moderanda interpretatione selectorum Pindari *carminum* et *Satirarum* Horatii.

Disputandi exercitationes, alternis hebdomadibus instituendas, moderabuntur A. VAN GOUDOEVER et S. KARSTEN.

G. DORN SEIFFEN, Litt. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum quam recentiorum gentium historiae facta enarrare, gentesque, quod ad culturae progressus, inter se comparare perget, diebus mercurii et saturni, hora XI aliave commilitonibus magis commoda.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Anatomen generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam* demonstrabit P. HARTING, diebus lunae et martis, hora I.

Physiologiam tradet I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, hora VIII, die mercurii, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in laboratorio physiologieo quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Biologiam generalem exponet F. C. DONDERS, die mercurii, hora XI, die iovis, hora X.

Pathologiam, sectionibus cadaveris illustratam, F. C. DONDERS quater per dierum hebdomadem.

Anatomen pathologicam, docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, bis per dierum hebdomadem, hora auditoribus eommoda.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, diebus lunae, mercurii et veneris, hora II.

Plantarum historiam naturalem, imprimis medicinalium tradet P. HARTING, die iovis, hora XI, die veneris, hora XII.

Nosologiam et therapiam specialem docebit G. I. LONCQ, diebus martis, iovis et saturni, hora IX.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosoeomio Academico.

Exercitationes clinicas in ophthalmiatria, data opportunitate, moderabitur F. C. DONDERS.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, mercurii et veneris, hora VIII, die saturni, hora IX.

Excercitationes policlinicas in arte chirurgica, diebus lunae, mereurii et veneris hora IX; *ophthalmiatricas*, diebus martis, iovis et saturni hora X; *clinicas* vero, tum *chirurgicas*, tum *ophthalmiatricas* quotidie moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die lunae hora V—VII post meridiem.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus martis et mercurii hora XII et dimidia post meridiem; morbos puerperarum et neonatorum die iovis hora IX atque XII et dimidia.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, diebus lunae et veneris, hora XII—II, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, inde a feriis aestivis usque ad d. XV m. Februarii, *politicam medicam* inde a die XVI m. Februarii usque ad ferias aestivas, diebus mercurii, iovis et veneris, hora II.

Ophthalmologiam docebit F. C. DONDERS, diebus mercurii et saturni, hora I.

B. F. SUERMAN, quamvis munere suo sit defunctus, selecta tamen quaedam e disciplina pathologico-chirurgica tractabit capita, speciminibus e museo suo illustranda, diebus martis et mercurii, hora VIII matutina.

Summam item eorum, quae de rite perfungendo medici officio ipse longo artis exercitio didicit, cum commilitonibus communicabit, diebus et horis deinceps indicandis.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Mechanicam analyticam R. VAN REES, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XI.

Physicae mathematicae capita selecta R. VAN REES, diebus martis et iovis, hora XI.

Chemiam organicam docebit I. W. GUNNING, Chemiae Lector, diebus lunae, martis et mercurii, hora IX.

Chemiam anorganicam, A. C. OUDEMANS, diebus iovis, veneris et saturni, hora IX.

Chemiam analyticam, C. L. VLAANDEREN, diebus lunae, martis et mercurii, hora XII.

Chemiam theoreticam, A. C. OUDEMANS, die lunae, hora X.

Chemiam forensem, I. W. GUNNING, die veneris, hora XI et XII.

Chemiam pharmaceuticam, C. L. VLAANDEREN, diebus iovis et veneris, hora X.

Chemiam technicam publice docebit I. W. GUNNING, hora deinceps indicanda.

Chemiam practicam G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. BERGSMA, diebus lunae et martis, hora XII.

Anatomiam plantarum C. A. BERGSMA, diebus et horis, auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus mercurii et saturni, hora XII, duce compendio suo: *Handboek voor de Vaderlandsche Landhuishoudkunde*, ed. Trai. ad Rhen. 1842.

Excursionibus Botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. BERGSMA.

Zoologiam docebit TH. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus lunae et martis, hora X.

Anatomiam comparatam TH. G. VAN LIDTH DE IEUDE, die mercurii, hora X.

Anatomen et *Physiologiam plantarum* docebit P. HARTING, diebus lunae et iovis, hora II.

Exercitationibus in usu microscopii studiis zootomicis, phytotomicis et chemicis applicato quotidie praeerit P. HARTING.

Astronomiam popularem tradet C. H. D. BUYS BALLOT, die martis, hora XII, die veneris, hora X.

Astronomiae practicae vacabit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus mercurii et iovis, hora pomeridiana octava in speculae auditorio.

Elementa mathescos docebit C. H. D. BUYS BALLOT, ante ferias hiemales quotidie; post illas, diebus lunae, martis et mercurii, hora VIII.

Stereometriam, trigonometriam sphaericam et *algebram* C. H. D. BUYS BALLOT, diebus martis, mercurii et iovis, hora X, die saturni, hora IX.

Algebram superiorem et Geometriae analyticae elementa C. H. D. BUYS BALLOT, post ferias hiemales diebus mercurii, iovis, veneris et saturni, hora XII.

Oryctognosiam exponet P. I. I. DE FREMERY, diebus lunae et martis, hora II.

Geologiam P. I. I. DE FREMERY, diebus mercurii, iovis et veneris, hora II.

Geographiam physicam P. I. I. DE FREMERY bis per dierum hebdomadem, hora auditoribus commoda.

Exercitationibus mineralogicis praeerit P. I. I. DE FREMERY, die saturni, hora I—III.

Toxicologiam docebit I. W. GUNNING, Chemiae Lector, bis per dierum hebdomadem, hora auditoribus commoda.

I. H. HISGEN, Litterarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Litteras Germanicas et Litterarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII* exponet.

I. VENNING, Litterarum Anglicarum Lector, *Litteras Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

L. DE FRANCE, Academicus gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis et saturni, ab hora XII ad IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum Zoologicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DIE XXXI DECEMBRIS MDCCCLIV.

---

in	Facultate	Theologica	234.
"	"	Iuridica	170.
"	"	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	8.
"	"	Medica	54.
"	"	Math. et Phil. Nat.	10.
			476.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum

in	Facultate	Theologica	30.
"	"	Iuridica	30.
"	"	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	2.
"	"	Medica	24.
"	"	Math. et Phil. Nat.	2.
			88.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A DIE XXVII MARTII A. MDCCCLIV AD DIEM XXVI MARTII A. MDCCCLV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 2 m. Iunii 1854. Ecco Ekker, Rheno-Traiectinus, *publice* defensa Disquisitione *de Clementis Romani priore ad Corinthios Epistola*, Theologiae Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE IURIDICA.

d. 29 m. Martii 1854. Thomas Adrianus van Bommel, Harlemensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *cum laude*.

" 1 " Aprilis " Iacobus Ludovicus Didericus Emanuel van Brienen, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude*.

" 6 " " " Iacobus Philippus Albertus Leonardus Ram, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude*.

" 27 " " " Iacobus Iohannes Baud, Haganus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor *magna cum laude*.

" 3 " Maii " David van Weel, e pago Ooltgensplaat, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude*.

d. 10 m. Maii 1854. Guilielmus Nicolaus Pesters, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 20 " " " Martinus Mees, Roterodamensis, *plublice* defenso Specimine *de assecuratione in salvam navigationem quae dicitur*, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 22 " " " Iohannes Albertus Sandberg, Zwollanus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 31 " " " Ioannes Leonardus Wolterbeek, Danielis filius, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine historico Iuris Gentium *de Rheni navigatione*, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 1 " Iunii " Ianus Guilielmus van Rijckevorsel, Roterodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 3 " " " Cyprianus Gerardus Berger van Hengst, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 13 " " " Cyprianus Gerardus Carolus van Hengst, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 14 " " " Iohannes Iustinus Bergsma, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 17 " " " Iacobus van Heusden, Sylva-Ducensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 21 " " " Gideon Ianus Marius van Voorthuisen, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 26 " " " Cornelius Hartsen, Iacobi filius, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine *de natura Literarum Cambialium imprimis secundum recentiorum in Germania Iureconsultorem doctrinam*, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

d. 26 m. Iunii 1854. HERMANNUS HENRICUS VAN DE POLL, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 28 " " " IANUS DE FREMERY, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 29 " " " IANUS IACOBUS DE GEER, e pago Iutphaas, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 29 " " " GUILIELMUS HEMSING, Campensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 25 " Sept. " PAULUS PETRUS IULIUS CROMBET, Bononiae Morinorum (Boulogne) natus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 27 " " " IANUS GUILIELMUS ALEXANDER SCHNEIDERS VON GREIFFENSWERTH, Ziericseensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 30 " " " ANTONIUS IACOBUS GUILIELMUS FARNCOMBE SANDERS, Medemelacensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 14 " Oct. " CAROLUS ANTONIUS DIEDERICUS MOLHUYSEN, e pago Vucht, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 16 " " " PHILIPPUS CALLENFELS, Flessinganus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 23 " " " FREDERICUS LUDOVICUS RAMBONNET, I. Is. FILIUS, ex pago Eemnes, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 25 " " " IOHANNES ERNESTUS VON LÖBENSELS, Zutphaniensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 27 " " " CAROLUS GERARDUS VAN BAERLE, Haganus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 27 " " " FREDERICUS GOTHOFREDUS VAN MARLE, Zutphaniensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor *cum laude.*

d. 14 m. Nov. 1854. Arnoldus van Reigersberg Versluys, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 8 " Dec. " Iacobus Bredius, Woerdensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 14 " " " Guilielmus Gerardus Brantsen, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 16 " " " Iohannes Arnoldus Marinus van der Hardt Aberson, Drusiburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 19 " " " Iohannes Hermannus Fredericus Umbgrove, e pago Almen Gelrus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 21 " " " Guilielmus Nicolaus Lantsheer, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude*

" 21 " " " Guilielmus van Goltstein, Hamburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

" 16 " Jan. 1855. Petrus Damas van Citters, Medioburgensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 23 " Febr. " Ferdinandus Theodorus Pahud, ex urbe Batavia, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

" 17 " Martii " Guilielmus Ianus Royaards, Rheno-Traiectinus, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

" 24 " " " Eiso Bergsma, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Dissertatione historico-iuridica *de collegiis pupillaribus in Hollandia et Zeelandia*, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

" 3 " Apr. 1854. Ioannes Christianus ten Noever de Brauw, Woerdensis, privatim defensa Dissertatione Medica, *continente*

quaedam de spina bifida et hydrocephalo congenito, praemisso casu, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

d. 7 m. Apr. 1854. Wouterus Cornelius van Lockhorst, ex urbe Monte Hannoniae, privatim defensa Dissertatione Medica, *continente quaedam de resectionibus ossium*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 11 " Maii " Henricus Guilielmus Antonius Peters, e pago Boxmeer, Med. et Artis Obstetr. Doctor, privatim defensis Quaestionibus argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

" 2 " Iunii " Gerardus Andreas Alpherts, Culemborgensis, privatim defensa Dissertatione Medica *de cortice Rhamni frangulae, eiusque viribus in Nosocomio Traiectino indagatis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 17 " " " Arnoldus Franciscus Verhoeff, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Dissertatione Obstetricio-Medica, *continente historiam eorum, quae ultimo biennio in Nosocomio Academico observata fuerunt*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 17 " " " Quirinus Iohannes Marius Ianssen, Goesanus, privatim defensa Dissertatione Medica *continente casum compressionis medullae spinalis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 17 " " " Alexander Henricus Conradus van Driel, e pago Voorst, privatim defenso Specimine Medico *exhibente casum meninginitidis suppurantis in Nosocomio Academico observatum*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 28 " " " Cornelius Iacobus Philippus Winkler, Vianensis, privatim defensa Dissertatione Medica *continente quaedam de rheumatismo articulari acuto, variisque eius curandi methodis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 28 " " " Arius van Eyk, Heusdensis, privatim defensa Dissertatione Medico-Chirurgica *exhibente casum resectionis tibiae et fibulae, cum epicrisi, in Nosocomio Academico observatum*, Medicinae Doctor.

d. 28 m. Iunii 1854. Ianus Maats, e pago Zype, privatim defenso Specimine Medico *exhibente casum fistulae pulmonis in Nosocomio Academico observatum*, Medicinae Doctor.

" 1 " Iulii " Andreas Doncan, ex oppido Purmerend, privatim defensa Dissertatione Ophthalmico-Medica *continente de corporis vitrei structura disquisitiones anatomicas, entopticas et pathologicas*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

" 1 " " " Henricus van Wyngaarden, ex urbe Willemstad, privatim defensa Dissertatione Ophthalmico-Medica *de perspicillis stenopoeis ad visum obfuscata cornea turbatum emendandum accommodatis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 1 " " " Stephanus Daniel Cartier van Dissel, I. filius, e pago Winterswijk, privatim defensa Dissertatione Medica *de ossium mutationibus, qualis in rhachitide observantur*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

" 7 " " " Guilielmus Baarslag, Amstelodamensis, *publice* defensa Dissertatione Medica *continente duas historias morbi in Nosocomio Amstelodamensi suburbano observatas*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

" 16 " Oct. " Adrianus Heynsius, e pago Moordrecht, Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, privatim defensa Dissertatione Medica *de susurrorum vascularium explicatione physica*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

" 24 " " " Arnoldus Sander Leonardus Guilielmus Gerardus Abeleven, Med. et Artis Obstetr. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor.

" 28 " Nov. " Stephanus Daniel Cartier van Dissel, I. filius, e pago Winterswijk, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

" 30 " " " Guilielmus Iohannes Franciscus Nuyens, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

d. 16 m. Dec. 1854. Emilius Rudolphus von Eichstorff, e pago Winterswijk, privatim defenso Specimine Chirurgico-Medico *de methodo cruris, exciso pede, per osteoplasin longitudine augendi*, Medicinae Doctor, *magna cum laude.*

" 18 " " " Arnoldus Franciscus Verhoeff, Rheno-Traiectinus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *magna cum laude.*

" 21 " " " Gerardus Cornelius Petrus de Ruiter, Rheno-Traiectinus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doct., *cum laude.*

" 24 " Ian. 1855. Iohannes Hubertus van der Meer Mohr, Goesanus, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

" 22 " Febr. " Andreas Doncan, ex oppido Purmerend, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

" 13 " Martii " Gerardus Andreas Alpherts, Culemborgensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *magna cum laude.*

" 17 " " " Ianus Maats, e pago Zype, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor.

" 24 " " " Cornelius Iacobus Philippus Winkler, Vianensis, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

" 24 " " " Emilius Rudolphus von Eichstorff, e pago Winterswijk, Med. Doctor, privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

d. 1 m. Sept. 1854. Petrus Adrianus Bergsma, Gandavensis, privatim defensa Dissertatione Historico-Physica *de phosphores-*

centia per irradiationem, Nederlandice scripta hoc titulo: *over de phosphorescentie door bestraling*, Matheseos Magister Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

d. 16 m. Sept. 1854. Cornelius Laurentius Vlaanderen, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Disquisitione Chymica *de herba nicotiana, imprimis de eius principiis anorganicis*, Nederlandice scripta hoc titulo: *over den tabak, voornamentlijk over zijne onbewerktuigde bestanddeelen*, Matheseos Magister Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

" 11 " Dec. " Iohannes Tip, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Dissertatione Physica *de caloris et luminis electrici phaenomenis, quae fluxus directione moderantur*, Nederlandice scripta hoc titulo: *over de electrische warmte en lichtverschijnselen, die door de rigting des strooms gewijzigd worden*, Matheseos Magister Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

" 6 " Febr. 1855. Thade van Doesburgh, Schiedamensis, privatim defensa Dissertatione Physica *de colorum mixtione et dimensione*, Nederlandice scripta hoc titulo: *over kleurmenging en kleurmeting*, Matheseos Magister Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

HONORIS CAUSA.

" 14 " " " Petrus Bleeker, ex oppido Zaandam, Math. Mag. Phil. Nat. *honoris causa* Doctor, Medicus Militaris in Insula Iava primarius, Medicinae Doctor creatus.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI

INDE A DIE XII OCTOBRIS MDCCCLIV AD XI OCTOBRIS MDCCCLV

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

CORNELIUS STAR NUMAN.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

JACOBUS HERMANNUS PHILIPSE.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. NIENHUIS.
C. STAR NUMAN.
J. H. PHILIPSE.

IN FACULTATE MEDICA.

J. BAART DE LA FAILLE.
J. HISSINK JANSEN.
F. Z. ERMERINS.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
W. A. ENSCHEDÉ.
J. W. ERMERINS.
P. J. VAN KERCKHOFF.
N. MULDER.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT. W. MUURLING.
L. G. PAREAU.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE. J. A. C. VAN HEUSDE.
J. A. C. ROVERS. W. J. A. JONCKBLOET.
J. J. P. VALETON.

LECTOR PAEDAGOGICES.

W. HECKER.

CORNELII STAR NUMAN

ORATIO

DE

DISCIPLINAE, QUAE IN IURIS NATURA EXPLICANDA VERSATUR, SIVE DE IURIS DOCTRINAE PHILOSOPHICAE AMBITU ET GRAVITATE,

HABITA GRONINGAE

A. D. XI M. OCTOBRIS A. MDCCCLV,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES QUIQUE IIS AB ACTIS ES, PROFESSORES, ALUMNI, CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES EXOPTATISSIMI!

E disciplinis ad iurisprudentiam pertinentibus ea, quae ius naturale appellata est, saeculo nostro magis magisque in contemtionem venit. Quod aeque fatentur qui merito accidisse contendunt atque ii qui immeritae negligentiae culpam praeiudicatis hominum opinionibus erroribusque tribuunt. Multis vestrum, Auditores! nondum memoria excidit oratio, quam ante triginta fere annos *de philosophica iuris doctrina hac nostra aetate multis iniuste contemta* habuit GABINUS DE WAL, quum huius Academiae magistratum abdicaret, publice suscepto huius derelictae fere causae patrocinio. Et cuinam tandem in patria nostra iureconsulto ignota est doctissima eiusdem egregii viri commentatio, *de disciplinae iuris naturalis praestantia deque loco quo sit habenda*, ab Instituti Regii Belgici classe tertia proposita, quae peritis iudicibus adeo feliciter dubia solvere visa est, ut auctor non tantum praemio ornaretur, sed etiam a nonnullis scientiae, cuius parens dici solet HUGO GROTIUS, praedicetur servator. Verumtamen nec magna doctrinae copia quam tum in his tum in reliquis viri praeclari scriptis admirari solemus, nec communis fere nostratium adsensus, nec denique amplissimi corporis comprobatio impediverunt quo minus illud iuris naturalis, quod accuratius iuris rationalis dixeris studium, in dies ita decreverit ut fere exstinctum dici possit. Etenim in nulla Germaniae universitate, e qua tamen regione tota haec philosophandi ratio ad nos manavit, ullum hodie invenit strenuum dignitatis suae adsertorem. Multi contra ibi alio prorsus

modo iuris naturam explorandam esse censent. Hi, utut multum inter se dissentientes, in hanc unam interrogatiunculam conspirant, quam nuper Roscherus, scriptor de oeconomia politica eiusque historia optime meritus, enunciavit: „Quis tandem auctoritatem adhue aliquam fidemve „tribuat veteri isti, i. e. obsoleto, iuri naturali?" Nec lenius sane iudicium est, quod de disciplinae iuris naturalis fatis Francorum lingua protulit qui ad principes, non patriae tantum, iureconsultos merito refertur Adrianus Catharinus Holtius. „Replicantibus nobis", hue enim eius verba redeunt, „historiam iurisprudentiae atque mutationum quas hoc quo vivimus saeculo „subiit, manifestum est nonnullas imo multas eius partes a maioribus tra„ditas evanescere, novisque elementis proprium locum et viam concedere. „Ita, ut hoc unum excitem, *naturalis* illa a Grotio et Pufendorfio condita „iuris scientia sic a vera ratione lapsa videtur ut eadem ei sors immineat, „quam astrologia, alchymia, alii multi audacis simul et vani hominum „ingenii conatus subierunt. Tempus ea omnia ad oblivionem damnavit. „Pariter iuris naturalis doctrina magis magisque perit, aliaque de iuris „natura sentiendi ratio aditum sibi ad multorum aures animosque parat." Mitto alios numero plures: sed audienda etiamnunc Stahli vox est, philosophi a multis contemti, a nullo contemnendi, eum philosophandi modum nunc fatiscere profitentis quo et rerum natura et indoles humana uniee e ratione hominis legibusque et definitionibus logicis deriventur omniaque instituta socialia ad praeconceptas formulas componantur atque exigantur. Hic enim modus perpetuam pugnam vitam inter atque imperiosae doctrinae postulata excitavit. Idem autem tantum abest ut philosophiam negligendam improbandamve existimet, ut vehementer doleat huius studium nunc ubivis ferc iacere aetatemque nostram, spreta illa omnium nobilissima disciplina, cas maxime honorare et colere, quae cognitionem et scientiam persequantur carum rerum quae uniee appareant et cernantur, quacque in factis positae vel ad artem factitandam usumque vitae vulgarem et quaestuosum idoneae videantur. Qua quidem in re me ita dissentientem habet, ut existimem, ipsas illas doctrinas sublimioribus studiis perpetuo nobilitandas esse, quod veri earum professores facere solent, sed tamen florem et fructus quos pariunt quique immensi sunt, *philosophae methodo* qua pertractantur ante omnia debere. Itaque me iudice, carum disciplinarum

quae prae eaeteris philosophae appellantur cultores optimum ab ea ratione exemplum sibi sumere debent. Sed ut ad scriptorem ad quem proxime provoeavimus redeamus, iurisprudentiae munus in eo ponit ut, praeter alia multa quae suscipere in se atque perfieere debeat, in vera iuris prineipia inquirat, eaque seientiae veluti maiestate septa et munita tueatur adversus instantem atque ingruentem aggressorum vim, qui dum ea delere ex ingeniis hominum atque institutis populorum student, ipsi quoque perpetuo ad scientiam provoeant. Num quaestio, quaenam sit natura proprietatis, PROUDHONO unice diseeptanda et dirimenda relinquetur? Ergo de eius opinione philosophia minime tamquam hostis areeri, eontra studium eius uniee commendari atque eelebrari meretur, quippe quae veluti animus sit omniumque artium et doctrinarum vita dicenda: optandum autem quam maxime ut meliori via ae ratione sed pari ingeniorum alacritate et eontentione ad iurisprudentiam tradueatur, quae KANTII, FICHTII, FEUERBACHIIque aetatem distinguunt et notant.

Quae quum ita sint, quumque de meliori iuris philosophiam tractandi modo vehementer adhuc discrepent eorum adeo auetorum sententiae qui revera ad eam exeolendam haud parum eontribuerint, equidem neque a munere quod gero, neque a magistratus quo abeo dignitate alienum existimavi, si solenni hae opportunitate paueas in medium proferrem animadversiones tam de iis quae in disciplina nune prope dimissa merito desiderabantur, quam de prineipiis quae ad eam firmius constituendam mihi saltem aliquid eonferre posse viderentur. Itaque me *de disciplinae quae in iuris natura explicanda versatur, sive de iuris doctrinae philosophicae ambitu atque gravitate* dieentem ea humanitate audiatis quam nemini ex hoc suggestu verba faeienti recusare soletis.

„Natura iuris explieanda nobis est, eaque ab hominis natura repetenda." Hoc CICERONIS effatum a nonnullis improbatum est, monentibus quippe atque adeo indignantibus hominem ita depresso Deo in coelum extolli. Equidem id minime impium eenseo, modo vera voeis *naturae* significatio perspiciatur. Dupliei enim sensu eam aeeipimus, tum pro *principiis* quae a CICERONE *naturalia* dieuntur, tum pro illo quod ad ultimam sui generis formam speeiemque pervenit. Differt, ut THOMAE MAGISTRI verba expri-

mam, natura a substantia, quae est conditio, status in quo singula versantur. Natura vero est vis insita universis quae animata sunt. Itaque natura terrae est ut herbas proferat, ignis ut ardeat. Addendum naturam esse hominis ut insita vis doctrina rectoque cultu promoveatur. Quae vis si in se perfecta atque ad summum perducta sit tum demum ab ARISTOTELE *natura* dicitur. Duplex hic sensus accurate retinendus iureconsultis est. Disciplina enim, quae in iuris natura illustranda versatur, perpetuo respicere debet, a quo fonte et quemadmodum iura, quibus populi usi sunt atque adhuc utuntur, sint orta; attendere debet ad eorum cursum cumque tota populorum vita cohaerentiam: tum vero ad perfecti iuris institutorumque socialium speciem ad quam exigenda sint prudenterque emendanda iura et instituta quibus gentes utuntur. Eoque magis hominis naturam homo referre merito censetur, quo magis animo atque exemplo Dei imaginem, quam solus IESUS CHRISTUS plene expressit, referat. Itaque si eo modo haec verba capiuntur vere pieque hanc sententiam iterare videmur: *Natura iuris explicanda nobis est eaque ab hominis natura repetenda.* Et haec causa est cur doctrinam de qua agimus potius naturae iuris quam iuris naturalis nomine significemus. Sed alia etiam hoc loco commemoranda. Nomen enim illud ipsum *ius naturale* magnam semper peperit opinionum conturbationem atque confusionem quae scientiae excolendae multum nocuit. Quod nemo iureconsultus inficias ibit, cui sponte triplex ista in mentem venit iuris Romani distinctio, crux ista tironum pariter atque eruditissimorum adeo interpretum, quippe inter quos ne hodie quidem de vera eius significatione constet; quodque neminem fugiet, qui historiam disciplinae ad nostra usque tempora sit persecutus. Inter Ecclesiae patres ante omnes AUGUSTINUM hic nuncupo, e scholasticis THOMAM AQUINATEM, deinde principes eos viros qui religionis Christianae sinceritatem revocare studuerunt, postea HOBBESIUM, SPINOZAM, LOCKIUM, WOLFIUM, ROSSAVIUM: denique eos qui, modo retento vocabulo, modo alio adhibito, iure naturali non illud ius comprehenderunt quod a *natura* hominis derivandum sit, quamvis omnes hoc sibi sumserint, sed a ratione humana, qualis sese in omnibus omnino hominibus ratione non omnino destitutis, et singulis populis, et cuncto genere humano aequabili modo prodere censebatur. His igitur, „ius naturale illud erat ius quod sive in civitate

„ sive extra civitatem e ratione oritur atque per rationem non dico *agnosci-*
„ *tur*, sed unice *cognoscitur*."

Num mirum est, Auditores! doctrinam de qua agimus alio sensim nomine appellari coeptam esse? Simile quid *theologiae naturali* evenit. Quae ita a nostratibus in vulgus dicta est, suspicante HERMANNO BOUMANNO, viro uno in paucis doctissimo, per CHRISTIANI WOLFI auctoritatem. Nomen post HEYDENREICHUM apud Germanos quidem magis magisque in desuetudinem abiit. Item apud nos obsolescit. Ita sententiarum conversio magnam, ut ait ille, ad usum loquendi vim habere solet: nondum vero, ut mihi quidem videtur, tantam quantam mutata multarum disciplinarum ratio propemodum postulare videtur. Dici enim vix potest aptus vocabulorum usus quam prosit, ineptus quam noceat veritati, gravissimaque adeo damna vitae pariat. Nonnunquam quidem, nisi fallor, librum emtoribus commendandi causa haec pars iurisprudentiae etiamnunc ius naturale, rationale, nominatur; plerique vero physiologiae, naturae, philosophiae iuris titulum praeferunt: servatae enim *philosophiae* honorem omnes sibi vindicant scriptores, qui variis his nominibus utuntur. De vera tantum philosophandi ratione ab iis dissentiunt qui hanc sibi soli arrogaverunt. Quaestio igitur non est, num philosophandum sit de iure, sed quomodo?

Meam de significatione vocabulis *natura iuris* tribuenda sententiam exposui. Superest ut de natura hominis agam tamquam fonte unde omne ius sit derivandum. Cunctae disciplinae atque artes, Auditores! maxime autem earum praecipua, quippe parens, philosophia, a natura hominis ducendae atque ad eam excolendam et perficiendam referendae sunt. Neque arctissimam omnium necessitudinem cumque naturae humanae unitate cognationem umquam negligere ii debent qui singulis praecipuam operam navant. Ii tamen non ante omnia spectare possunt ut hominis naturam in omnem partem explorent: quod propter generis humani imbecillitatem atque peculiare singularum doctrinarum propositum ne a praestantissimis quidem ingeniis exspectari potest.

Caeterum magnum est et mirabile quod ea qua vivimus aetate omnes disciplinas quae naturam rerum indagandam sibi proponunt ad eum florem pervenisse constat tantumque utilitatis fructum generi humano ferre, quantum ex anterioribus nullae, imo ne universae quidem viderint atque per-

eeperint. Quod praecipue tribuendum existimo indefessis serutatoribus, qui quo minus praeiudicatis opinionibus ducti fuerunt, eo religiosius et simplicius *naturam* ipsam interrogare atque explorare coeperunt. Pariter theologi, quaenam sit religionis *natura*, Iesumque Christum, *naturam* tum Dei, tamquam hominum *patris*, tum *hominis* hominibus atque generi humano plene patefecisse et ipsi perspiciunt atque omnibus declarare studeut. Ut grammaticos omittam, historia a praestantissimis scriptoribus ita tractari atque enarrari solet, ut quantum fieri possit, ad intimam vitam sive singularium hominum seu populorum totiusve generis humani penetrare conentur, vel etiam quomodo populi indolem suam atque ingenium in literis, artibus, linguis excolendis in rebus domi militiaeve gestis expresserint, separatim memoriae tradant. Meae autem disputationis est huiusque loci inprimis commemorare et celebrare, ad societates ipsas divinum illud praeceptum omnisque verae philosophiae principium *γνῶθι σεαυτόν* nunc potissimum magis magisque traduci coeptum esse.

Sunt fortasse qui, quamvis non negent, quod ego laetus affirmo, tamen contendant hoc unice adscribendum esse malis atque calamitatibus, quibus tam graviter populi oppressos sese sentiunt ut anxie remedia quaerant interdumque pro salutaribus mortifera sibi comparent. Itaque propterea putant maxima eum eura atque animi sollicitudine in egestatis causas inquiri, quoniam egenorum numerus numquam tantus fuerit apud eos populos, qui inter optime moratos et florentissimos haud immerito censentur, quantus nostris temporibus: ideo de poenis mitigandis, de earceribus emendandis, imo vero de innumeris vitiis, quae in rerum publicarum leges, instituta, iura, mores, sacra, per hominum ignorantiam, infirmitatem, peccata irrepserint, tollendis cogitari atque agi, quia numquam antea magis conspicua fuerint. Sed hoc ipsum, omnia illa nunc conspicua esse quae olim pariter aderant, nec raro multo magis quam nostro aevo, *non vero conspiciebantur;* penitus a permultis persentiri omnium illorum morborum gravitatem atque imminentia undique societatibus humanitatisque causae pericula; nobilissima quaeque ingenia uno veluti ore profiteri immanem esse hominum servitutem bellaque belluis magis quam Christianis populis digna; hoc ipsum, inquam, aliaque multa nonne probant verissime me contendere populos, quo cultiores revera fiant, eo studiosius ad

sui notitiam adspirare atque ad conscientiam sui pervenire? Critica omnino est aetatis nostrae ratio, severumque iudicium in semet ipsa exercet.

Universam igitur societatum, quae e natura hominis, qualis nobis ex singulorum populorum vita atque variis vitae iurisque necessitudinibus apparet, sponte redundaverunt, conditionem, tanquam perpetuae commentationis meditationisque materiem sibi sumere debent iureconsulti. Hoc enim studio nunc continetur divinarum illa humanarumque rerum notitia, in qua iurisprudentiam versari olim existimarunt eius antistites: cui officio praestantissimi viri ita satisfecerunt ut arctissimam atque inimitabilem fere scientiae artisque in iis coniunctionem ne omnium quidem saeculorum posteritas satis admirari posse videatur. Attamen non in solo iure civili causisve forensibus munus iureconsulti consistit: quamquam sine accurata tum hominum, tum societatis, tum rerum de quibus agendum est cognitione, nec recte de iure respondebit neque ad ius excolendum aliquid conferre poterit. Enimvero longe plura et maiora in patria quoque nostra ab eo postulantur, hoc ipso tempore quo haec disputo. Multa enim inde a proximis annis apud nos mutata sunt in imperii ordinatione rerumque civilium procuratione. Qua in re procul dubio suas partes egerunt haud pauci, qui in omni civitate solent esse novarum rerum cupidi, ut aliorum regnum vel dignitatis honorisque sedem occuparent, summa imis miscerent. Fateor, diversissimo proposito, sed tamen multi boni cives adducti sunt in eam opinionem ut putarent ad rempublicam administrandam vocandos esse qui commoda eius atque emolumenta melius perspicerent atque procurarent quam qui eam adhuc gessissent. Itaque aut ego vehementer fallor, aut nisi scriam et severam operam dent iis doctrinis, quae ad vitam socialem cognoscendam legibusque et institutis emendandam pertinent, eum locum non sustinebunt iureconsulti quem in civitatis, regionum, urbium pagorumque regimine ubivis fere post imminutam civilem clericorum auctoritatem obtinuerunt. Quotannis enim leges rogantur de gravissimis civitatis commodis, saepe de iis e quibus populi salus magna ex parte pendet: imo, ne hominis quidem aetas sufficiet ad supplenda omnia quae lex de imperio anni CIↃIↃCCCXLVIII legislatoris curae reliquit. Hae autem leges aliaeque multae quas recensere fere infinitum est, modo ad ea attendamus quae quotidie desiderantur, inutiles sunt et plerumque

damnosae, nisi *natura* iuris ad statum atque *naturam* rerum quae iure ordinandae sunt, accommodetur. Haec vero si inter se repugnent, si legislator levitate, ignorantia egerit eave superbia qua iuris naturalis scriptores multique legislatores recentiores vitam iuraque populi ad praeconceptos suos de iuris rerumque natura errores contorquere conati sunt, nihil fere perniciosius cogitari potest aut temerarium magis. Nullo enim alio iure legislator populi instituta suo arbitratu regit, quam grammaticus linguam, medicus corporis humani constitutionem. Pericula semper sunt facienda: ergo quis improbabit? Modo a doctis sapientibusque viris quam prudentissime fiant, qui persuasum sibi habent populos non *machinas* esse nec homines *ranas*, sed divino spiritu vitam eorum intus ali et moveri. Quocirca merito ii populi laudantur qui ante perscrutari in omnem partem verum rerum statum solent, de quibus excolendis agitur, quam ius suum mutent, quique censent in rebus novis constituendis evidentem esse debere utilitatem. Hi enim hoc saltem consequi solent ut mutatio revera sit stabilis emendatio qua (ut Ciceronis verbis utar) praesentia praeteritis tam apte nectuntur ut futuris optime prospiciatur. Contra qui leges ferunt de negotiis, institutis, quorum ignorant naturam, qui populum non pluris faciunt quam chartam cui quidlibet inscribere possint, ut de Josepho II Catharina II pronuntiavisse narratur, hi continuis fluctibus, procellis, motibus societates exponunt.

Haec igitur de natura hominis sociali, de naturali societatum humanarum ortu atque progressione, deque doctrinarum socialium cum ea coniunctione animadvertenda videbantur. Vita socialis cogitari non potest nisi iure ordinata. Iura sunt omnis pacis, libertatis fundamenta, praesidia: his convulsis omnis societas dirumpitur. Quamvis enim non omnes vitae necessitudines, quibus homines sese coniunctos sentiunt, iuris ordinationem requirant, nonnullaeque earum eam adeo respuant, uti amicitia, benevolentia, caritas erga parentes, patriam, pietas erga Deum, tamen iure labefactato vel sublato, haec quoque summa bona summe periclitantur, pereunt. Nam implacabiles inimicitiae, odia, bella, tanta se ferocia erumpunt ut hominum immanitas ipsa feritate tetrior sit dicenda. Verissime Schillerus in exquisitissimo carmine, ne leonis quidem et tigris magis

esse periculosam terribilemque audaciam pronuntiat quam hominis *fanatici*. Equidem semper professus sum, Auditores! errores hominum haud minores generi humano calamitates peperisse atque parere quam peccata. Idem probat iuris naturalis historia. Diu existimatum est et adhuc existimatur, ab unita singulorum hominum voluntate, qui sui prorsus iuris, aequales, pares essent, omnem omnino societatem, omne omnino imperium, omnes iuris necessitudines repetenda, eademque *utilitatis* tantum causa condita vel inventa esse, omnemque inaequalitatem e societate hominum manare. Itaque penes populum eiusve legislatorem est, de his omnibus infinitisque aliis institutis, quae omni aevo gentibus communia fuerunt, quoniam ex hominis natura provenerunt qualis a Deo creatus est, libere statuere. Qua in re ita versati sunt ut omnia docerent quae sponte ducuntur ex opinione: „homines naturaliter prorsus esse singulares, omnemque iuris societatem „nasci e privatis hominum conventionibus." Itaque iuris naturalis est: „bona defuncti cedere primum occupanti." Quid enim absurdius quam homini ius concedere de rebus suis post mortem decernendi? Cessant enim omnia iura cum vita. Consequens erat ut adderent, successionem ab intestato pariter atque ex testamento contra naturam esse: imo, quamquam neutra probanda sit, illam hac magis improbandam videri: successio ab intestato *praesumtam*, testamentaria *expressam* defuncti voluntatem declarat. *Inaequalitatem* ordinis, dignitatis, bonorum, iurium *malum* esse affirmabant, quod alii ipsi *societati*, alii rerum *proprietati*, in societate iniuria introductae, imputabant. Quod malum *his* necessarium, *illis* cum omnibus eius causis earumque effectu radicitus exstirpandum videbatur. Cathedrarii philosophi haec principia in scholarum umbra in libris Latina plerumque lingua conscriptis tradiderunt tanquam indubitata iuris naturalis praecepta, optima fide, per multos annos usque ad nostram aetatem, in universa fere Europa, placidis auditoribus lectoribusque nihil mali suspicantibus. Simul autem fervidioris exstiterunt ingenii homines in Gallia, Italia, Anglia, America, in patria nostra (prae caeteris Rossavium, Beccariam, Paynium memoro) qui popularibus scriptis suis similia prorsus magna eloquentia, elegantia, evidentia centenis millenis hominibus per totum terrarum orbem commendaverunt. Quid enim simplicius, evidentius, ad ignorantium captum accommodatius cogitari potest quam eorum series placitorum quae sponte

e nuda hominis, societatis, civis notione derivantur, neglecta, spreta adeo omni infinitae varietatis atque naturalis inaequalitatis consideratione, quae tamen in nullo animantium genere magis quam in genere humano conspicua est? *Denudarunt* igitur vitam hominis *socialem*, veluti ornatu suo, *societatibus; iuris* scientiam scientia iuris publici rerumque civilium et socialium; *iuris naturalis doctrinam* tum iuris quo populi utuntur cognitione, tum historiae philosophiaeque lumine privarunt: ut quam brevissime dicam, hominem societate *exuerunt*, eum adeo in modum ut ne post initam quidem liberis suffragiis civitatem eum cum hac conciliare potuerint.

Hic igitur est ambitus disciplinae quae in iuris natura explicanda versatur. Omnem complectitur vitam hominis socialem eiusque finem tamquam *materiem sibi subiectam cui ipsa inservire debeat.* Minime enim eam totam regit: sed tamen tota cognoscenda est, ut eae vitae necessitudines, quae aut omnino, aut omnino non, aut partim iuris ordinatione indigent, a reliquis distinguantur. Gravissimae quaeque quaestiones quae in republica agitari solent de ipsis fundamentis, quibus superstructae sunt hominum societates quaeque eas sustentant et tuentur, de prosperitatis publicae atque privatae fontibus, sedem habent in ea disciplina quae de natura iuris agit ex sociali hominis natura derivanda. Multa profecto iniqua sunt in iure institutisque populorum, quae emendari debent atque perfici; sed indelebilis est inaequalitas a Deo creata. Indelebile rerum communium singulorumque discrimen, non a legislatore fictum, sed e natura rerum haustum. Communes enim sunt quae nihil omnino *valent* quamvis sint *inaestimabiles*, ita ut sine iis ne per breve quidem tempus animam ducere homo possit. *Indelebilis* societas, civitas est, quamvis innumera sint civitatium civiumque vitia. Ut verbo dicam, homo nihil potest *creare*: contra omnia ad suum arbitrium *mutare*. Non autem continua *mutatione*, continua *emendatione* rerum publicarum salus continetur quae ab accuratissima demum rerum humanaeque naturae scientia exspectari potest.

Gravissima autem appellanda est disciplina, *latissime* patens. Rem a iuris naturalis doctoribus perditam restituere conatur. Periclitantis societatis humanae, id est, humanitatis causam in se suscipit, vindicat, adversus eos qui quum idem peragere debuissent alia omnia egerunt atque effecerunt. Copulat hominem cum societate a qua eum alienaverant iuris natu-

ralis doctores: iura quibus populi utuntur eorumque historiam cum ideis iuris, quae ipsae per se spectatae nullam obligandi vim habent, sed tamen perpetuo animare, corrigere, perficere instituta legesque debent. Eadem lucc clarius ostendit, non coelum magis a terra distare quam emendationis studium a rerum novarum cupidine meretriciamque Gallorum libertatem a virginea illa cuius imaginem maiores nostri nummis suis expresserunt, ut ex hoc signo per totum terrarum orbem omnibus constaret, qualem libertatis sacrae civilisque speciem Neerlandia prae cunctis aliis gentibus sibi finxisset. Hanc *colere* atque *excolere* HUGONIS GROTII populares decet. Hacc enim principia non ducta a mancis illis Gallorum recentiorum de libertate, fraternitate, aequalitate decretis sunt, sed a puris, sinceris, sublimibus, simplicibus Christianae religionis praeceptis, quae incredibili amore amplexus atque professus fuisset veterum philosophorum optimus quisque, recentiores vero grandi supercilio despexerunt, parum suspicantes verum, quod in ipsorum erroribus lateret, unice illis esse tribuendum.

Dicam quod sentio. Religionis Christianae principia quae ad recreandum et regenerandum genus humanum destinata est, incredibile dictu est quantum ad regenerandam philosophiam et possint et debeant efficere.

Restat ut ea enarrem, quae hoc, qui effluxit, anno huic Academiae acciderunt. Utramque sortem, ut fieri solet, experta est. A tristibus initium facientibus commemorandum est Academiae tres iuvenes hoc anno morte esse ablatos: GUILIELMUM VAN THYE HANNES, iurisprudentiae destinatum, SIBRANDUM WINSEMIUM, disciplinis physicis deditum; IOHANNEM HENRICUM BLEIJENBERG, qui mense demum Iulio nomen albo studiosorum inscripsit. Horum memoria iucundissima merito est manebitque parentibus atque commilitonibus, qui *mutua* sese *fide* vivere velle, mortuosque *pie colere* palam solent honestissimo modo profiteri.

Huius urbis praefectus, Academiae Curator, carissimo filio est orbatus; parumque praeviso atque irreparabili tibi casu uxorem amisisti, amicissime DE LA FAILLE! matronam spectatissimam, domus tuae tuaeque civitatis Groninganae, sexus sui decus atque ornamentum, cuius virtutes et merita

grata mente omnes boni recordantur atque suis commendant. Haec solatia *nos* omnes tibi praestare possumus: alia longe meliora ipse tibi quotidie praestas. Namque tibi persuasum habes, nullam communitatem inter homines adeo intimam esse atque indissolubilem, quam eam quae nos cum iis mortuis conciliet quibuscum veluti cum praesentibus praesentes cogitare, agere, meliorem omnino vitam vivere pergamus.

Lector de Academia nostra bene meritus, quae hoc alumno iure gloriatur, quique diem hunc festum nobiscum alacriter atque festive ut solet agere in animo habuit, subita calamitate oppressus domi iacet liberis eius adhuc superstitibus in summo vitae periculo versantibus, ita ut vix a lacrymis temperare possint, quibus et ipse carus est, inque venis atque medullis i. e. in animo et pectore liberi haerent.

Ad minime laeta referimus duos professores in eo esse ut ab hac Universitate discedant. Horum alter ad cathedram Traiectinam vocatus est, alter causariam a rege missionem petiit. Tibi, Roversi! uti datum honorem gratulati sumus, ita a te acceptum aegre tulimus. Frustra te quominus acciperes Senatus nomine deprecatus sum. Quamquam qui te norunt minime ignorant, te non nisi bene subducta ratione Groninganae stationi Traiectinam praetulisse. Illa enim tibi multis nominibus cara est atque manebit, cum propter amicos quos hic invenisti aut naetus es multaque alia quae tibi grata fuerunt, tum propter carissimorum capitum desiderium quod ab huius urbis atque Academiae cogitatione atque recordatione separare non potes. Utinam tibi tuisque in nova eruditionis tuae fortunarumque sede non dico meliora sed feliciora contingant! Academiam, certo scio, non tuum erga nos animum mutas, neque nos nostrum erga te mutabimus. Illa autem meis verbis publice gratias tibi agit quod te non prius a scholis habendis abstinueris quam Curatores successorem te dignum Regi designare potuerint. Iamque publice vale et salve tibi dico, Collega coniunctissime! perge nos amare.

Quid Heusdio dicam, veteri domi militiaeque commilitoni atque optatissimo collegae? Novit quonam animo fuerim quum mihi, Academiae Rectori, paucis ante ferias diebus, propositum nostrae Academiae valedicendi clam communicaret. A quo ut desisteret tum Universitatis tum ipsius causa quid ego quoque tentaverim meminit. Verum quum omnes

conatus frustra fuerint, nihil mihi superest, quam ut ex hoc loco ei iterem, quae privatim ex Senatus mandato expressi, dolere eum non unam ob causam eius discessum, sperare autem ipsum optato cum dignitate otio quam diutissime esse fruiturum. E quo quin egregios fructus perceptura sint patria et studia in quibus vitam agit, nemo dubitat qui eum cognoscit. Ei autem persuasum sit, nos nomen eius animique modestiam atque liberalitatem in Academiam atque urbem eodem semper honore quo Roversium esse prosecuturos. Integrum manet vinculum amicitiae quo cum eo coniuncti viximus.

Denique non laetum Senatui Academico accidit, collegium quod quotannis de totius regionis Groninganae statu ad eius Ordines refert, hoc denuo anno ius sibi sumsisse, certe in futurum reservavisse iudicium suum pronuntiandi de gravissimis quibusque quaestionibus quae sive ad huius Universitatis sive ad omnium in patria nostra Universitatum conditionem internam sive adeo ad optimam eas emendandi rationem pertinent. Hoc enim, ut in vulgus notum est, multis rem mirantibus, superiori anno fecerat. Itaque Rector et Senatus censuerunt, eos in culpa esse qui rebus sese immiscerent nihil ad se pertinentibus quique sese interponerent in ea negotia quae Regis Augustissimi atque Curatorum, virorum amplissimorum, providentiae unice essent relicta. Omni in republica rem esse mali exempli, si non quaevis potestas sese prorsus inter iustos imperii fines contineat: principiis hic esse obstandum, sero enim malo medicinam parari: omnino licere viris honestissimis deque agri Groningani commodis sollicitissime curam agentibus tanquam privatis hominibus, de Academia et professoribus et optima instituendi cives Academicos vel honoraria inter collegas partiendi ratione, linguae denique Latinae usum in Academiis abolendi necessitate similibusve negotiis prouti de reliquis omnibus rebus sacris atque profanis libere opinari, loqui, sententiam edere, publice privatim, veram falsam, iustam iniquam, aptam ridiculam, sed Groninganum illud inprimis collegium eo prudentius cautiusque in toto hoc negotio procedere debuisse quo magis omnibus constaret *nemini* eorum virorum, de quorum caeterum laudibus atque virtutibus equidem nihil velim detractum, institutionem liberalem nedum Academicam contigisse. Itaque Senatus praevenire similia studuit, duabus epistolis non ad Regem, cuius causa

hic agi nonnullis videbatur, sed ad auctores iniuriae missis. Egit hac in re, ut omnes norunt, humaniter, candide, fidissime atque e theologorum Christianorum, quorum animi ad pacem perpetuam perpetuo compositi sunt, voto: nec vero ab eius sententia discrepabat Ministri regii iudicium quod utrimque exoptatum est, qui nostram agendi rationem minime improbavit. Nunc autem anxie quidem, quod nemini mirabile videbitur, sed tamen quiete, quippe bona officii conscientia freti, quotannis exspectabimus, quid sibi voluerit mali illud ominis: „Quos ego!" quod hoc ipso anno audivimus. Num fortasse

„Post mihi *non simili poena* commissa luetis!".

Praestitisset sane eque republica fuisset motos fluctus componere quam irritare. Quidquid eveniet, Senatus a recta quam ingressus sibi esse videtur via non decedet.

Ad laetiora proficiscimur, properamus. Nec sane festo hoc die desunt Academiae laetandi causae. Quis enim non mecum gaudet salvum esse atque incolumem Regem regiamque domum, eamque esse carissimae patriae conditionem ut, modo non partium studiis conturbetur aut factionibus dilaceranda tradatur, nihil magnopere habere videatur quod aliis Europae populis invideat. Imo ad hos cum animum advertimus paene subit illud poëtae: „O fortunatos nimium, sua si bona norint!" Salvi sunt Curatores, qui Academiae commodis summo studio atque optima erga eam voluntate prospicere pergunt: salvi omnes collegae, quod eo maiori in felicitate deputandum est, quo plures hoc anno leviori graviorive morbo affecti fuerunt: salvi denique studiosi iuvenes, e quorum tamen numero tres morte ereptos esse modo accepistis.

Magna cum voluptate accepimus, Viri Clarissimi Mulder, Francisce Zacharia et Iane Guilielme Ermerins! regiae vos Academiae artibus atque disciplinis excolendis adscriptos esse, inque similis laudis societatem vos venisse, Collegae aestumatissimi de Greuve et Ionckbloet! Vos nullus dubito quin lubentissime cum reliquis vestrae classis sociis vestrum singuli collaturi sitis ut quod initio vitiosius fuerit tractu temporis convalescat. Qua de re spem concipere magnam ii debent, qui e nuperrime edito opere intellexerint, quam graves atque rei publicae utilissimae quaestiones

a doctissimis peritissimisque viris iam in hac classe propositae atque tractatae sint.

Superiori anno Rector Magnificus tui mentionem fecit, Collega coniunctissime Hofstede de Groot! quum memoraret se te adiisse ut tibi de die sexto mensis Martii gratularetur, quippe quo suscepti ante viginti quinque annos muneris professorii memoriam celebrares. Tu dies festos agere soles tuo more, mi Groti! primum domi cum tuis, ad quos permultos referre potes, summa ut Christi discipulum decet pietate atque hilari simul animo qui ore et vultu sponte sese prodit: postea publice non tantum cum absentibus amicis atque discipulis, verum etiam cum iis quorum nomina tibi incognita sunt atque numerus infinitus est, quoniam nec Academiarum nec patriae neque aetatis qua vivimus spatio continentur. Quod his ipsis diebus rursus apparuit ex tuo ad pristinos et praesentes discipulos alloquio. Itaque ego tibi hodie de hoc opere edito gratulor, quippe quod cum superioris anni festo penitus coniunctum sit eiusque veluti complementum dici possit, addito ex intimo pectore voto: Faxit Deus ut per multos etiam annos vegeta mente et sano corpore domui, Academiae, patriae, ecclesiae Christi serveris!

Peropportunus orationis meae a Grotio eiusque labore transitus ad vos est, Iuvenes dilectissimi, Academiae nostrae cives! Hic enim, quaenam vera sit Academicae institutionis natura, quaenam inde per totam vitam praeceptores inter eorumque discipulos sponte oriri soleant amicitiae necessitudines, ita perspexit ut nemo magis, atque in hoc quem modo attuli libro ita expressit, ut hic egregie comparatus sit ad pulcri, veri, sancti sensum mutuumque inter magistros atque iuniores eorum amicos amorem excitandum, alendum, excolendum, perficiendum. Quibus profecto studiis si vita Academica animetur, quid tandem suavius praeclariusve totique civitati atque humanitati fructuosius cogitari potest? Agite igitur, carissimi adolescentes! regiam hanc docendi discendique viam sequamur et persequamur! Magna observantia et verecundia hoc anno magistros coluistis magistratusque mei onus adeo leve reddidistis ut hoc nomine ne onus quidem fuerit sed iucundissima potius occasio plures optimae spei iuvenes cognoscendi, qui caeteroquin mihi fortasse ignoti mansissent. Vere affirmare possum, pacem Academicam ut decet per totum hoc tempus nullo horae

momento turbatam fuisse, salva atque integra edictorum Rectorisque Magnifici auctoritate. Nonne haec quae vere de iuventute nostra Academica praedico, ad praecipuas laetandi causas referendum est, Auditores! quae hunc diem vere festum nobis reddant?

De subsidiis brevis ero. Musea, horti, bibliotheca, nosocomium, physicorum, chemicorum, chirurgicorum et physiologicorum instrumentorum apparatus summa diligentia conservata sunt atque pro viribus aucta. Anno superiori atque his ipsis diebus nosocomio recepti sunt multi cholerae morbo afflicti. In usum scholarum quae de histologia habentur, emtum est palmarium Oberhaeuseri microscopium. Physiologiae professor declarat per continuam Curatorum curam hoc quoque anno ita aucta esse subsidia quibus indigeat, ut mox ad rectam institutionem suffectura sint. Bibliotheca denique cum aliis donis locupletata est, inter quae invcniuntur quae collegarum quoque benevolentiam atque munificentiam adeo testantur, tum accessione librorum qui quum olim ad *privatum* societatis regiae commodis agriculturae in hac regione promovendis usum destinati essent, nunc publici usus facti sunt eademque atque rcliqui libri lege. Talia nobis omnibus valde sunt accepta: ncmini autem magis quam tibi, amicissime Enschedé! qui hoc anno de Academiae Bibliotheca denuo haud uno nomine egregie meruisti.

Itaque peractis quae mihi hodie peragenda videbantur, meum tamen Rectoris munus non ante in successorem conferam quam Senatui Academico eiusque Actuario publice gratias egerim pro praestita mihi humanitate, auxilio, fide atque indulgentia, quorum beneficiorum memoriam non cum magistratu deponam. Tanta enim fuerunt ut novo Rectori nihil felicius contingere mihi posse videatur, quam si eamdem experiatur collegarum atque studiosorum benevolentiam quam mihi praebuerunt. Quod igitur felix faustum fortunatumque sit Universitati Groninganae, Virum Clarissimum Ianum Hissink Iansen, in Facultate Medica Professorem ordinarium, eius Rectorem in annum proximum renuntio ac proclamo. Salve, Vir magnifice! cui primus hunc honorem gratulor. Tibi autem, sanctissime Deus! ex cuius nutu omnia pendent, ad quem omnia referenda sunt, commendata sit atque maneat in perpetuum Academia!

ORDO LECTIONUM,

IN ACADEMIA GRONINGANA

HABENDARUM

INDE A MENSE SEPT. ANNI CIↃIↃCCCLIV AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLV.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Fredericus Christianus de Greuve diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Logicam* docebit; diebus autem Iovis, Veneris et Saturni, hora IX, *Historiam Philosophiae* exponet; hora X *Metaphysicam* tradet; *Encyclopaediam*, *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem hora auditoribus commoda explicabit. Cum provectioribus Kantii *philosophiam criticam*, a Kinkero expositam et emendatam, sive *Dualismum Rationis humanae* interpretabitur.

Iacobus Adolphus Carolus Rovers *Historiam gentium* tradet diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX; *Antiquitates Romanas*, die Lunae, hora IX, diebus Martis et Mercurii, hora X et die Iovis, hora VIII; *Antiquitates Graecas*, die Veneris, hora IX et die Saturni, hora VIII. *Disputandi exercitationibus* praeerit die Saturni, hora IX.

Iosua Ioannes Philippus Valeton *Antiquitatem Hebraicam* explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X; *Libros* Samuelis interpretabitur diebus iisdem, hora XI; *elementa grammatices Hebraicae*, additis exercitiis analyticis, tradet diebus iisdem, hora XII; *Grammaticam linguarum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis Arabicis et Aramaeis, exponet diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII; *Vaticiniorum* Iesaiae capita selecta interpretabitur die Saturni, hora IX. Cum provectioribus Kosegartenii *Chrestomathiam* privatim leget die Lunae, hora IV, et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* eodem die, hora V.

Ioannes Adolphus Carolus van Heusde diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, *Ciceronis de Fin.* L. V, et *Horatii Satiras selectas;* iisdem diebus, hora I, *Sophoclis Oedipum Tyrannum* explicabit; praeterea, iisdem diebus hora XI, privatim *Platonis Phaedonem* exponet, adhibitis *Wyttenbachii* et *Mosis Mend. f.* disputationibus.

Guilielmus Iosephus Andreas Ionckbloet *Historiam Patriae* tradet diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII; *Linguam Literasque Belgicas* explicabit et *Eloquentiae* praecepta tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII; *Exercitia practica* moderabitur die Martis, hora XI; Fabulam *Carel ende Elegast* dictam interpretabitur diebus Lunae et Mercurii, hora XI; Selecta Vondelii loca exponet die Mercurii, hora I. Cupientibus *Aestheticam* explicabit, hora auditoribus commoda.

IN FACULTATE IURIDICA.

Henricus Nienhuis diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Ius Civile* interpretabitur, iisdemque diebus, excepto die Saturni, hora XII, selecta *Iuris Mercatorii* capita tractabit; diebus Mercurii hora X, et Saturni hora X et XII, maxime secundum ius patrium hodiernum, locum *de foro competente in caussis civilibus*, ipsiusque *Processus Civilis* cum principia tum praecepta exponet; quibus, post ferias hiemales, adiunget *Exercitationes forenses.*

Iacobus Hermannus Philipse diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; die Lunae, hora XI, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, hora matutina VII, selectos *Pandectarum* locos tractabit; die Lunae, hora VIII et IX, die Martis, hora VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; die Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII, *Encyclopaediam et Methodologiam Iuris* tradet.

Cornelius Star Numan diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII, iuris poenalis principia tradet, abhibito Feuerbachii opere; hora IX, legem de imperio interpretabitur; diebus Lunae, hora X, Iovis et Veneris, hora VIII, *Oeconomiae politicae* initia, die Martis, hora XI, diebus Iovis et Veneris, hora IX, *Ius criminale patrium* docebit; diebus Mercurii,

Iovis et Veneris, hora XI, *de natura Iuris* aget. Taciti *Germaniam* cum commilitonibus leget, hora opportuna.

Disputationibus publicis et privatis lubenter praeerunt Iuris Professores.

IN FACULTATE MEDICA.

Iacobus Baart de la Faille diebus Mercurii et Iovis, hora VIII, et Saturni, hora IX, sed post ferias Paschales, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII, Veneris et Saturni, hora VII, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet, et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituct; diebus Lunae et Martis, hora VIII, *morbos infantum* docebit; *Therapiam Specialem* morborum tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX, et post feriàs Paschales etiam diebus Mercurii et Iovis, hora VII; diebus Mercurii, hora X, et Saturni, hora VIII, *Medicinam Forensem* docebit; diebus Lunae, Iovis et Saturni, hora X ad XII, ceteris diebus, hora XI ad XII, in Nosocomio Academico *Clinicis exercitationibus* vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. Disputationum exercitiis lubens vacabit.

Franciscus Zacharias Ermerins *Pathologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora IX; *Histologiam*, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI; *Anatomiam pathologicam*, die Martis, hora XI, die Veneris hora VIII et X. *Exercitationibus clinicis* in Nosocomio quotidie vacabit hora I.

Ianus Hissink Iansen *Chirurgiam* docebit die Martis, hora X, diebus Iovis et Veneris, hora IX, et post ferias Paschales etiam die Saturni, hora IX; *Doctrinam de morbis oculorum* tradet diebus Mercurii et Saturni, hora XII; *Clinicis exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora IV; *Dissectionibus cadaverum anatomicis* tempore opportuno instituendis quotidie praeerit.

Isaacus van Deen *Physiologiam specialem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII et die Saturni, hora IX; *Physiologiam generalem*, diebus Iovis et Veneris, hora VIII; *Remediorum effectum et therapeuticum*

usum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X; *Pharmacognosin et naturalem remediorum historiam*, die Iovis, hora X et die Veneris, hora IX; *morbos systematis nervosi*, diebus Lunae et Iovis, hora III; *Physiologiam experimentalem* docebit et *indagationibus physiologicis* vacabit die Martis, hora XI, die Mercurii, hora XII, diebus Veneris et Saturni, hora X ad XII.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Hermannus Christianus van Hall die Veneris, hora VIII et IX, autumnali et aestivo tempore etiam die Martis, Iovis et Saturni, hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet die Veneris, hora XI; die Mercurii hora IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium; die Saturni autem, hora X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit. Post ferias Paschales et mense Septembri, alternis dierum hebdomadibus, die *Mercurii* hora matutina VII *excursionibus botanicis* praeerit.

Ianus Guilielmus Ermerins diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit die Mercurii, hora I, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

Nicolaus Mulder die Lunae, hora X, die Martis, hora X et XII, *Historiam Animalium vertebratorum naturalem* docebit, *de Mineralogiae et Geologiae elementis* vero aget horis dein indicandis; diebus Veneris et Saturni, hora XI, *Anatomen animalium comparatam* tradet. *Exercitiis Zoologicis* et *Zootomicis practicis* quotidie praeerit.

Guilielmus Adrianus Enschedé diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit; selectos *Algebrae* locos tractabit diebus Lunae et Martis, hora XI; *Astronomiae elementa* tradet die Mercurii, hora I, et die Iovis, hora pomeridiana VI; *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam*

exponet horis commilitonibus commodis; *Exercitia mathematica* futurorum Praeceptorum moderabitur horis postea indicandis.

Petrus Iohannes van Kerckhoff diebus Lunae et Martis, hora IX, die vero Mercurii, hora XII, *Chemiam anorganicam* docebit; diebus Mercurii, hora XI, et Saturni, hora X, *Chemiam corporum organicorum* exponet; diebus Lunae, hora XII, et Iovis, hora X, *Chemiam pharmaceuticam* tradet; *Chemiae technologicae capita* in usum publicum explicabit diebus Lunae et Martis, hora pomeridiana VI; *Chemiam practicam* docebit et *Exercitia analytica* in Laboratorio moderabitur quotidie.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Petrus Hofstede de Groot diebus Lunae, hora VIII, Martis, hora X, et Mercurii, hora VIII, *Historiam Ecclesiae Christianae*, secundum *Lineamenta* sua, typis divulgata, enarrabit; diebus Lunae et Veneris, hora X, *Encyclopaediam Theologi Christiani*, secundum *Compendium* a L. G. Pareau et se editum, exponet; diebus Lunae et Mercurii, hora IX, et Martis, hora XI, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se editum, tradet; die Veneris hora XI nonnulla *Patrum* opuscula cum Commilitonibus leget; hora auditoribus commoda *Historiam Ecclesiae Christianae in Nederlandia* explicabit.

Ludovicus Gerlachus Pareau diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI, *Dogmaticam et Apologeticam Christianam*, secundum *Compendium* a P. Hofstede de Groot et se editum, exponet; diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; diebus Lunae atque Veneris, hora XII, et die Martis, hora I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina Hebraica* cum Commilitonibus interpretabitur.

Guilielmus Muurling die Lunae, hora XI, tractabit *Criticam Novi Testamenti;* diebus Martis, Iovis et Veneris, hora IX, *Epistolas Catholicas* Iacobi et Petri cum Commilitonibus interpretabitur; diebus Martis et Veneris, hora VIII, et die Iovis, hora X, *Theologiam Practicam* tradet, secundum *Compendium* a se editum; die Iovis, hora III, *exercitia Homile-*

tica, et dic Saturni, hora XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur. Hora Commilitonibus commoda, cum iis legere perget *Euangelium* IOANNIS.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, die Mercurii, hora III, suis vicibus praeerunt Theologiae Professores.

GUILIELMUS HECKER, Paedagogices Lector, diebus Lunae et Martis, hora I, Litterarum aliarumque disciplinarum studiosis *Paedagogices* elementa tradet, sive *de discendi docendique methodo* praecepta dabit. Exercitia oratoria moderabitur diebus Lunae et Martis, hora pomeridiana VI.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA,

DIE 31 M. DECEMBRIS 1854.

In	Facultate	Iuridica	63.
"	"	Medica	37.
"	"	Disc. Math. et Phys.	28.
"	"	Theologica	45.
"	"	Phil. Theor. et Litt. Hum. . .	55.
			228.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA GRONINGANA,

INDE A DIE 12 OCTOBRIS 1854 AD 11 OCTOBRIS 1855.

IN FACULTATE IURIDICA.

1854.

d. 15 Dec. Henricus Ietzo Samuel Mauritius van Wageningen, ex pago Iellum Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 20 Dec. Carolus Ludovicus Wedemeyer, ex pago Wedde Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 21 Dec. Robertus Carolus Ermerins, Franequeranus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

1855.

d. 29 Mart. Suffridus Ypey, Leovardia Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 26 Apr. Mauritius Adrianus de Savornin Lohman, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 16 Iun. Berend van Royen, Zwollanus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 27 Iun. Iodocus Heringa, ex pago Anium Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 30 Iun. Ioannes Didericus Dibbits, Assena Drenthinus, S. S. M. Cand., privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

Eodem die. Hermannus Petrus de Gavere, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

d. 5 Oct. Ioannes Petrus Abrahamus Wintgens Tresling, ex pago Scharmer Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude.*

d. 8 Oct. Albertus Ioannes de Sitter, Winschotanus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

1854.

d. 22 Dec. Goëtius Stinstra, Harlinga Frisius, privatim defensa Dissertatione Physiologica *de functione lienis*, M. D. *magna cum laude.*

1855.

d. 27 Ian. Ludovicus Adrianus Alting Mees, Appingedamensis, privatim defensa Dissertatione Medica *de usu chloroformi in operationibus chrirurgicis*, M. D. *cum laude.*

d. 17 Mart. Gualterus Henricus Crull, Meppela Drenthinus, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *magna cum laude.*

d. 24 Mart. Lambertus Atzema Folmer, Groninganus, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *magna cum laude.*

d. 28 Mart. Fredericus Helder, ex pago Sybrandahuis Frisius, privatim defensa Dissertatione Medica *exhibente observationem aneurysmatis aortae*, M. D. *magna cum laude.*

d. 28 Apr. Gerardus Visscher, Hoogeveena Drenthinus, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude.*

d. 13 Iun. Iohannes Fredericus Petrus Schönfeld, ex pago Nietap Drenthinus, defensa Dissertatione Physiologica *de functione lienis*, M. D. *magna cum laude.*

Eodem die. Iohannes Christophorus Schönfeld Wichers, ex pago de Leek Groninganus, defensa Dissertatione Medica *de morbo Brightii*, M. D. *cum laude.*

d. 16 Iun. Nicolaus Westendorp Boerma, ex pago 't Zandt Groninganus, defensa Dissertatione Medica *sistente nonnulla de Otorrhoea*, M. D.

Eodem die. Alle Luitze van der Sluis, ex pago Hemrik Frisius, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude.*

d. 30 Iun. Rudolphus Iohannes Petrus Muller, ex pago Zandeweer Groninganus, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

1855.

d. 30 Mart. Iohannes Offerhaus L. filius, ex pago Feerwerd Groninganus, V. D. M. designatus in pago Burum, publice defensa Dissertatione Theologica *exhibente Abaelardi Theologi Methodum*, Th. D. *magna cum laude.*

d. 22 Iun. Cornelius Philippus Hofstede de Groot, Groninganus, publice defensa Dissertatione Theologica inscripta: *Pauli conversio praecipuus Theologiae Paulinae fons*, Th. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

1855.

d. 19 Maii. Albertus Ludovicus Brugsma, Groninganus, publice defensa Dissertatione *continente Gymnasiorum apud Graecos descriptionem*, Ph. Th. M. L. H. D *cum laude.*

d. 28 Iun. Iohannes Benedictus Kan, Groninganus, I. R. et H. D., publice defensa Dissertatione Antiquaria *de Ephoris Spartanis*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

SUPPLEMENTA

AD

ANNALES ACADEMICOS

MDCCCLIII—MDCCCLIV.

PROGRAMMA
CERTAMINIS LITTERARII
A
RECTORE ET SENATU ACADEMIAE GRONINGANAE
DIE XV MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLIII
INDICTI.

Ex Regis Augustissimi GUILIELMI III liberalitate et munificentia, Rector et Senatus Academiae Groninganae omnes Academiarum huius Regni cives et Athenaeorum alumnos in proximum annum ad certamen Litterarium invitant, et quaestiones, a singulis Ordinibus Academicis positas, promulgant hasce:

AB ORDINE THEOLOGORUM.

I.

Quum de omni consilio et opere suo sic Ioh. XVII agat Iesus Christus, ut nullam videatur ideam de re Christiana primariam non attigisse, quaeritur: an ibi etiam de spiritu sancto fecerit mentionem? porro, si fecerit, qua alia ratione quam Ioh. XIV—XVI? denique, unde haec diversitas sit explicanda?

II.

Litium inter Cocceianos et Voetianos actarum quaenam fuit origo? quaenam natura? quisnam finis? Unde derivandum, quod hae lites non effecerint schisma, prouti lites inter Remonstrantes et Contraremonstrantes actae?

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

I.

Ilias Homerica ita exploretur, ut, adhibito opusculo, quod inscribitur: Betrachtungen über Homers Ilias von KARL LACHMANN mit Zusätzen von MORITZ HAUPT, Berlin 1847, *consultisque iis, quae de huius scriptoris sententia continentur libro:* die Sagenpoesie der Griechen, kritisch dargestelt von G. W. NITZSCH, Braunschweig 1852, 1853, *ratio et compositio eius diiudicentur.*

II.

Enarretur muneris iudicialis *apud Hebraeos historia per ea tempora, quorum in V. F. superest memoria; quo pateat illud munus a quibusnam, quo iure et qua potestate singulis aetatibus gestum fuerit, accurata textus Hebraici, quantum ad rei intelligentiam opus est, explicatione suis locis addita.*

AB ORDINE IURECONSULTORUM.

Requiritur historica et critica commentatio de Rossavii *opusculo:* du contrat social.

AB ORDINE MEDICORUM.

Exponantur, quae postremis annis ab eruditis facta et scripta sunt ut lienis functio definiretur. Fiat autem ita ut experimentis et observationibus propriis superstruat auctor sententiam, quam amplectatur, sive anteriori alicui assentiendum putet, sive novam ipse proponat.

Ad quam quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Exponatur et elaboretur theoria linearum trochoidalium sive cycloidalium.

II.

Quaeritur disquisitio botanica, physica et chemica de amylo, eaque ipsius scriptoris observationibus aucta, ex qua amyli origo, structura et variae species cognoscantur.

Ad utramque quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

Commentationes, Latina oratione conscribendae, nisi diserte patrii sermonis usus concessus est, et aliena manu describendae, ante diem XV m. Aprilis a. MDCCCLIV mittuntor ad Virum Clarissimum, qui Senatus Academici acta curabit. Singulae lemmate inscribuntor adiunguntorque schedulae obsignatae, scriptorum nomina et praenomina integra continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

Ordinum de Commentationibus iudicia pronuntiabuntur, optimarumque Commentationum scriptoribus, disquisitione ante instituta, praemia tribuentur ipso die Academiae natali a. MDCCCLIV.

IUDICIA

DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

DIE XV M. APRILIS A. MDCCCLIII

PROPOSITAS.

Ordo Philosophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum duas quaestiones proposuit.

Altera, e litteris Graecis: „Ilias Homerica ita exploretur, ut, adhibito opusculo quod inscribitur: *Betrachtungen über Homers Ilias von Karl Lachmann, mit Zusätzen von Moritz Haupt, Berlin*, 1847, consultisque iis quae de huius scriptoris sententia continentur libro: *Die Sagenpoesie der Griechen kritisch dargestellt von G. W. Nitzsch, Braunschweig* 1852-53, ratio et compositio eius diiudicentur" unam tulit disputationem, lemmate: „*Unum est omne poema.*" Scriptor huius disputationis magnam omnino diligentiam probavit, quum non satis habens duos scriptores in ipsa quaestione memoratas consulere, alios praeterea adhibuerit. Sed huic diligentiae etiam eaeteris in rebus conspicuae iudicii laus non par accedebat. Itaque in ipso argumento tractando sic versatus est, ut *rationem* carminis Homerici a *compositione* non rite distingueret, alienis argumentis satis firmis sua opponeret infirmiora, praeterea in locorum Homericorum interpretatione operam raro poneret et quoties poneret nimis fluctuaret. Tandem in Latini sermonis usu et disputationis forma plura desiderabantur.

Quamobrem disputatio Ordini digna visa non est quae praemium auferret. Quum tamen multum abesset ut omni laude indigna censeretur, placuit ut honorifica eius mentio fieret. Scriptorem se omni ex parte probavit ornatissimus Ioannes Deodatus Homan, Litt. Hum. in hac Academia Cand.

Ad alteram quaestionem, e litteris Orientalibus: „Enarretur *muneris iudicialis* apud Hebraeos historia per ea tempora quorum in V. F. superest memoria, quo pateat illud munus a quibusnam, quo iure et qua potestate

singulis aetatibus gestum fuerit, accurata textus Hebraici, quantum ad rei intelligentiam opus est, explicatione suis locis addita." Ordo accepit commentationem his verbis distinctam: *„Si translatio ab originali dissentit ei linguae potius credendum unde in aliam per interpretationem facta est translatio."* Scriptor non eam explicuit quam Ordo posuerat quaestionem, sed ab hac diversam adumbravit. Quum enim agendum esset de *munere iudiciali* in litibus dirimendis et reorum causis diiudicandis posito eoque aliis temporibus alia ratione apud Hebraeos administrato, argumentum huius commentationis sunt viri qui *κατ' ἐξοχήν* Iudices dicuntur quorumque res gestae ad unam vulgo referuntur historiae Israëliticae aetatem. In hoc autem argumento tractando scriptor alia quidem quae huc pertinent non plane neglexit, maxime tamen chronologiae indagandae, cuius rei difficillimae explicatio non requirebatur, operam dedit. Sed huic quaestioni rite solvendae ille, licet diligentem afferret variorum librorum notitiam, quum praeclara recentiorum opera ignoraret, impar fuit. His accedunt hypothesium rerumque plane alienarum copia et inopia interpretationis philologicae, textui Hebraico suis locis addendae.

Quamobrem Ordo hanc commentationem parum etiam Latine scriptam praemio haud ornandam esse iudicavit.

W. I. A. IONCKBLOET,
Ord. h. t. ab actis.

Ordo Iurisconsultorum nullum accepit quaestionis propositae responsum.

C. STAR NUMAN,
Ord. h. t. ab actis.

Ordo Medicorum proposuit hanc quaestionem: „Exponantur quae postremis annis ab eruditis facta et scripta sunt ut lienis functio definiretur. Fiat autem ita ut experimentis et observationibus propriis superstruat auctor sententiam quam amplectatur, sive anteriori alicui assentiendum putet sive novam ipse proponat."

Accepta sunt responsa quatuor, *unum* notatum verbis GUNSBURGII: *„Es bleibt nur übrig aus dem feinerem Bau der Milz nach Analogie auf deren Function zu schlieszen,"* idque conscriptum vernacula; *alterum* in-

signitum Virgilii versu: *„Felix qui rerum potuit cognoscere causas"* Latine expressum; *tertium* vernacula scriptum et his Malpighii verbis distinctum: *„Nescio quo fine ducta vetustas lienem risus causa exstare evulgaverit, dum longo litteratorum moerore ob nondum assecutam huius visceris naturam lugent academiae;"* tandem *quartum* item patrio sermone litteris mandatum et notatum verbis Zimmermanni: *„Die Natur wird, in der Natur langsam gesucht, am geschwindesten gefunden."*

De his disputationibus Ordo sic iudicavit:

Quartum responsum a reliquis hoc nomine statim distingui visum est, quod plena ad quaestionem responsio dici iure non potest. Investigavit maxime auctor in cellulas corpuscula sanguinis continentes; reliqua ad quaestionem facientia vix aut ne vix quidem attigit et conspectus historicus de eruditorum de liene opinionibus parum elaboratus est; quemadmodum tota rerum traditarum expositio satis levis est dicenda. Ordo non negat observandi studium auctorem ostendisse, non prorsus ei deesse observandi artem et facultatem, laudabiles adeo observationis fructus apparere in hoc tractatu. Sed quum omnes quaestionis partes non attingat, quin longe plurimas intactas relinquat, Ordo iudicavit hoc responsum aliquo honore non posse ornari.

Placuit e reliquis tribus maxime *primum*. Auctor huius responsionis significat in prooemio se sic existimasse Ordinem praecipue desiderare inquisitionem propriam, minus traditionem corum quae ab aliis reperta aut libris mandata sunt. Itaque conspectum historicum separatim non tradidit. Nec tamen superiorum scriptorum opera neglexit; sed statim argumentum suum tractare incipiens critice auctorum sententias considerat et fructus lectionis cum observationis propriae fructibus una communicat, ita ut materiem et apte disponat et subtiliter diiudicet et nihil negligat et acuti ingenii et solertis specimina copiosa continenter exhibeat.

Per totum cursum disputationis elucet eius plurium doctrinarum peritia talis ut non unum alterumque ex iis locum sed omnem earum ambitum se tenere ostendat. Quod sane Ordini constitit de eius chemiae, anatomiae, physiologiae, histologiae, aliarum doctrinarum medicarum cognitione et observationis arte et usu quae in eius opere eminent.

Tum etiam Ordini magnopere placuit liberum quo auctor utitur iudi-

cium, ita ut aliam agnoscat auctoritatem nullam quam quae in diligenti phaenomenorum observatione et comparatione et veritate ex his rebus ducta sit posita.

Sed ab altera parte Ordinem non fugerunt in opere vitia, de quibus aliquid monendum existimavit vel in auctoris gratiam. Oratio eius culta minime dici potest; attingit talia auctor subinde quae si delineationibus aut praeparatis additis illustravisset, operae pretium omnino fecisset. Laudavit iam Ordo in auctore quod non se cuiquam mancipavit; sed prudentiam tamen in modo quo plures res propositae sunt desideravit. Et quemadmodum ingenio multum valere auctorem animadvertit, ita non negat eum ingenio interdum abusum fuisse et similitudines et analogias quaesivisse quas maturius iudicium reiicere debeat, ita ut Ordini quoque minime vera visa sint omnia quaecunque in disputatione sunt prolata. Sunt sane haec vitia iuvenili aetati fere propria, sed quae silentio praeterire noluit Ordo ne auctori quem magni facit aureum illud: „*nosce te ipsum*" inculcandi occasionem negligat, et ut eum non solo ingenio sed accurata doctrina et iudicio maturo in disciplinis opus esse doceat.

Verum hoc utut est eius labori primum locum tribuendum esse censuit Ordo, cui responsio si universe loqui liceat admodum placuit.

Alterum responsum Latine conscriptum item multum placuit Ordini, quin ita conscriptum est ut nullo modo dubitavisset ei praemium tribuere, nisi primum illud praestantius visum ei fuisset.

Ut ab externa forma incipiamus oratio qua expressum est probabilis et quantum in eiusmodi argumento iure a iuvene requirere licet satis bene Latina, ita ut laude digna existimanda sit.

Addita sunt praeparata microscopica numero multa. Adiectae dein delineationes nitidissimae, quas summa cura conficiendas curavit auctor. Universus habitus externus huius tractatus eum commendat propter diligentiam in eo componendo et absolvendo positam. Nec minus summae in elaboratione curae positae testis est disputatio ipsa. Conspectus historicus eorum quae recentissimo tempore de liene scripta sunt, plenissimus, uberrimus, lucidissimus, ita ut hac in re vix aliquid desideret Ordo.

Pars quae experimenta et observationes proprias auctoris continet, testis est omnino magnae industriae, observationis microscopiae peritiae et facul-

tatis talis, quae non nisi frequenter institutis eiusmodi observationibus et exercitatione diligenti acquiritur; in experimentis instituendis item iudicium apparet sanum, diligentia magna neque felicitas quaedam defuit ita ut haec omnia permultum Ordini placuerint.

Postquam has laudes iure merito huic operi tribuit, declarandum est quare supra memorato responso primum, huic secundum locum tribuerit Ordo.

Auctor primi responsi iis quae ab aliis scripta sunt usus est diligenter nec tamen manu ab illis duci se passus est in suo tractatu componendo. Idem de auctore responsi Latine conscripti affirmare non licet, quippe qui in tota disputatione minus liberum se servavit a vi opinionum ab aliis prolatarum. Quemadmodum in responso primo auctor specimina dedit ingenii, liberi iudicii, inventionis, sic in altero, licet minime has laudes ei prorsus deesse affirmet Ordo, tamen minus illas dotes in eo elucere putavit et ob hanc maxime causam praeplacuit responsum antea memoratum et quamquam non magno intervallo separari hoc de quo nunc agitur ab altero putet, tamen secundum tantum locum ei esse tribuendum est arbitratus.

Tertium responsum non tam prope accedit ad alterum quam hoc ad primum, sed multo maiore intervallo ab utroque superiore distat.

Quae historiam doctrinae loci circa quem quaestio versatur spectant, eleganter et lucide sane sunt exposita, sed minus tamen diligenter, nec tantopere ab auctore in succum et sanguinem, ut ita dicamus, conversa sunt ea quae apud alios reperit quam in responsis superioribus maxime in primo. Praeparata addita sunt minus numerosa quam responso Latino. Delineationes minus bene elaboratae. Investigationes propriae auctoris item cedunt iis quas superiores duo et fecerunt et tradiderunt. Itaque omni nomine tertium tantum locum huic tractatui Ordo adscribere debuit; licet ultro etiam hanc responsionem laude dignam et publico elogio ornandam censuerit.

Operibus his tribus ita recensitis Ordo de una adhuc re sui causa monendum putat. Mirum videri possit rerum minus peritis, eum in iudicio ferendo non fecisse mentionem conclusionum scriptorum. Hae sane satis inter se discrepant, quod non mirum in tractatione argumenti obscuri et de quo principes in doctrina viri dissentiunt. Alia conclusionis pars in aliis

responsis prae alia placuit Ordini; nec tamen aut ab aliis, aut ab his scriptoribus quaestio de functione lienis prorsus soluta videtur. Hac de causa Ordo potius attendendum censuit ad praestantiam ingenii et laboris in responsis elucentem, quam ad disputationis eventum et finem.

Apertis schedulis constitit primi responsi auctorem esse AUGUSTUM SASSE, e pago de Rijp Hollandum, Med. et Philos. Nat. in Ill. Athenaeo Amstelodamensi Cand., qui igitur aureo nummo ornandus est.

Alterius responsi auctorem esse patuit GOËTIUM STINSTRA, Harlingensem, Litt. Hum. et Med. Cand. in Academia Groningana, qui quum ad summam laudem proxime accederet nummum accipiet argenteum.

Responsionis tertiae auctorem esse apparuit ABRAHAMUM FREDERICUM VAN WAGENINGE, Roterodamensem, in Academia Ultraiectina Med. Cand., cui honorificum testimonium tradetur.

I. VAN DEEN,
Ord. h. t. ab actis.

Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ad quaestiones propositas unum modo responsum accepit et quidem ad quaestionem: „Quaeritur disquisitio botanica, physica et chemica de amylo, inprimis ut huius origo, structura et variae species innotescant. Responsum praemio dignius iudicabitur si propriae auctores observationes accedunt."

Hoc responsum inscriptum lemmate: *„Al wat de natuur oplevert is schoon en een grondig onderzoek overwaardig"* Ordini haud placuit. Sunt quidem nonnulla satis bene in hacce scriptione proposita, sed argumentum universe nimia levitate tractatum videtur. Recentiorum enim naturae scrutatorum opera de amyli origine, structura et variis speciebus multas easque egregias continent disquisitiones quibus et in botanica et in chemica huius argumenti parte scriptor uti potuisset ad illustranda ea quae antea hac de re probata fuerant. Hoc vero non fecit. Pauca modo ex uno alterove scriptore et haec quidem parum accurate collegit, sed rem ipsam haudquaquam funditus tractavit; quamobrem Ordo auctori huius dissertationis praemium designare non potuit.

W. A. ENSCHEDÉ,
Ord. h. t. ab actis.

Ordo Theologorum duas proposuit quaestiones, alteram historicam, alteram exegetico-dogmaticam ita se habentem: „Quum de omni consilio et opere suo sic Ioh. XVII agat Iesus Christus, ut nullam videatur ideam de re Christiana primariam non attigisse quaeritur, an ibi etiam de Spiritu Sancto fecerit mentionem? Porro, si fecerit, qua alia ratione quam Ioh. XIV—XVI? Denique unde haec diversitas sit explicanda?"

Ad quaestionem historicam nullum, ad exegetico-dogmaticam duo accepit responsa, unum inscriptum hisce WAGNERI verbis: „*Das Wesen aller Wahrheit ist Nothwendigkeit des Einzelnen durch das Ganze*", alterum hac sententia distinctum: „*Philosophia veritatem quaerit, theologia invenit, religio possidet.*"

Horum quodque responsorum quamquam suis se laudibus commendaret, neutrum tamen dignum iudicatum est quod praemio constituto ornaretur.

Etenim auctor primae scriptionis recte quidem haud pauca observavit cum magis tum minus ad quaestionem pertinentia, sed universe minus exegetice quam sive philosophice sive potius metaphysice in rebus exponendis versatus est. Nonnulla, ut locum de *δόξῃ πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι*, uti et de fidei origine contorsit ad suam metaphysicam de *τῷ λόγῳ* opinionem et suam de monstro, ut ait, liberi arbitrii sententiam qua non dubitavit profiteri Deum esse peccati causam. De quaestione ipsa non nisi tandem agere incepit, idque si praeparationem spectes profusam brevius et minus quam oportuisset explicate.

Multo aliter secundae scriptionis auctor. Hic paucissimis de Spiritu in V. T. praemissis, primum expositurus quomodo Iesus Ioh. XVII de Spiritu Sancto fecerit mentionem, fusius quidem quam opus erat, totum hoc caput percurrit; sed de vs. 17—19 agens accurate ostendit *τὴν ἀλήθειαν* hic eumdem occupare locum quem in antecedentibus *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*. Ubi porro quaerit qua alia ratione de Spiritu Sancto Iesus egerit Cap. XIV—XVI satis bene demonstrat paracletum, Spiritum veritatis, quoad naturam suam idem esse atque veritas ipsa est; discrimen igitur tantummodo in forma dicendi esse positum. Ibidem vero acute magis quam vere exponit *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας* esse Spiritum immanentem in Apostolis, *τὴν ἀλήθειαν* vero esse Spiritum transcendentem sive vim divinam in homines agentem. Ubi denique inquirit, unde haec diversitas sit explicanda, duplicem eius causam tradit, alteram in *personis* positam, *quibus*

locutus est Iesus, qui quo melius ipsum intelligerent usus sit *imagine spiritus* e V. T. desumta pro *abstracto* ἀλήθεια; et haec quidem recte. Cur vero Iesus in Apostolorum gratiam hunc spiritum tamquam alteram personam sui similem παράκλητον proponat in *sermonibus*, cur in *precibus* alia simpliciore forma dicendi utatur, indicare atque exponere neglexit. Verum tamen ubi alteram discriminis causam invenisse sibi videtur in *tempore* de quo agatur, et putat *ante* mortem Iesu τὴν ἀλήθειαν dici Patri propriam vim transcendentem; *post* Iesu mortem discipulis insitum πνεῦμα ἀληθείας sive Spiritum iis immanentem propriumque corum vitae principium, hoc e sua mente potius quam e sententia Iesu fecisse censendus est. Denique et dubius haeret utrum varia haec dicendi forma a Iohanne repetenda sit, an vero ab ipso Iesu.

Licet igitur haud pauca in hoc responso desiderentur et minus bene exponantur idque universe ita compositum sit ut scriptor quaestionis cardinem sensisse magis quam exposuisse dicendus sit, tamen recte demonstravit et Ioh. XVII mentionem esse Spiritus Sancti et Cap. XIV—XVI τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας idem esse atque Cap. XVII τὴν ἀλήθειαν.

Quocirca Ordo propositum concedere praemium ei non potuit; decrevit tamen honorificum laudis testimonium ei offerre. Quo facto hoc sibi gratum accidere auctor statim declaravit, simulque apparuit eum esse Hermanum Gerardum Hagen, Theol. in Academia Ultraiectina Stud.

W. MUURLING,
Ord. h. t. ab actis.

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELODAMENSE.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

INDE A KAL. IAN. AD D. XXXI M. DEC. MDCCCLIV

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

THEOLOGIAE.

G. MOLL, Clar. Ord. Praeses a. 1854—1855.

H. C. MILLIES,
F. I. DOMELA NIEUWENHUIS, } Proff. in Semin. Luther.

S. MULLER,
I. VAN GILSE, } Proff. in Semin. Teleiobapt.

A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, Prof. in Semin. Remonstr.

IURISPRUDENTIAE.

M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN.

H. DE BOSCH KEMPER.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BOSSCHA, Prof. emeritus.

H. BEYERMAN.

P. I. VETH.

I. C. G. BOOT.

MEDICINAE.

GER. VROLIK.

GUIL. VROLIK.

C. B. TILANUS, Prof. honorarius.

P. H. SURINGAR, Prof. honorarius.

I. VAN GEUNS, Prof. extraordinarius.

G. E. VOORHELM SCHNEEVOOGT, Prof. extraordinarius.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. A. G. MIQUEL,

C. I. MATTHES.

E. H. VON BAUMHAUER.

ACTA ET GESTA

IN CONVENTIBUS CLARISSIMI ORDINIS PROFESSORUM

ATHENAEI ILLUSTRIS AMSTELODAMENSIS,

ANNO MDCCCLIV.

Die 17 m. Iunii Ordo primum convenit post obitum Viri Cl. C. A. DEN TEX, Antecessoris emeriti, cui dies 9 m. Aprilis vitae laborum finem attulit. Viri eruditissimi virtutes omnes agnoscunt et cum corpus humo conderetur pie recognovit eius discipulus et collega Vir Cl. M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN.

Die 7 m. Octobris rogantibus Medicinae professoribus Ordo decrevit, ut literae mitterentur ad Curatores, quibus demonstraretur necessitas condendi laboratorii physiologico-pathologici.

SERIES LECTIONUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI ET IN SEMINARIIS

HABENDARUM INDE A. DIE 1 M. OCT. A. MDCCCLIV AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCLV.

GUILIELMUS MOLL

privatim tradet *Exegesin Novi Foederis*, interpretandis *Actis Apostolorum*, diebus Martis et Mercurii, hora X;
Historiam universalem Religionis et Ecclesiae Chr., diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI;
Theologiam dogmaticam, iisdem diebus, hora IX;
Studia ad *Introductionem in Theologiam* et ad *Historiam Ecclesiae Neêrlandiae* pertinentia, et
Exercitationes Homileticas moderabitur diebus et horis deinceps indicandis.

MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN

privatim *Digestorum* selecta capita tractabit, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX matutina;
Institutiones Imp. Iustiniani interpretabitur, iisdem diebus, hora X;
Ius Civile Hollandicum docebit, iisdem diebus, hora XI.
Methodum procedendi in causis civilibus tradet, iisdem diebus, hora XII.

HIERONYMUS DE BOSCH KEMPER

privatim tradet *Encyclopaediam Iurisprudentiae*, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX;
Ius Publicum, iisdem diebus, hora X;
Methodum procedendi in causis Criminalibus, diebus Martis, hora XI et Veneris, hora IX;
Statisticam patriae, diebus Mercurii hora XI et Veneris, hora X;
Ius gentium, diebus Iovis hora XI et Veneris, hora XI.

IOANNES BOSSCHA

Litterarum et *Historiae* studia quovis alio modo quam lectionibus habendis promovere studebit.

HUGO BEYERMAN

privatim *Rhetoricen* sive praecepta stili Belgici, additis Belgice scribendi exercitationibus, tradet die Lunae hora X—XII et die Saturni, hora IX—XI;
Historiam Patriae enarrabit, die Lunae hora XII—II et die Saturni hora XI—I;
Pronuntiationis sive *eloquentiae exterioris* exercitia modcrabitur.

PETRUS IOANNES VETH

privatim docebit *Exegesin Veteris Foederis*, interprctandis Psalmis selectis, diebus Martis et Mercurii, hora VIII matutina;
Grammaticae Syriacae elementa, diebus Iovis et Veneris, hora VIII;
Antiquitates Hebraeas, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;
Grammaticam Hebraeam, adiuncta libri Deuteronomii lectione continuata, iisdem diebus, hora X;
Logicam tradet, dicbus Lunae et Saturni, hora VIII, et *Psychologiam*, die Lunae, hora IX;

Cum provectioribus leget *Arnoldi Chrestom. Arabicam* et *Kirschii Chrestom. Syriacam, a Bernsteinio* denuo editam, alternis vicibus, die Veneris, hora VI—VIII post meridiem.

IOANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT

privatim *Historiam Antiquam* explicabit diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XII;
Literas Latinas docebit interpretans *Terentii Heautontimorumenon, Ciceronis Oratorem et Horatii* quaedam, iisdem diebus hora I;
Literas Graecas explicans nonnullas partes *Iliados, Lysiae Orationes, Theocriti Idyllia*, iisdem diebus, hora II.

GERARDUS VROLIK

privatim docebit *Obstetriciam theoreticam*, diebus Mercurii et Veneris, hora II.

GUILIELMUS VROLIK

privatim *Demonstrationes anatomicas* habebit, tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora p. m. I;
docebit tempore vernali *Zootomiam*, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina X;
Osteologiam, tempore autumnali, iisdem diebus et horis;
Physiologiam, iisdem diebus, hora IX et XI;
Methodum secandi, tempore hiemali quotidie.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS

privatim docebit *Pathologiam* et *Therapiam Chirurgicam*, ter quavis hebdomade, hora XII;
Artem obstetriciam, tribus reliquis diebus, hora XII;
Examini aegrotantium et *artis exercitio* in Nosocomio Scholae Clinicae praeerit diebus singulis, hora IX;
Enchireses medicas in cadavere demonstrabit, diebus et horis indicandis.

PETRUS HENRICUS SURINGAR

privatim *Pathologiam* et *Therapiam generalem* docebit, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora p. m. III;
Doctrinam morborum singularium interpretabitur, iisdem diebus, hora p. m. II;
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, hora matutina VIII.

IOANNES VAN GEUNS

privatim *Pathologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora X;
Medicinam forensem et *toxicologiam* tradet bis quavis hebdomade.

GUSTAVUS EDUARDUS VOORHELM SCHNEEVOOGT

privatim *Neuropathologiam* docebit et ad lectulos aegrotantium exponet, die Saturni, hora XI—I;
Elementa psychiatriae exponet hora dein indicanda.

FREDERICUS ANTONIUS GUILIELMUS MIQUEL

privatim tradet *Geologiae et Palaeontologiae fundamenta*, horis deinde indicandis;
Pharmacologiam generalem et specialem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora XI;
Botanices Elementa, iisdem diebus, hora X;
Stirpium medicinalium, venenatarum et oeconomicarum historiam ter per dierum hebdomadem;
Excursionibus botanicis praeerit;
Vegetabilia cryptogamica et *Oeconomiae ruralis elementa* explicare paratus erit.

CAROLUS IOANNES MATTHES

privatim docebit *Planimetriam* et *Trigonometriam rectilineam*, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX matutina;

Physicam experimentis illustratam, iisdem diebus, hora XI;

Stereometriam, inclusa *Trigonometria sphaerica*, in commodum Medicinae et Literarum studiosorum, diebus Iovis et Veneris, hora meridiana;

Calculi differentialis et integralis elementa, horis cum auditoribus constituendis.

EDUARDUS HENRICUS VON BAUMHAUER

privatim *Chemiam anorganicam* docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII;

Chemiam corporum organicorum, diebus Martis et Mercurii, hora IX;

Chemiam Physiologicam, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I, excepto tempore hiemali;

Chemiam pharmaceuticam, die Lunae, hora IX, et die Martis, hora X;

Chemiam analyticam diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II—IV.

HENRICUS CHRISTIANUS MILLIES,

Theol. Professor in Sem. Evangel.-Luther.

Introductionem historico-criticam in libros sacros Veteris Foederis exponet, die Veneris, hora XI, die Saturni, hora XII—II;

Exegesin Veteris Foederis docebit, interpretando vaticinia quaedam e libro Prophetarum Minorum, diebus Martis et Mercurii, hora I;

Exegesin Novi Foederis docebit, interpretando Iohannis Apostoli Evangelio, diebus Iovis et Veneris, hora I;

Theologiam Christianam Dogmaticam tradet, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XII;

De Religionis Christianae propagatione agere perget, horis vespertinis, auditoribus commodis.

FERDIN. IACOB. DOMELA NIEUWENHUIS,

Theol. Professor in Sem. Evangel.-Luther.

Theologiam moralem tradet, diebus Iovis et Veneris, hora X;

Theologiam practicam diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Epistolas Pauli pastorales explicabit, diebus Martis et Mercurii, hora X;

Exercitiis Oratoriis vacabit die Iovis, hora III, *Catecheticis*, die Martis, hora XI—I, *Colloquio homiletico*, die Martis, hora VI—VIII p. m.

Discipulis provectioribus orationes sacras habentibus praeses aderit die Veneris, hora II.

SAMUEL MULLER,

Theol. Professor in Sem. Teleiobapt.

Lectiones de Theologia Christiana dogmatica habebit, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Praecepta homiletices tradet, die Iovis, hora X;

Exercitia homiletica moderabitur, die Veneris, hora X—XII;

Studiosis, orationes sacras habentibus, praeses aderit, die Lunae, hora II dim.

IANUS VAN GILSE,

Theol. Professor in Sem. Teleiobapt.

Exegesin Novi Testamenti tradet, interpretanda Pauli ad Romanos Epistola, diebus Iovis et Veneris, hora II.

Introductionem historico-criticam in Libros N. Testamenti tradet, diebus Martis et Mercurii, hora II;

Ecclesiae Christianae antiquae historiam enarrabit, ab Ecclesia condita ad Caroli Magni tempora, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I;

Historiam populi Israëlitici enarrare perget, diebus Iovis et Veneris, hora III.

ABRAHAMUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN,

Theol. Professor in Sem. Remonstr.

Theologiam Christianam Dogmaticam tradere perget, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX—X;

Officia Doctorum et Antistitum in Ecclesia Christiana exponet, diebus Martis et Mercurii, hora X—XI;

Historiam Eloquentiae Sacrae enarrabit, die Mercurii, hora III—IV;

Exercitia Oratoria moderabitur, die Martis, hora III post mer.;

Commilitonibus orationes sacras habentibus praeses aderit, die Martis, hora II;

Commilitonum studia promovere conabitur, horis vespertinis deinde indicandis.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

DIE XXXI DECEMBRIS MDCCCLIV.

In	Facultate	Theologiae	75.
//	//	Iurisprudentiae	53.
//	//	Literarum	3.
//	//	Medicinae	29.
//	//	Philosophiae	2.
			162.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

REGLEMENT

OP HET

ATHENAEUM TE DEVENTER,

DOOR DEN GEMEENTERAAD VASTGESTELD
DEN 5 SEPTEMBER 1854.

Art. 1.

Onder het oppertoezigt van den Gemeenteraad is de zorg voor het Athenaeum opgedragen aan een Collegie van Curatoren, volgens eene Instructie door dien Raad vastgesteld.

Art. 2.

Het Athenaeum is en blijft eene inrigting van hooger onderwijs, dienende ter gedeeltelijke vervanging van Akademisch onderrigt en algemeene verspreiding van smaak, beschaving en geleerdheid, overeenkomstig art. 36 van het Reglement op het hooger onderwijs van 2 Augustus 1815, en wordt daarboven bestemd voor hen, die, zonder voor den geleerden stand te worden opgeleid, onderrigt wenschen in verschillende vakken van industrie en andere kennis voor het maatschappelijk leven benoodigd.

Art. 3.

Er zijn zes gewone Hoogleeraren.

Een voor de Regten, tevens verpligt tot het houden van lessen over de Staathuishoudkunde.

Een voor de Grieksche en Latijnsche Letterkunde, Oudheden en Algemeene Geschiedenis, ook belast met het onderwijs in de Logica.

Een voor de Nederlandsche Taal- en Letterkunde en Vaderlandsche Geschiedenis.

Een voor de Wis- en Natuurkunde en de toegepaste Werktuigkunde.

Een voor de Scheikunde, daaronder begrepen de zoogenoemde Chemische Technologie en het onderwijs in de Pharmacie.

Eèn voor de Botanie, kennis der aardsoorten (geognosie), warenkennis enz.

Tot de lessen door de drie laatste Hoogleeraren te geven behoort ook de toepassing der genoemde wetenschappen op den landbouw.

In het onderwijs van het Hebreeuwsch en de Hebreeuwsche oudheden wordt voorzien naar de omstandigheden dit medebrengen.

Art. 4.

Onverminderd de bepalingen van het voorgaand artikel hebben Curatoren de bevoegdheid, in overleg met Hoogleeraren, aan dezen het houden van lessen over verwante vakken op te leggen, en bovenomschreven verdeeling zoodanig te wijzigen, als de omstandigheden dat wenschelijk doen zijn.

Art. 5.

De Hoogleeraren aanvaarden hun ambt met eene plegtige redevoering op den tijd, in overleg met Curatoren te bepalen.

Art. 6.

De lessen door de Hoogleeraren te geven staan, onder in achtneming van de bepalingen van dit Reglement, voor ieder open.

Art. 7.

Deze lessen en het getal uren aan elke te besteden worden, in verband met de behoeften, elk jaar meer bijzonder in overleg met Curatoren geregeld en de lijst daarvan vóór het begin der zomervacantie vastgesteld en openbaar gemaakt.

Art. 8.

De Raad benoemt, op voordragt van Curatoren, telkens voor den tijd van drie jaren een' der Hoogleeraren tot Rector Magnificus, tenzij omstandigheden een korter tijdvak wenschelijk maken.

Art. 9.

De Rector Magnificus let op het naleven van dit Reglement, voor zoover zulks niet tot den werkkring van Curatoren behoort. Hij zendt jaarlijks aan dezen een verslag betrekkelijk het Athenaeum en buitentijds van al datgene, waarvan hij de mededeeling nuttig acht. Door hem heeft in den regel alle briefwisseling plaats tusschen Curatoren en Hoogleeraren of Studenten. Met hem geschiedt ook de regeling in art. 7 vermeld, waartoe de Hoogleeraren hem in tijds de opgaven verstrekken.

Art. 10.

Bij het aftreden op den jaardag van de stichting des Athenaeums, zijnde den 16 Februarij, draagt de Rector Magnificus de waardigheid over aan zijnen opvolger met eene redevoering, waarin ook vermeld worden de lotgevallen, die het Athenaeum in het afgeloopen tijdvak heeft ondergaan.

Art. 11.

Ieder, die het voornemen heeft een of meerdere Collegiën bij te wonen, is gehouden zich vooraf bij den Rector Magnificus te doen inschrijven. De inschrijving wordt jaarlijks vóór den 1 October vernieuwd.

Art. 12.

[1]) Act, act in the living present,
Let the dead past bury its dead.
Longfellow.

iis vocabulis audacter utar tempore imperfecto, quorum praesens CICERO habet, vel casu accusativo aut secunda persona sicubi dativum ille, vel personam tertiam usurparit; quin etiam hic illic nec tamen nisi rarissime, et ubi vitari non possit nisi ut omnino significare liceat ea ipsa quae velim, vel nova vocabula unum alterumve, modo ex analogia fiat, fingere non reformidabo, nec si vel sermoni Latino vim me facere clamitent male seduli, ultra commovetur, vel misera ista curat HIPPOCLIDES. Sunt quidem paucissima nec cuiquam ignota, in quibus hoc non valet, ego vero bene intelligentibus haec dicta velim, quibus, ut fertur, ne integris quidem verbis ad rem bene capiendam opus est. Nec desunt, qui ita sese et philologos et Latii cultores fautoresque putent, si ne latum quidem unguem a veteribus, id est ab aurea aetate, nempe ab eius prosae scriptoribus, id est a CICERONE, neque eo integro, discesserint. Nam ceteri iam sordent: LIVIUS Patavinitatem olet, CAESAR praepropere, his iudicibus, admirabiles suos commentarios scripsit, SALLUSTIUS ἀρχαισμούς venatur, TACITUS denique, immane facinus, ne aureis quidem istis scriptoribus annumerandus est. Huiusmodi antiquitatis amatores non is sum qui damnabo, sed felices tamen praedico, si bene cogitata recte significent in talibus sermonis angustiis, neque ipse interea in hisce quisquiliis otium perdam, memor eorum, quae summus mihi ADRIANUS DE LONGPÉRIER, cuius consuetudine frui per brevissimum tempus idque numquam obliviscendum licuit, de istis Ciceronianis indignabundus sed pro qua est elegantia et humanitate leniter et salse haud abnuenti significaverit, hos esse, qui nostras litteras perdant.

Sed veniamus tandem ad ipsum argumentum huius orationis. Quae aptior erit, ut superiora iam indicant, quo magis et meam in vos voluntatem, et facultatem si qua est dicendi, et exercitationem usumque Latini sermonis demonstret, deinde, quo magis significet, quid novus antecessor agendum mihi proposuerim, vel quanam in parte positam censeam vim et usum philologiae; sic enim et quae animus iubet faciam, et die solenni antiquam simul et iucundam sequar consuetudinem. Quae nunc coniungere melius non valeo, quam dicturus de Litteris antiquis ad instituendam iuventutem retinendis. Vos autem, qua estis benevolentia et animi attentione, me dicentem audire velitis; faxim, ut utraque dignus fiam.

Informetis vobis animo medii aevi speciem, ut planum fiat, cuiuscumque generis, et humanitatis homines hanc terrarum partem tenuerint. Unum sufficiat: ne sanctissimus quidem rerum gerendarum finis summos viros ab immani saepe crudelitate, et a barbarie retinuit, quam nescio utrum ridendam an deplorandam magis dicam. Sed eo res devenit, ut hoc compertum iam sit, vel pium istum exercitum cum duce, qui magnum Christi sepulchrum liberarunt, ad rapinas, et vexationes, fraudes deinde et caedes fere aeque fuisse propensos, atque ipsum Eius sanctissimum nomen, quem voluisse illam expeditionem vani testabantur, ab omnibus huius generis flagitiis alienissimum est. Crucigeros ceteri imitabantur. Qui BRUNEHILDIS et FREDEGUNDAE facinora legit, vel Burgundorum cum Vasconibus bella civilia, iam Persarum despotae NADIRI, vel aboriginum in America septentrionali detestandas crudelitates, et vix credibiles sese audire putabit. Mores autem ut feri, ita rudes erant. Ex quo Europaei tenent Alhambram, ruinam minatur, et quod barbari Romae facere omiserunt, fecere Barberini. Neque tantum in summa rerum idem conspicuum est; singulorum mores testabantur hisce simillima. Elegantem nunc doctrinam affectare solent cultiores, quae in iucundissimo quoque argumento versatur, nec nimis arduo paratur labore; et magis splendent, prouti in hisce magis excellunt et humaniores dicuntur. Tunc autem non id gloriabantur, sed corporis robur, ut possent arma illius aevi ponderosissima tolerare, et exercitationes militares, nec si summos heroes poetae celebrant vel historiei, omittere solent in ipsorum laudibus, si quando illi soli, ut celeberrimus ille GODOFREDUS Lotharingiae dux, cum fera in sylvis congressi vicissent. Ut corporis vires favore splendebant, ita animi cultus contemnebatur, ac quidquid litteras olebat, habebatur despectui, et invitis fatendum tamen est, et moribus et doctrinae vel eorum, ad quos solos artes et litterae confugiebant, permulta defuisse.

In istiusmodi igitur aevo et lacrymabili barbarie vix credibile est, quantam vim interdum exercuerint litterae istae et reliquiae antiquitatis, si quando aliqua ipsarum pars innotuisset summis ingeniis. Talis fuit, qui VIRGILIO auctore Divinam illam Comoediam, sive Epicum carmen cecinit, quod etiamnunc merito gaudet honore, qui historiae bonam partem, et ingenii humani mirum quantum probe intelligens, firmas sibi nec cito

perituras informans accuratissimas imagines, vivido colore pinxit, de quo nemo non potest esse sollicitus, et vitam omnibus futuram, scelerato-rumque poenas et vitam beatorum, transitum porro a miseria in aeternam felicitatem ita proposuit, ut qui praesens cuncta vidisset, de quibus agit. Neque ingenia tantum immensae huius et Aeschyleae magnitudinis movebantur reliquiis veterum: dulcis ille PETRARCA eas adamabat, ut nemo magis; huic iuveni lacrymanti severus pater CICERONEM, huic VARRONEM eripuit, et igne cremavit, quae post PETRARCAM omnes etiamnunc frustra lugemus. Nec LIVIUS incassum scripserat. Hunc ut insanus ille CALIGULA iam olim damnarat, negligebant rudiores ad unum omnes, at ultimum Romanorum inflammavit, qui pristinam et Livianam illam Romam instauraturus, urbi et orbi admirandum sese et initia melioris aevi, eorumdem ruinam mox deplorandam praebuit. Sed pauca haec fuere, nec satis coniuncta; hic illic erupit, qualia foedo eo dolosoque cineri essent supposita vestigia nobilissimi aevi, et quam longe cultus animi sub PERICLE et AUGUSTO, ante PHILOPOEMENA saltem et MAIORIANUM, somniantium illis Germanorum temporibus et depravatae Italiae praestiterit. Sed vi caruere, nec dudum satis valuerunt, ut perfringerent prementem barbariem. Requirebatur, ut omnia concurrerent, ut numerus hominum excellentium idoneus, promoturus doctrinas maximi momenti, simul instrumentis uti posset, quibus annitens cum ceteris etiam sat cito communicarent inventa sua.

Neque haec semper defuerunt. Iamdudum serpserant meliora, et laetior lux subnascebatur ingeniis; deinde lieuit, quo per tot saecula caruerat genus humanum, ut quidquid dictum, quidquid scriptum esset, id incredibilem in modum et numerum facillime multiplicaretur et in omnium manus perveniret, cuius laudis patria nostra, ut multarum, egregiam sibi partem vindicat. Barbari irrupere in eam sedem, ubi litterarum doctrina, sibi relicta nec cum rerum cognitione et intelligentia coniuncta, turpissimo senio sordebat: tum Musae Byzantium fugerunt, vel potius tum demum iterum Musae fuere, postquam Byzantium evasissent, ut nympha demum perfracta papiliones nascuntur. Tota igitur Europa sparsi sunt, qui has litteras probe intelligerent, et avidissimos invenere auditores, quorum severiores ad celsissima argumenta conversi, memorabilia ista certamina de religionibus excivere, quae hodie eatenus saltem referam, ut revocetur in

memoriam, quam splendida utrimque ingenia propugnaverint, quam nobili turba sectatorum; deinde ut hoc etiam recordemur, finito certamine utriusque partis et duces et milites omnibus nominibus multo excultiores fuisse quam antea. Elegantioribus contra DESIDERIUS ille ERASMUS annumerandus est, neque hi frustra vixere. Novum utrique ingenium, novam lucem, alteram quasi vitam orbi terrarum instillarunt, et invenere felicissima tempora, scilicet simul fere vis hominum in ipsam rerum naturam, eorumque notitia tum globi terrestris, tum rerum quotidianarum mirifice augebatur simul cum ingenii cultu. Inde factum, ut iam nunc, tribus vel quatuor saeculis, hominum communio et societas non ad eundem modo cum antiquitate gradum pervenerint, sed plurimis iisque gravissimis nominibus supra illum emincant.

Quod ipsum in causis est, cur iam nunc permulta sint mutata. Nos iam eo pervenimus, ut antiquitatem ubique fere superemus, et paucissima illa, quibus ea praestat etiamnunc, multis compensantur, quae nostrum aevum decorant. A medio aevo litterae Graecae et Romanae, non solae quidem sed maxima ex parte, nos liberarunt et cripuere. Quod ipsi non valuissemus ut oriretur, inde natum est, litterae recentiores, quae nunc permulta iam tulere longe paratiora ad usum, et numero multo maiore, nec multo minore praestantia, quam illa antiqua sunt. Iam non deest, interdum vel premit copia librorum, id est doctrinae omnium, unicuique statim paratae. Iam libertate, non nimia quidem, sed quali contenti esse possumus, nobilissimus quisque uti potest. Cogitare, ergo esse iam licet, quin immo modeste et humane eloqui quaelibet, neque excluduntur, quae a modestia et humanitate vel alienissima sunt. Inde natum est, ut duae iam res nostris temporibus gravissime homines commoveant. Commode vivere vult unusquisque, et commode regi, vel ut apertius dicam, hoc iam requirunt, ut tum in vita quotidiana facultates suas amplificent, et sive ipsas adipiscantur divitias, sive ea, quorum causa divites esse voluerint; deinde cupiunt, ut maius fiat ipsorum momentum in administranda republica. Quin immo bona pars eo procedit, ut cultum animi non adeo quaerat, quam rei domesticae florem, et ut leges sibimet constitui flagitet non adeo bonas quam suas. Sed criminandi, etiamsi vere fieret, nec locus nunc est neque causa. Id unum mihi datum volo, ut iam demonstrem

haec esse, de quibus aetas nostra sollicitatur, eamque id mirari et plauderc, si quando celeritati hucusque incognita vel ipsi homines vel eorum verba saltem immensa spatia percurrant, vel si novis iisque praeclarissimis inventis quotidie fere doctrina nostra augetur, ut possint mercatura et artificia, ut possit omnium primaria rerum intelligentia in ignotas ante sibi regiones penetrare, et obscura hucusque argumenta levi negotio perspicere. Vel hoc etiam, quod ad civitatum regimen pertinet, nostrates vehementer agitat, neque ii sumus, qui possimus quidquid hodiernum aliquem PHRAATEN terreat, unice securi despicere; ad nos quoque pertinet, quod de monarchia ceterisque imperii formis, quod de libertate sive nimia sive non sufficiente, de varia ratione, quibus suffragia ferenda, aut creandi magistratus, aut leges diiudicandae sint in exculta quavis civitate agatur. Tenemur autem in hisce eatenus, quoad ea, quae dixi, populos mirifice commovent neque ullum nostrum patiuntur sui ignorantem, siquidem vult eodem cum acqualibus gressu procedere; nec si complures fortasse non satis ea discernant, eo argumento falsa esse evincentur. Languent igitur nunc, et sordent antiquae litterae, quin immo sensim deseruntur, relinquunturque paucissimis et in dies paucioribus. Cogimur enim, quotquot has litteras diligimus, ut multi laboris exiguum saepe fructum percipiamus, et hoc quoque post nummos poni solet. Nec iure negari potest, animi cultum, rem praestantissimam et dignissimam optimo quoque, hanc ipsam ob causam cum turba, profanoque vulgo communicari neque debere neque posse, cum saltem sublimiorem, de quo nunc agimus. Item verum est, hunc animi cultum etiam aliunde quam ex litteris hauriri posse, et ex recentioribus ut ex antiquis; deinde ipsa rerum natura affatim praebet argumentorum, quae osores nisi ignorantes fere non habent, et quibus vel leviter tenendis non sufficeret tantillum hoc vitae humanae spatium. Porro, si haec omnia ad studia privata, et elegantem ingeniorum oblectationem exigenda sunt, non video, quid altera ars alteri praestet. Quae omnia si negaremus, ut nunc candide fatemur, non possemus tamen hosce fluctus effugere, qui invicta nunc vi splendidas olim nostras, et excelsas litteras deiiciunt, ut quidam et volunt et credunt, usque in oblivionis vorticem. Quis scit, an mox forte ipsis resurgendum sit?

Omnia haec igitur ad normam hodiernam exegimus, et id fassi sumus

aliquatenus, litteras antiquas non utiles esse eo sensu; quo nunc fere intelligunt, nec iam hodie neque ad opes singulorum augendas, neque ad civitatis regimen aut multitudinis cultum ingenii multum interesse, utrum in eadem civitate Latinae Graecaeque litterae floreant necne. Eant iam, quaerantque aliam quamvis disciplinam, quae tot tantaque concedens inveniatur; reperientur opinor permultae, quae neque praeteritorum laude insigni utantur et etiamnunc demonstraturae suam sint praestantiam, quae tamen semet ipsas admirantes hunc candorem non imitabuntur. Nos igitur si quid retinendum censemus, si nobis quid abripi non patimur, eo magis audiendi sumus, quoniam nec denegavimus quae iure poscebantur, possemusque, si luberet, iam nunc post vitam diutissimam neque ingloriam honeste perire, sive arenam, si quis id malit, iunioribus relinquere. Sed etiamnunc supersunt vires, neque aliter concessimus quam si obtemperandum erit normae hodiernae, in quam ipsam accuratius nunc quidem non inquiremus, et cuius absque ullo dubio hanc saltem partem non observabimus si quae forte nil fuerit nisi praetereuntis diei opinio popularis. Non intermortuae sunt litterae nostrae, neque studium antiquitatis, quod magis apparere, et firmius evinci nequit, quam si demonstremus, hanc disciplinam vel nunc, post tot saecula et tantas rerum immutationes, locum suum in informandis ingeniis, et mente humana excolenda rite tueri, et quidem sic, ut omnino relinqui nec dimitti queat. Is autem locus est in iuventute instituenda. Ostendam, et usum esse litterarum quam maximum, si seorsim spectamus, neque alias posse disciplinas in earum locum commode succedere, dicendumque erit de causis, quae has iuvenibus puerisque necessarias efficiunt et fructibus inde petendis; adiungantur denique monita quaedam de ratione qua ipsae hae litterae colendae sint. Pauca de singulis tradam.

Quod igitur id attinet, qualis antiquitatis sit usus, et quaenam egregia inde hauriri possint, non quid dicam requiro, sed fere nescio, quid reticeam, et Spartanorum exemplo haec fere ut nemini negata omitti possent. Quoniam vero, monentibus ipsis veteribus, homines saepe id quod volunt, credunt, multique autem non libenter invalescere cernant hasce litteras, ideo carptim summa referam. Habemus igitur in veterum scriptis dicendi scribendique elegantiam, saepe etiam rerum cognitionem eam, quae ex-

sistere fere non potest ab eo inde tempore, ex quo summa cognitionis nostrae ab eodem homine uno teneri nequivit. Isti enim et dicere solebant coram auditoribus, et scribebant solis excultioribus, qui uni fere satis legebant; omnis deinde ipsorum cogitandi ratio ex colloquiorum potius mutabili varietate, quam ex severis et ideo saepe remotioribus studiis erat derivata. Eloquentia tum florebat, utpote potentissima, poeseos item hoc erat aevum, nec si quis in elegantioribus versaretur, ideo ut nunc aliena a severioribus ratione scribebat, quoniam utrumque, quod saltem ad scribendi artem pertinet, nondum adeo diversum esset et separatum. Desunt veteribus permulta, quibus nostri iam gaudent aequales, sed quae habuere, eorum longe maiorem partem coniungere firmiter et simul omnem cernere et proponere licuit, quam nobis. Summa igitur antiquitatis ingenia, Aeschylum dico, Thucydidem et Aristophanem, Platonem deinde et Aristotelem et Demosthenem, et de Latinis cum Cicerone Caesarem Tacitumque si quis legat, multo propius ad universum ipsorum aevum accedet, et omnia huc spectantia complectetur, quam si nostri saeculi aliquem scriptorem, qui permulta ea demum lege perspicere valeant, ut a ceteris prorsus aversi huc omnes converterint ingenii vires. Pulehris deinde formis olim magis fere studebant quam nunc solemus, et non pulchris tantum, sed etiam simplicioribus et quae facilius perspiciuntur, sic in tragoedia, sic in argumentando. Accedunt, quae gravissima fere sunt. Eos quos dixi, et reliquorum aliquos haud magno numero, e quibus Herodotum et Sophoclem Horatiumque et Virgilium et Livium honoris causa nomino, cuncti iam agnoscimus scriptores fuisse egregios, multisque nominibus quam maxime laudabiles: his suus est locus et honos apud excultiorem quemlibet, neque horum scripta umquam prorsus negligentur. Mutabuntur sine dubio hominum opiniones, et prouti de religionibus, prouti de civitatibus regendis existimant, multos saepe recentiores alioquin egregios, at sibi adversantes damnabit unusquisque, aut viliores secum facientes nimium extollet, sed nemo Thucydidi rerum cognitionem denegabit, aut summam Ciceroni eloquentiam laetissimo ingenio coniunctam, nemo sustinebit Aeschylum dici abiectum, vel frigidum Ranarum Aviumque poetam, nemo facile Platoni, aut Divo illi Iulio coronam detrahet. Cum autem omnes in laudandis hominibus consentiamus, fieri non potest, quin

multa item accipiamus et edoceamur ab isdem, quae porro efficiunt, ut nascatur opinionum inter plurimos similitudo et vinculum, sine quibus multo etiam diversioribus, quam nunc fit, doctrinis et commentis distraheremur. Si quando futurum est, quod semper vitari non poterit, ut desinant antiquorum placita vel ab ipsis, vel per eos qui inde deccrpserint derivata magnum in humana societate locum obtinere, multum vereor ne inde turbae oriantur et discordiae diversitatesque opinionum, quae vel nunc variae sunt, sed magna ex parte ab eadem origine pendent et ita aliquatenus consociantur. Ii deinde scriptores, quos modo nominavi, eiusmodi sunt, ut lcgi mererentur, etiamsi cuncta istis contraria fuissent, ut nunc favent. Nos enim, quod non facile quis negabit, ubique fcrc veteribus praestamus quidem, sed illi et singuli, et Graeci saltem universi, pro viribus suis nobis longe plura effecere. Comparet aliquis rudes istas et informes tum civitates, tum placita Solonei temporis cum Periclis aevo, cum Alexandri aetate, et alterum mihi excitet populum, cui tantillo temporis spatio tot tantaque genus humanum debuerit, si quidem, ut par est, de illis saltem profanis loquamur, et de religionibus, utpote ab argumento nostro alienis, verbum nullum faciamus. At ea, quae Graecorum nationi debemus, iis fere ipsis debentur, quorum de scriptis agimus, debentur sine dubio Demostheni permulta, ut Romanorum beneficia Caesari, etsi neuter potuerit id efficere, cui ante omnia operam dedit, nec minima pars ad ceteros recidit. Ea autem quae sunt? Immo vero unicae illae excultiorum civitatum consociationes, quarum ad nos pars memoratu digna pervenit, et satis ampla, ut inde potuerit posteriorum communio aliquatenus sustentari, deinde litterarum laus, quae per tot saecula praestantissima omnium scribendi exempla, neque etiamnunc contemnenda praebuit, et ipsi sermones, variis nominibus cgregii, per quos multarum gentium consociatio dudum exstitit necdum omni ex parte est sublata, porro exempla regendarum civitatum, humilia quidem ea et minime absoluta, si ad nostram normam modumque exiguntur, sed comparandae tamen, quin immo multis vel in Europa hodieque vigentibus anteponenda; deinde, si singulorum beneficia exquiramus, Graecis debetur, quod nulla umquam gens ex comparabili parte promovit, artium studium et initia iam magis quam dici potest pulchra, Romanis autem iuris praecepta, quae miramur

etiamnunc et quibus hodieque utimur. Omitto leviora; paucissima sunt, quae neque inde orta, neque ab istis aliquo nomine adaucta sint. Ea igitur nosse et recte intelligere maximi momenti est, quae cum tot tantisque et tam variis argumentis cohaereant, quibus inde lux oriri, quorumque intelligentia augeri et potest et solet. Nempe si hoc summa ingenia testata sunt, se simulatque novum quendam sermonem addidicissent, quasi novo oculo sibi instructos esse visos, de nullis id verius esse potest, quam de iis, quae et formarum amplitudine, et quia dispersi per maxima olim spatia, et quoniam perduraverint in diutissimum aevum, et effectibus in animum humanum, et praeclarissimis scriptis, et innata pulchritudine, et ipsa vi in omnes omnino sermones minus rudes qui etiamnunc usurpantur, nulli alteri neque cedunt et fere comparari nequeunt, qui si reduci possent et cum gentibus communicari, mirum quantum utilitatis afferrent.

At contendunt multi, et haec est ratio, qua una possunt adversus haec studia argumenta firmiora excitari, tantam iam esse copiam et amplitudinem doctrinae humanae, ut et a singulis teneri nequeat, et eius partes praecipuae, omissis ceteris et reiectis, eligendae sint, ut aliqua demum ex parte obviam eatur pruritui addiscendi quam plurima et quam diversissima, ut tandem minuatur ea vis, quae ingenia, iuvenilia praesertim, ipsa doctrinae mole premens exstinguat. Quorum illud negari omnino nequit, neque hoc absonum est, sed videndum quid inde fluxerit et sequatur. Ne autem, interea, nimiam hanc nobis doctrinae copiam animo informemus, et vix sustentandam arbitremur, cui si bona pars addita fuerit, ut iam accessura est, non tolerabilis modo sed vel sic haud sufficiens erit habenda. Nempe haec vulgi fere, et ipsorum ignorantium sunt clamores, saepe negligendi, aut quo acerbius pungantur ea ratione oppugnandi qua dicam. Sunt, qui hoc saepissime ore gerant et ita agere etiam soleant, ut frustra sudare dicant et laborare optimum quemque in rebus sive inutilibus omnino, sive parvi momenti. Iis iam concedendum est, graviter errasse eruditiores, sicubi illa magna ingenia nobiscum benigne communicare velint, quae demum, et quibus argumentis, sint ista maioris momenti et virtutis, quibus potius vitam nostram adhibere, et in quibus vires impendere debeamus, nec facile excitabunt, nisi quae multo etiam plures reiicient quam nunc fastidiunt nostra. Sed ita res iam ad studia privata, et singulorum

animi oblectationem reiiceretur, quibus ut non omnis vis detrahenda, sic multo minus nimia permittenda sunt. Deinde si studia nobis nostra, et laborem adhibendum denegant, iniuste facerent, nisi omnibus simul cederent istis, qui etiamnunc fructus antiquitatis exsistunt, vel quae ex istius imitatione fuerint formata, et bonam ingenii excolendi partem, ut hoc unum dicam, amittent. Hoc vero fieri tam absurdum est, ut vel cogitari non queat; hic igitur firma iam invenimus fundamenta simul studiorum nostrorum, et utilitatis certissima documenta. Haec autem omnia adesse non poterunt adversarii negare: id contendunt, non tanta hinc nasci, ut his iuventutis institutio superstruatur, ut haec sint, quae tenellis primum animis, et mox efflorescentibus apte tradamus, ut possent rite formari et sic etiam e surculis arbores nasci. Videamus, quid rei sit. Quod autem ut fiat, accurate simul et perspicue dicendum est, quid velim. Aio, in nostra patria hanc iuventutem, unde bonos cives, et culta ingenia exspectamus, sine litteris et variorum sermonum notitia institui omnino non posse; iam magnam eorum partem, si numeros spectamus, immo vero excellentissimam forte, si altiora quaerimus, antiquis his litteris esse imbuendam, quin undique erudiendam, haec autem esse vera, tum si universe omnem animi cultum, tum si ea spectemus, in quibus singuli postea vitae ponent curricula, quin immo sine his litteris magnopere imminutum iri exspectationem, fore ut possent hoc in argumento unicuique quam aptissima contingere. Quae demonstrari fortasse brevi hoc unius horae spatio non poterunt, at possunt adumbrari, possunt fortasse verisimilia evinci iudice optimo quoque. Quod si factum fuerit, satis superque lucratus ero.

Negavi igitur ullam esse in patria nostra institutionem, quae quidem id nomen meretur, et non magna ex parte constet e sermonum notitia. Vivimus in regione nobilissima quidem, et celeberrima felicissimaque, sed parva ea et quae nunc saltem genus humanum non ducit ad meliora, sed magnum sequitur illum tractum, quem ingressae sunt potentissimae nationes. Etiamsi vel plura nobis faverent, hoc negari iam nequit, et nostrum quidem esse locum in humanitate promovenda, sed cum, pro exiguo nostro numero, neque primarium esse neque magnum. Deinde etiamsi maior ille ceteroquin esse possit, obstat ipsius nostri sermonis ignoratio, qui addiscendi

difficultatem praebet aliquam et difficultatis opinionem multo etiam maiorem. Porro, quidquid faciamus, hoc fere certum est, extraneorum numquam nisi paucissimos nostri sermonis notitiam sibi comparaturos. Sin igitur cum extraneis vivere cupimus, ut vivendum est, nobis ipsorum linguae addiscendae sunt, et ita cum ipsis poterit communicari. Nos enim paucissimos et fere neglectos cingunt et premunt gentes tres potentissimae et in dies fere potentiores, et quidquid humanitatem cultumque ingenii promovet, id fere per eas gentes agitur, quae nobis facile careant, quibus nos carere non possumus. Carebimus autem eo minus, quod hoc effecerunt nostri temporis praeclarissima inventa, ut ea fere omnia manerent, quibus magna imperia parvis praestant, dum propinquitatis commoda haud parum imminuta sint, dum spatiorum diversitas et remotior situs longe minus quam nuper affert impedimenti. Quae cum ita sunt, hoc fere contendere licebit, populum nostrum non posse amplius alicuius esse momenti, ni humaniores ad unum omnes sermones Anglicum, Gallicum, Germanicum satis teneamus, neque hoc effici poterit, ut iam unicuique erit perspicuum, nisi magnam partem institutionis sic habeamus comparatam, uti litterarum cognitione nitatur eique insistat. Hac demum utentes id poterunt obtinere iuvenes nostri, quibus omnino opus est; ut scilicet nobis quoque innotescant nobiliora quaelibet, quae fiunt a gentibus quas excitavi, ut non possit in ulla doctrinae artiumve parte, vel inventorum quodquam genus, vel nova placita, quae quidem memoratu digna sunt, vel opiniones validae multisque communes aut animi nostri attentionem fallere aut eorum causae prorsus a nobis ignorari. Iam enim ut solus, vel cum paucissimis, nemo humanior diu vivere commode potest; ut solae nec singulorum familiae, neque parva necessariorum manus, vel unum oppidum etsi splendidissimum potest totum nostrum animum continere eique sufficere, sic ne una quidem respublica; ne caeci fiamus et nil cernamus in posterum nisi proxima quaeque eaque confusa nec satis accurata, oculi etiam in remotiora convertendi sunt, eaque saepissime, diuque et amice contemplanda.

E studio litterarum igitur proficiscatur institutionis pars et satis ampla, et maximi pretii, itemque duratura, quoad licet de rebus humanis praesagire aliquid. Illa autem litterarum studia quomodo moderemur, vel qua-

lem sequamur normam? Addiscantur sine dubio ei sermones, corum scriptores legentur aliqui, huiusque rei summam esse utilitatem et nemo denegabit, et ipse modo idem contendi. At pace dicam corum, qui istas litteras docent et ita maximum in patriam nostram conferunt beneficium, dicam, id iterum rogo, his non nimium irascentibus, ipsas istas litteras sic fere doceri, ut magis a superficie rerum et specie proficiscentes singuli penetrent, quoad lubebit: lubet autem nimis multis ut haerentes in initiis severiora omittant; docentur, inquam, ut magis hoc fiat, quam ut firma ponantur doctrinae fundamenta, nec facile fere ac cito peritura. Si quis, exempli causa, candide inspiciat et sine ira vel studio comparet libros istos et compendia, e quibus soleat notitia recentiorum sermonum peti, cum iis, e quibus veterum scientia derivatur, non haec quidem omnibus numeris perfecta inveniet et absoluta, sed tamen prioribus fere ubique longe praestantiora, sive rerum intelligentiam et sermonis leges et origines bene perspectas, sive dicendi rationem et veram et facilem, neque nimis obscuram inquiramus; reperiet ubique, vel in sequioribus, quantopere sit veterum sermonum studium, hucusque saltem, accuratius simul et severius. Scio quidem, hoc et imminutum esse discrimen, et in dies magis imminui, neque is sum, qui laudibus quid meritis detraham eorum, qui et in Germania et alibi, qui praesertim in patria etiam nostra, eximii illius Iacobi Grimm vestigia splendidissime secuti, multa iam desudarunt, et plurima consecuti sunt egregia, et longe plura etiam assecuturos sese sperant. At obtinebunt, opinor, doctis longe plura quam cunctis, et si quid illi in uno sermone sibi comparaverint, ideo saepe a rèliquis distrahuntur, dum nostra studia, circa communem fontem versantia, nullam queant illustrare partem nisi ita, ut aliquot tamen inde radii et in cetèras cadant. Hoc igitur contendo, a numero et parte longe maiore et hominum et librorum antiquos sermones docentium hos sermones multo accuratius et magis intrinsecus exponi, quam doceantur recentiores ab eiusmodi parte sive numero omnino comparabili. Id autem si verum est, sequetur, quod dolendum facilius quam negandum quis evincet, in institutione iuventutis Neerlandicae hodiernae litteras antiquas studia praebere severiora, et ideo partem obtinere digniorem verioremque quam recentiores, etiamsi concedatur quod nimium esset, scilicet antiquis ideo tantum nos uti ut aditum ad recentes

habeamus. Veram hucusque sermonis alicuius intelligentiam non facile obtinebunt nisi paucissimi, aut obtinebunt per studia sermonum Latini Graecique, eorumque indole probe perspecta.

Ast hunc sibi laborem imponere, ad hunc finem penetrare item non poterunt nisi parvo numero, iam mihi obiectum iri probe intelligo. Sed loquor de ipsis his paucis. Eos dico, quos sive honestiore loco natos sive per felix ingenium ex inferioribus emergentes ideo iam instituimus, ut et vitam silentio ne transigant, veluti pecora, et tales fiant, quibus possint res alicuius momenti probe permitti, quibus possit, si singulas artes spectemus, iam de aegro morti eripiendo, vel de repellendis potentium iniuriis, ut cetera vel gravissima taceam, iudicium esse. In quibus item erunt, qui nostram fallent exspectationem, sed annuente Deo Optimo Maximo non omnium ingenia obdormiscent neque peribunt, nec summa nos rerum decipiet. Hos igitur satis superque vel sic multos, iuventutem mox academicam intelligo, cultissimorum nunc prolem, quam utinam mox videamus multo etiam cultiorem. Hanc igitur quatenus non quotidiana unice curabit, et cogitabit etiam digniora quam ut pecunias sibi, et externa commoda paret, eos omnes quos cognoscendi aliquis ardor, et sitis quam dicunt doctrinae exercet, hos volo, eos dico nisi per litteras non posse, nisi per litteras antiquas vere non posse hanc obtinere, sine qua sordet vita humana et languet, rerum intelligentiam.

Iam autem hae litterae quomodo sunt colendae, ut sincerus inde animi cultus, et doctrina non inutilis oriatur? Eritne desudandum in vocabulorum dudum mortuorum formis, et num hoc generi humano proderit, Macciusne Plautus dicendus sit, an M. Accius, et fueritne Meletus nomen illius, an Melitus, qui Socratem accusavit? Ita enim iam solent acerbe ratiocinari et invidiose, obliti fere nulli omnino disciplinae non posse eiusdem generis minutiora obiici, et non hoc nos contendere, sed id, prodesse humanioribus, ut Socratem Plautumve cognoscant. Nempe his etiam est modus in rebus, et certi fines, quos ultro citrove rectum non invenietur. Accuratam volumus doctrinam, neque illa potest minutiora omittere, sed non ideo ad *μικρολογίαν* recidamus. Qua de re arbitrium esse non poterit nisi singulorum in singulis argumentis, et unusquisque pro ingenio suo eliget quae sibi placebunt. Id tantummodo probe teneamus, nihil pror-

sus esse omnino reiiciendum; loco cedant dignioribus leviora, at eundem infra resumant neque undique excludantur; quidquid enim edocetur mens nostra, id lucro ducendum est, et usum poterit habere suum. His igitur de quisquiliis iam missis, ad graviora transeamus. Et sic fere a permultis intelligitur quaestio, ut id agi dicant, utrum *res* potius an *verba* sint cum adolescentulis communicanda. Quae ex parte otiosa sunt, neque ab ipso multum absurdo remota, nam verba nisi aliquid significantia quid demum sunt, et ipsae res quomodo nisi verbis tradantur non capio. At id volunt, utrum in formis grammaticis, an in cognoscenda antiquarum gentium vita et moribus laborem simus rectius posituri, et utrum Boeckhium nobis potius, an Ruhnkenium, tamquam absolutum philologum mente informemus. Quibus audacter respondendum est, utrumque esse agendum, et Bentleii exemplo tam id tenendum esse, quanam ratione Iambici versus pangantur et formae nascantur vocabulorum, quam Aesopus quis fuerit, et qualibus nummis usi fuerint Siculi. Utrumque igitur agendum est, et ita coniungendum, ut in sermone docendo ipsae sermonis leges primas obtineant, neque omittatur, ut ex antiquitatis cognitione moribusque veterum quam plurima illustrentur. Ea autem quorsum extendenda sunt, non ab rei ipsius indole sive postulatis, sed ab ipsa singulorum doctorum scientia pendent et inde sunt delineanda describendaque, quae ut ostendamus quam sint et simplicia et vera, monere sufficiet, hic item doctissimum quemque optime esse docturum et facillime penetraturum vel ad intricatiora; non enim tantum, quo quid suapte natura facilius, eo melius a discipulis tenebitur, sed etiam, quo accuratius illud intelliget, quoque magis perspicue interpretabitur iste, qui eos docet. Ita si quis vel aridam quandam, ut aiunt, grammatices normam probe intellectam recte proponat, et melius infigetur animis auditorum et utilior erit saepissime, quam si vel praeclarissimum aliquid inventum, sibi non perspectum, stupentibus auditoribus ipse stupens exponat aliquis, cuius rei talis cognitio neque etiam nisi ipsis stupentibus poterit esse stupenda.

Sed aliud quid obiicitur e graviorum genere, quo nunc et utuntur multi et abutuntur, quod partim esse verum solet haud satis aeque denegari, cuius rei nihil esse falsum non sustinebunt nisi qui quidquid. Non scholae nos iam aiunt, sed vitae, et discere et doceri, neque ad vitam esse litteris

nostris opus. Neque est sine dubio. Non opus est ut si quis faber lignarius futurus est, aut aerarius forte, si quis agrum colere cupit aut negotia facere, si quis sive rerum naturae partem aliquam, vel machinarum istas moles et miracula nostrae aetatis curabit aliquando, non opus est neque hisce neque ullis litteris, eatenus saltem, quoad eius de quo dicimus nil refert humanioribus annumerari. Neque hoc externa tantum spectat, sed vel istiusmodi homines fidenter aio melius, et liberius, quin immo latius etiam esse circumspecturos intellecturosque res humanas, si cognorint litteras recentiores ita, ut ipsis commode utantur; quod sine veterum sermonum fundamento fieri vix posse supra ostendi. Penetrat litterarum vis in ipsum animum, et quidquid boni legeris, quaelibet dicendi, sive agendi cogitandive ratio, quam bene tibi perspectam probaris, tibi etiam in posterum, teque sectantibus non peribit, dummodo in te bonae frugis aliquid erit. Hoc autem si puer, deinde adolescentulus non didiceris, quando disces? Cum scilicet ipsa te vita, eiusque sive ardua sive iucunda vel premunt vel alliciunt, exspectarine, et saepe vel fierine potest, te nova studia incepturum sive rerum quas ipse cernas, sive earum, quas libri tradunt?

Hoc autem non est, quo in argumento haec studia praeclarissime fulgent. Hoc volo, paucissima esse in vita tanti simul momenti et adeo lubrica, quam illa selectio vitae futurae, quae tamen omnibus fere incumbit, et solet incumbere in pueritia. Ea vero quot quantisque periculis cingitur? Omitto, si argumenta a pueri ingenio aliena, si rei familiaris administrandae ratio, si corporis animive defectus quidam adsint graviores, si per vim aliquid, aut errorem manifestum agatur. Id intelligo, si ambo sint parentes et in vivis, et ingenio non ita debiles, si benevolus uterque, si non obtusus sit quod ad ingenium puerile cognoscendum attinet, si res ea, qua par est, prudentia agatur, si ipse denique puer et bene moratus sit neque ingenio infelix vel fallaci quadam scintilla occaecatus, quae cuncta ut in unum concurrunt apud multos, ita certissimum est et flebile, nimium multos pluribus ex hisce caruisse. Iam etiamsi vel haec utilissima conveniant, fieri vix potest, quin vel sic aut nimis multum aut forte non satis tribuatur vel praeiudicatae cuidam alterius parentis opinioni, vel alterius votis saepe minus liberalibus, ut pater verbi

causa socium sibi, vel successorem filium ante omnia cogitet, materve sacro destinet ministerio non satis aptum, quem debuissent prae ceteris cogitare ut felicem, si possint, ei generi admoveant, quod ipsi poterit placere. Deinde, si vel optimi parentes ipsos filios et interrogent et multo demum labore assecuti sint difficillimum illud, quid tandem ipse cupiat puer, quod solent conari quam plurimi at paucissimis tantum contingit, occurrit sexcenties, ut hoc vel fieri omnino propter singulorum vivendi rationem non possit, vel ob pueri inscientiam ipsi non sit profuturum. At tempus urget, necesse est, puer ut instituatur ea ratione, quae aptum reddat ad artem in qua habitaturus est, neque ipsum aequales antecedant. Sic igitur multi coguntur, ut partim nescii quid agant, sero partim, ut iam non possint e quibusdam argumentis eligere, partim vero immature ob mentem puerorum nondum satis excultam, consilium capiant, unde pendebit vita omnis futura. Sapientissima omnium est ratio, eosque felices praedico quibus per optimos parentes illud contigerit, ut secernantur pedetentim et segregentur data quavis opportunitate ea quae omnino erunt reiicienda, ut reliquis omnibus, quoad fieri potuerit, mens adolescentuli informetur apteturque, ut deinde ne una quidem hora citius, quam omnino est necessarium, puer ipse dudum praeparatus quam liberrime eligat, et e quam plurimis reliquorum. Hoc et ipsum prodest, et convenit universo ingenii progressui, ab simplicissimis et maxime universis ad singula semper intricatiora tendentis, et fere vitat incommoda inde nascentia, quod electurus sibi aliquis artem disciplinamve quamlibet necessario addiscendi tempore iam careat. Haec autem ratio informandi animi ita, ut maneat ille quam diutissime compluribus satis idoneus, unde tandem haurienda est, nisi ex universa ea rerum notitia, quam litterae praebent? Cetera enim vitae quotidianae, quae eodem ducant, ea nunc non moramur de studiis et institutione agentes, neque ab ullo commode poterunt argumento abesse. Ut autem redeat oratio, unde deflexerit, si litterae haec omnibus praebent, in aprico est, multo magis idem valere de litterarum antiquarum effectu in eos, qui vitam sibi academicam elegerint, quos praesertim, et fere solos, spectandos nobis sumpsimus. Sunt quidem disciplinae, quae ipsis non apte quidem, at aliqua tamen ex parte careant, neque hoc negabo, eum, qui corpus humanum est remediis sustenturus,

vel eum, qui Archimedis sibi et Euclidis exemplum sequendum ceperit, his litteris, ad ipsam suam artem a ceteris prorsus segregatam, si tantum separari recte potuerit, et antiquitate non indigere. Eximantur igitur hae disciplinae earumque sectatores, sed non antequam ipsas illas artes immutabili voluntate sibi delegerint: retinebimus contra omni vi eosdem, donec compertum iam sit, quam vitae usum et rationem sibi proposuerint. Deinde hoc etiam cavendum est, quod fieri interdum solet, laborem his litteris adhibendum fastidiri a quibusdam, non quia litterarius, sed quia labor est; his igitur fides non est habenda antequam alium sibi quemnam, et digniorem, neque nimis facilem laborem delegerint in reiecti nostri studii locum. An igitur hoc optabile, ut et homines semper, et teneri imprimis pueri laborent? Ita vero est, auditores, dummodo ne hic quoque obliviscamur, quae solent de noxia quaque re nimia pervulgari. Ipse enim ille est labor, qui animum informabit et expoliet unumquemque, per quem fere unum revera lucramur aliquid, quod non ad ipsam materiem pertinet, is demum *οὗ πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί.* His igitur exceptis, iam id aio saluberrimum esse omnibus his, qui curriculum academicum sunt mox ingressuri, ut serventur retineanturque magna ex parte studia haec antiquitatis, et iis omnino, qui historicas ut ita dicam, sive morum disciplinas exercebunt, qui sacris fungentur ministeriis, aut in iure dicundo, vel ea, de qua dicimus, iuventute instituenda versabuntur; hi omnino, ut etiamnunc fit et frustra oppugnatur, aliter nisi litteris antiquis exercitari in dulci iuventa non possunt, et diu erit antequam potuerint.

Haec igitur si evicero, iam facillimum est, ut hisce, de quibus postremo dixi, ad munus etiam futurum omnino necessaria esse haec studia ostendam unicuique. Nempe eo iam pervenimus, ut universe de tribus disciplinis, quas nuncupavi, non facile adversabitur nisi unus et alter, ipse ut multum vereor antiquitatis haud nimium peritus. Singula autem et minutiora tum ab hoc loco et hac hora fere aliena sunt, nec facile componentur. Concedamus verbi causa illud, Graeca iurisconsultis, theologis Romana non esse eiusdem momenti atque altera, at haec neque facile neque utiliter separabuntur, et vos tandem o queruli nonne permulta agitis alia minime necessaria et inutilia fortasse, nec succurrunt querelae nisi cum excultior frustra animus lucro datur?

Afferunt autem, quicumque his litteris adversantes de semet ipsis aliisque multis solliciti, at perperam securi de longe pluribus, omnibus hucusque allatis necdum obtemperant, duo esse vel immo tria, quae apte et Latio et Graeciae succedant. Instituendi sunt pueri, inquiunt, studiis physicis, nostri porro sermonis, ipsarum deinde, quas modo laudavi, recentiorum litterarum. Quod sine dubio verum est: fieri si poterit, et hodiernis insuper addi, id ut qui maxime probabo. Miror enim et quamvis hospes magnopere amo disciplinas istas physicas, quibus iure gloriatur nostrum aevum; sermonem patrium diligo, tamquam unicum eum, quo possimus vel exercitatissimi cogitata nostra recte tradere et nobiscum invicem vera nec distorta fucataque communicare; de litteris recentioribus, sine quibus torpebit haec patria nosque ipsi, verbum ut amplius addam supervacaneum esset. Verum ut his iuventutis selectae, et fere academicae futurae institutio superstruatur, iuxta cum invitissimis repugnabo. Si velint homines nostri, ut rerum naturam anquirentes disciplinas promoveant, summas effundere pecuniae intolerabiles et quae cogitari vix queant, si velit indoles humana mutari, et pueri hisce libenter operam impendere et intelligere ipsa, simulatque a fallaci et brevissimi temporis oblectamento in severa et ideo vera studia pergunt, non obsto, sed cur resistam, haec satis iam produnt. Si id queruntur aequales, sermonem patrium non satis in vulgus nosci, assentientem habebunt, etsi quam maxime nollem, sed id in prima pueritiae tempora reiiciendum est, et inde quod maturiorem exerceat iuventutem peti nequit, nisi recidamus in id, de quo statim dicam. Recentiores deinde litterae doceantur, sed ad usum quotidianum, ingenium autem sermonum eorumque et originem et casus anquirere, id aut studiis elegantiorum quorundam privatorum relinquendum est, aut paucissimis istis, quos amor dirus intelligendi ipsa hace vel invitos fere cogit, ut hisce ineumbant. Solet autem iam in studio tum nostri sermonis tum extraneorum id fere peccari, ut deficiente in necessariis materia, quam scilicet iuvenes fere adulti doceantur, intrinsecus penetrent doctores, et quidquid remotius ipsis placuerit, idem discipulis tradant. Huic igitur malo obviam eundum est. Concedo facillime, ut his praesertim temporibus multi contemnant ALEXANDRUM et CAESAREM, bella Peloponnesiacum Punicumque, Parthenona cum Colosseo, Athenas et Romam, ne AGAMEMNONA HERCU-

lemve dicam, sed Xenophontem, verbi causa, quam Gonsalvum Cordubensem maioris esse momenti nisi Italis et Hispanis contendo, et fateor, ex mea opinione Homero magis tribuendum esse ab humanioribus, quam Siegfridum et Chriemhildam, vel qualem illi sibi informarunt scilicet Carolum Magnum, eoque non magis fabulosum Britanniae regem Arthurem. Quibus Virgilius sordet, et Sophocles, ii ingeniosissimum quemque e recentioribus scriptorem deligant, sed misere coarguentur, si fragmentum aliquod medii aevi tenebris ereptum eo solum nomine antiquis anteponant. Equidem me ab Athenarum republica in aliam vel minus elegantem avocari facillime patiar, modo in maiorem et severiorem, neque a Romanorum imperio in minus amplum decedere recusabo, dummodo elegantius sit, et aequiores ibi leges inveniam; ad Longobardos autem suos et Gothos et Vandalos non nisi invitissimum trahent illi optimum quemque. Vivendum laborandumque est, hoc satis superque iam et concessi et ipse contendi, in ipsis his temporibus, utpote nunc praesentibus; at si ad praeteritorum scientiam erit recurrendum, haec nostra antiquitas praeteriti temporis longe praestantissima continet.

Est etiam aliud quid e celsissimis, quo splendemus et gloriamur, sed id ipsum adeo praeclarum, ut nec sine omni invidia dici fere possit, nec possimus nisi paucissimi nostrum longe excellentissimi hanc laudem tueri. Exsultans videmus saeculum nostrum, quod inventorum copia, et humanitatis latissima diffusione, et libertatis favore, et pacis etiam nuperrime beneficiis, et bellis iam gravissimis magnificentissime gestis, et gentium consociationibus, miraculis monumentorum, et artium laetissimo flore et nunc quam maxime conspicuo condecoratur. Sed haec omnia num quid afferunt, ut veram virtutem, animique praestantiam et cum innocentia dignitatem retineamus? Afferunt sane quam plurima, et ad ultimam fere plebem usque iam exagitantur facinora quaevis, dum animi vitia sic aggrediamur efficacissime, ut probe vivere uniuscuiusque interesse curemus. Dum autem gravia haec sint adminicula, et prorsus non spernenda, ipsum rerum cardinem et id quod caput est neque tangunt neque curant. Annotabo brevissime, quod in omnium sive ore iam erit, sive animo. Nae ista humanitas latissime sparsa non prohibuit, eheu, quo minus solio exturbaretur vicinae alicuius nationis rex generosissimus, non prohibuit, quo mi-

nus per aliquot menses ultima barbaries huic orbis terrarum parti imminuerit, non prohibuit, quo minus admirabiliter, fateor, potentissimam regeret civitatem ille ipse, qui quomodo ea potitus sit non dicere praestat praeterquam sic, neminem posse, cui virtus in pectore integra manet, eam agendi rationem non omnino damnare. At quorsum haec spectant? Id ostendunt, auditores, non posse neque inventorum laudem, aut physicas disciplinas quamvis et egregias et late patentes, vel civitatis prudentissimum regimen, libertatem denique amplam, a temperatissima inde ad immodicam illam et effrenatam, semper impedire, quo minus vel tyrannis derepente oriatur, vel pessimis artibus triumphetur. Quod per nostras litteras prohiberi posse ineptus essem si contenderem. At in eiusmodi calamitate, rerumque subversione hae praebent, quo refugias, hae quo recrees animum et sustineas, hae continent, quibus pectus nutrias, ut si vel quidquid illabatur, impavidum tamen ut innocentem feriant ruinae. Nemo qui quidem recte et cogitet et sentiat, non meliorem sese intellecturus est cum retractaverit, quae Pericles egerit et Epaminondas et Philopoemen, quaenam Teleutias Agesilai frater, aut numquam ille satis laudandus Syracusanus Hermocrates; nemo nisi admirabundus Licinii Stolonis, aut Fabii Rulliani veri istius Maximi, Rutiliive Rufi vestigia premet, quibus indubitanter addo virum hunc sine exemplo praeclarum, Iulium Caesarem. Adiiciam paucissimos, ne antiqua unice mirari videar, et subit animum memoria Iohannis Hampden, subit Annae Roberti Turgot, quos qui suspiciet et imitabitur, qui tales sibi ex historiae studio fructus comparaverit, vel miserrimus tamen aliquantisper beatus erit et in ipsis etiam vinculis liber. Ultimos reservavi, quos in primis voluissem, duos nostrates, duos, quibus vix credibile quantum debemus seri posteri etiamnunc omnes, Guilielmos primum et tertium, principes Arausiacos.

Contrahenda sunt, quae hucusque adduximus. Ostendimus, temporibus e medii aevi barbarie nuper emergentibus magnam fuisse et salutarem antiquarum litterarum vim in genus humanum, sed nunc aliter iam cogitari, neque a litteris eundem atque olim locum teneri; quae tamen minime reiicienda sunt, quandoquidem suam sibi laudem in edocenda iuventute vindicant, quoniam et ipsae maximam habent utilitatem animo informando, tum suamet ipsarum virtute, tum quia in earum ordinem aliae

succedere disciplinae nequeunt; nempe litteras esse, e quibus institutioni iuventutis ex magna parte fundamenta sint substruenda, et utrasque magni pretii, sed tales antiquas, ut iis recentiorum studium necessario innitatur, qua institutione fructur numerus haud quidem ita magnus, nec quod dolemus omnes utiliter, sed multi tamen et praestantissimus quisque; id ostendimus neque summa tantum levi brachio esse decerpenda, nec tamen recidendum et nugandum in minutioribus, sed et haec, et quomodo rerum notitia, quam aiunt, eum verborum explicatione iungatur, ab argumenti natura minus pendere quam a singulis doctoribus, quos igitur quam eruditissimos optamus. Accessit, quod haec studia dixerimus non tantummodo id quoque effiecre, ut nisi ad ipsa opificia, vel opificibus tamen nisi plane barbaris usum aliquem afferant, sed id prae ceteris, ut possit vere institui et sapienter educari pueritia iuventusque nostra, ut et sat cito, et sat bene possit vitam infleetere quaquaversus, quod si ad academiam faciat, et ad ea saltem studia, quae historicorum nomine a physicis modo segregavi, ab iisdem hisce litteris porro ducentur, ut bene intelligant, quae intelligenda mox aliis tradent, vel quorum auctoritate per vitam sunt usuri. Adieci, non nimium esse dolendum, si quis forte fortuna frustulam doctrinae aliquam acceperit supervacaneam, nec si et aequi simus et cogitemus superiora, negare nos posse, haec saltem munera et officia antiquitatis studio indigere. Adumbravimus porro, licet valde dubitanter et ipsa sanctissima luce fere occaecati, in quo argumento litterarum studium paene absque aemulo splendet, et quantum per debiles hosce mortalium animos liceat, puris fulget radiis, sed id e longinquo magis admirari quam praesentibus cernere nobis datum est. Redarguimus verbo, denique, et horum opinionem, qui physicis institutionem disciplinis sustentari posse putantur, et eorum, qui vel ex recentioribus sermonibus, vel e patriae etiam linguae studio saepe nimis erudito et a primario fine averso materiem quaerunt, qua per integrum fere quinquennium, tantum enim vitae spatium agitur, vel ut taeite postulant audaeissimorum quorundam placita per solidum decennium alant ingenia iuvenum. Quod fiet aliquando forsitan, etsi neque id spero neque multum inde utilitatis praesagio, sed dum recte cernimus, numquam sic fiet, ut praeclarae istae antiquitatis reliquiae non prae vigentibus praesentibusque deserantur, sed prae barbaris quibusdam ruderibus et medii aevi cadavere.

Superest, ut aliquatenus exponam, qualem ipse non ideo docendi normam mihi proposuerim firmam et immutabilem, eam enim anni docent, et longinqua consuetudo, et experientia comes itineris et magistra, et studiosae iuventutis utilitas, praeclarissimus finis, et ex oculis numquam amittendus; non igitur istiusmodi normam mihi iam informavi, sed imaginem speciemve institutionis, sed id, quod coniungere et pervelim et conari non desino, id vobis aperiam, ut satisfaciam cunctis iis, quae in huius orationis exordio posui, ut scilicet tantilla hac quae inest facundia et Latini sermonis exercitatione, et mei ipsius specimen aliquod darem et rationis, qua litteras antiquas mihi iam permissas in illustri hac schola sim docturus antecessor nuperrime creatus, ut sic libenter obtemperem laudabili maiorum consuetudini, et hodieque retentae. Id iam quaerent nonnulli fortassis vel sperabunt aut nolent alterutrum, hoc scilicet, utrum et ipse in explicanda antiquitate in vocabulorum potius formis sim haesiturus, et haecce minuta propositurus quam accuratissime, an exspatiari in quamlibet partem conatus id periculi vitandum habiturus sim, ne ipsius itineris finem ex oculis amittam. Et utrumque faciendum, quod ipsum iam satis arduum eo fit difficilius, quia munus et amplissimum et latissime patens mihi impositum sit, cui omni recte sufficere nec quisquam potest neque ego ad id valeo. Sed missis iis, quae imperfecta diu, vereor, remanebunt, id tamen, quod efficere annitar, breviter explicare licebit. Affirmant igitur quam plurimi neque ego denegabo, antiquitatis fere vitam, et mores, verbo dicam omnem ambitum esse indagandum, ut inde nascatur, quod discipulis cum fructu tradamus. Habet hoc, fateor, utilitatem fortasse aliquam, et maximam suavitatem; dulcissimum est, parvo spatio quasi conclusas cernere res humanas fere omnes, quae certa quadam aetate, eaque splendidissima, ad civitatum coniunctionem, populorumque indolem et quam vitam ipsam dixerunt pertinuere: nil novi iucundius, quam cum Pericle quasi rempublicam administrarc, vel Caesaris vestigiis innixum distribuere legiones; quid est quod mentem magis et acuit et extollit, quam si Ciceronem sequimur, dum ad vivum resecat turpissima vitia imperii Romanorum in miseris provinciis, et regiminis mala stupemus dum oratorem admiramur, neque excelsiora sunt multa, quam indagare, quomodo ante nostrum saeculum de imperio orbis terrarum, tum ut videbatur

multo quam nunc angustioris, letali amplexu contenderint potentissimae civitates, quinam bello Punico classes perdiderint, et antiquitatis istas Syracusas, ubi Atheniensium in omne aevum miserabile imperium, eheu, ingenti ruina collapsum est. Haec autem nos philologos, et verborum unice sectatores, grammaticosque abiicere perhibent invidi quidam sive rerum haud satis gnari, quibus tamen fidem non denegavit imprudens forsitan unus et alter, per quem latius serpat perversa opinio. Nec tamen me ipsum magnopere disturbant istiusmodi querelae; sciunt enim et probe tenent, si qui me cognorint, istis me *realibus* nimium fortasse temporis et studii iam insumpsisse. At nos neque iurisconsulti sumus, ut de duodecim tabulis, vel de IUSTINIANO commode agamus, neque archaeologi, ut de gemmis, et vestimentis veterum, deque eorum conclavibus vehiculisque simus iusto magis solliciti, aut moderamur rempublicam, quae peius castigari nequit, quam si philosophis regenda tradatur: abstinendum est a re militari, ne Phormiones fiamus, neque argentariorum more tempus terendum in expoliendis aliquot denariolis, qui veteris ex orbis interitu superfuere; grammatici sumus, et tradimus grammaticam. At qualem, cuiusque generis? Verbo absolvam, utriusque sermonis, qui adhuc orbi terrarum imperitavit, sermonis divitissimi, pulcherrimi et maxime absoluti quem humanis umquam usibus inserviisse novimus, et alterius eius, cuius iugum, olim intermortui, nunc demum dubitanter exuimus aequalium e nostratibus audaciores. Eam vero rerum intelligentiam, si quid boni inerit, harumque opinionum partem satis magnam COBETO me debere, non tantum non diffiteor, quin immo glorior et praedico, dummodo eius laudis, quod ipse omnium primus moniturus esset, pars aliqua et satis ampla recidat in egregii huius viri iam amicos, eiusque, ut mei, duces et magistros, in BAKIUM, GEELIUMque et PEERLKAMPIUM, summos viros, deinde in heroes istos remotioris aevi, in CASAUBONUM et BENTLEIUM, in HEMSTERHUSIUM et VALCKENAERIUM nostrates, et summum illum GRONOVIUM, civem iam meum, cuius in LIVIUM suum, qui mihi item in deliciis est, praeclarissima inventa quo me animo censetis ex ista cathedra retractare, quae post longam doctorum seriem mihi iam tam dispari domino tradita est.

Sed almum rapit hora diem, et id commonefacit, auditores, ne vestra patientia, et intentissima mihique gratissima animi attentione iusto diutius

usus ad abusum recidam, quod facile est in argumento vel nunc minime exhausto, et quod poterit maiore in dies ardore, et argumentis semper novis et accuratioribus, nominibusque variis neque ab hominibus iisdem, ad fines item diversos et plus uno modo sub iudicem revocari. De quo si non dudum et cogitassem et inquisivissem, praestaret tacere, at omnia iam comperta me habere superbus essem et ineptus, si putarem. Id unicum magni esse videtur momenti, hoc iam esse tempus, quo ab optimo quoque cogitanda sit et propugnanda iuventutis nostrae institutio, quoniam et vulgi commentis premitur, iisque singulorum affectibus animi quibus dum homines sumus non poterimus carere, et ipsa civitas, eiusque magistratus nondum invenerint, quomodo labentem ipsam et vacillantem sustineant ac tueantur. Huc etiam penetrarunt, quae alibi apparere saepe laetatus sum, libertatis scilicet initia, sed eius, quam et immodicam et nocentissimam dicere minime dubito. Hoc in argumento, si ullibi, obviam erit eundum et pravis cupiditatibus, et torpidae negligentiae, hoc futuri temporis est Palladium, et vere monuit poeta, ea quae sint et exsistant ideo esse, quoniam praeteritis nitantur, et complectantur futura. Erit autem, nisi primorum, ipsius populi nostri et nationis Neerlandicae excellentissima laus, si hanc tuebitur in posterum, tum sine dubio eadem et nitetur augebiturque, et ita, quod in Scotia factum est, poterit post breve temporis spatium mirum quantum promoveri ad bona quaecunque. Ea autem sic demum locum habere possunt, si quotquot hanc institutionem amamus et ipsi damus operam, iam coniuncti et ad eundem finem tendentes nil ultro quaeramus, quam omnes una tollamus omnia, quae ipsam quo minus integra sit et sincera prohibent, quae et litteris, ceterisque disciplinis et exponendis rite et addiscendis obstant: si haec igitur molituri vires coniungamus, et nobismet concedamus vicissim remotiora minutave quaecumque, nil firmiter retinentes nisi quod summum est, deinde si eo iam animo et hac virium intentione laborantes in unum congrediamur, missisque in praesentia ceteris singula nobis proponamus obtinenda omnesque coniunctim annitamur, donec tandem licet multo labore gutta lapidem tamen cavarit. Non nimia nobis quaerenda sunt, non requiro, ut vix speranda conemur, ut nova quaedam inducamus inventa, aut insolitum aliquem splendorem appetamus, sed omnino necessaria ne pereant, ne istis

destituamur, quibus sine animi humani maximo detrimento carere non poterit sequens aevum, nobisque iam proximum, sed ut eo tantummodo, ubi gravissimus imminet casus, ut eo, ubi iam rudera sola supersunt, eo demum, ubi omnes consentiunt ruinam esse proximam, ut eo saltem subsidia mittantur, neque desint vires etiamnunc superstites ad opem ferendam. Haud iniuria id homines et callidissimi semper elegerunt, quod mordicus retinerent, et prudentissimi, quod unum flebiliter lugerent corruptum, cui corrigendo omnes animi vires impenderent. Arduus est hic labor, fateor, nec cito peragi poterit, aut in paucis planisve argumentis versatur, sed dignissimus est, in quo vitae finem et curricula ponamus, in quo peragendo aut victoriam denique adipiscamur, aut ingruenti licentiae simul cum bonis omnibus acerrime resistentes obstemus dum fieri poterit, eiusque exitiabilem adventum quamdiu omnino licebit retardemus. Nempe hoc satis dici non potest, et multum vereor ut satis credatur, ob hanc licentiam magis magisque invaleseentem in summo iam periculo versari institutionem iuventutis in patria nostra universam, et hanc etiam academicam, quae si aut pereat, aut quod eodem redit et multo magis vereor, torpido languore obdormiscat, iam Boeotiae haec patria, quam Athenis, similior fiet, quae contra si locum suum servare sciat, et retincat ex antiquioribus laudabilia, nec suum aevum ignorans et aequalium studia formas quidem et speciem mutat, sed retinet praestantissimum illud et immortale, ut viris vere egregiis committatur docenda haec iuventus aptissima ratione utilissima quaeque, si curatur denique, ut et praestantissimi doccant, et ratio docendi multo melior exsistat atque nunc est, et ipsa iuventus ceteris etiam adminiculis sustentetur, quae rerum intelligentia demonstrabit, nil fere cogitari potest adeo praeclarum, quod ita sapientissime agens civitas nostra non assequetur.

Moderatores huius Athenaei, vosque decurionum collegium! Vestris suffragiis in hanc cathedram vocatus, id iam vobis etiam debeo, ut haud indignum vos sclegisse demonstrem. Quod me omni vi conantem spero videtis, et porro conaturum vobis spondeo. Sic autem agam, ut et vobis tribuam honorem, qui multis nominibus debetur, et servem quam unice diligo, cogitandi, et dicendi, et quod maximum est agendi libertatem, ut

hic quoque liceat modeste tamen ἐλευθεροστομεῖν. Qua libertate eo libentius utar, quoniam neque vos ideo me effecistis, qualem creastis, ut pro antecessore adulatorem haberetis, nec dum aequus ero dicere aliter possum quam multa vos laudabilia iam effecisse, dum supersunt etiamnunc paris momenti fere plura. Sed haec addenda esse et ego suo tempore non reticebo, neque vos leviter negabitis, at dic festo de iis sermo longior ne fiat, neque ullum ego fecissem, ni palam voluissem profiteri, qualia vestrae benevolentiae iam debeam, et quanta porro ab eadem benevolentia exspecto, certo profutura bonis litteris, iuvenibusque nostris. Quod ut faciatis, benigna vos fata servent, te praesertim, venerande Molhuysen, quem otium et quies ista, quibus te permissum inviti vidimus, utinam corpore mox vigentem reddant, ut possit laetus quoque animus ad pristinum florem eo splendidius redire, quo minus nos iuniores hucusque intelligamus, hoc tuum ingenium languere, nec sibi par iam esse, quo magis exspectemus, quid demum vegetus valeas, quem languere non nisi fando audivisse nobis videmur. Ego autem, quod et tibi et ceteris dictum volo, utut sit, omni vi annitar, ut dignum me evincam hac cathedra et Athenaeo Daventriensi, ut vobis, qui me in candidatorum numerum recepistis, ut honestissimo decurionum ordini, qui me natu minimum prae illo numero renuntiavit.

Qua in re mirum quantum profecisse me arbitrabor, tibi si probatus ero, qui illustrissimo collegio praees, amplissime Cost Jordens. Equidem probe sentio, non huius loci neque ex mea persona esse, ut tuas laudes celebrem, easque praedicare aggrediar animi dotes, quibus splendes, propter quas te amamus, quicumque cognovimus, et in quibus sunt, quarum mentio sufficit ut ab incommodo retineamur conamine. Et forte superbius agerem neque essem ferendus, si advena civibus tuis exponerem, quae nondum nisi ex parte, et ab ipsis fere cognovi. Ea vero dicere unicuique licet et ego ad id valeo, quae et cuivis innotuere et omnibus bonis probantur. Ideo igitur tibi prae ceteris probatum me volo, quoniam a te prae ceteris iudicium exspectare licet tot nominibus accuratum, quale vix a quoquam alio. Dum enim reticeo, quae ipse attulisti ad stationem qua te suspicimus, ea commemorare licebit, quaecunque ad te attulere honores, quibus insignitus es, et studia vitae, quatenus ipsis illis honoribus produntur. Tu igitur ut iurisprudentiam eaque studia probe nosti, quibus

maior fere numerus discipulorum huius scholae incumbit, ita illud etiam exercere et didicisti et soles, ut rationes inquiras et argumenta, quibus vera et acqua iudicia innituntur, ita ut nullum iam sit periculum, ut a nescio te, vel imperito, vel denique imprudente fiat de nobis iudicium, eo minus, quod tibi munus diserte sit traditum, ut Athenaei tui, iamque mei etiam, commodis prospicias. Aequum igitur ut benevolum te habemus iudicem, et qui ab omni parte mirifice adiuvaris, ut vera ingenio subnascatur rerum imago. Accedit, quod summum est, neque facile coniunctum in eodem homine reperitur. Idem qui iuri dicundo dudum et etiamnunc praees, et iuventutis institutionem moderaris, non hisce includeris angustiis, si eas ad te exigimus, licet satis amplae videantur quam plurimis. Tibi contigit, ut rerum notitiam et civitatis regimen videris et probe cognoris, ut coniuncta cernas quasi ex alto, quaccumque et in hoc oppido et in universa patria nostra sive legibus sive pro imperio constituta fiant; cernas autem vel olim diiudicaveris fere omnibus istis modis et quasi e cunctis illis locis et rationibus, quas per longum iam aevum acutissimi homines excogitarunt, ut novam et variam cognitionem magistratibus legumque latoribus adderent, et rebus ipsis, et civibus, et carissimae patriae prospecturi: quo haud scio an quidquam sit, quod mentem et ingenium hominum magis extollat et amplificet, quo non tantum nubes errorum dissipantur, sed omnis fere hominum vita et quidquid ad hanc reipublicae consociationem pertineat, planum fit et unicam efficit praestantissimam imaginem. Tibi si cui alii tamquam praesens videtur Livius dixisse, quod ne obliviscantur, quicumque civitatibus imperent: Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuacque reipublicae, quod imitere, capias: inde, foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. At tu vir amplissime nostrae item reipublicae capias, quod imitere simul, iisque opposita, quae vites et a quibus, hoc enim te exspectamus facturum, nos tueare. Non facile tibi persuadebit aliquis, nisi quod argumentis firmissime nitatur: me felicem, si quid ego tibi persuasero salubre ac frugiferum huic iuventuti et Athenaeo nostro, feliciorem ideo, quoniam te interprete bonam frugem, si qua forte incrit, plurimis nominibus et plus una ratione in patriae nostrae usum et commoda sparsum iri laetus auguror.

Vos autem dum alloquar, adolescentulus rursus mihi videor, amplissimi viri, HENRICE JORDENS, cuius strenuae, et indefessae, et vere virili rationi vitae fere dixerim invideo, et tu, cuius viridem senectutem soleo admirari, honoratissime VAN DELDEN. Quos respiciens et praedicans paucissimis tamen absolvam. Alteri enim vestrum probe scio, non verba et voces magis placere, quam quo facto opus est, et tu venerande senex nobis saltem cunctis avide te audientibus parum abest, quin nimium memor videaris illius ex remotissima antiquitate praecepti, quod loquelam cum argento componit, sed auro contra carum dicit, qui tacere sciat. Iam liceat ut mea vice te verbis et HOMERI et tuis compellans memorem faciam eius *τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή;* contingat, ut te quoque per tres hominum aetates salvo et superstite laetemur. Vos mihi uterque, dum aderint vires, dum erit laudanda voluntas, favere, ut facitis, meque adiuvare velitis.

Disciplinarum antecessores, collegae iam coniunctissimi! Ultimus in ordinem vestrum, aetate etiam fere minimus huc accessi, sed in vestra coniunctione et aetatis, et studiorum, et omnium quae benevolentia tollere potest discrimen evanuit, et tum demum sese ostendit, cum varia doctrina et multiplici eruditione non erranti modo comiter monstratis viam, sed novas etiam vias ostenditis et ea facitis plana, quae sine auxilio vestro rugosa fuissent et invia. Quod ni ita esset ut sentio, ea coram te dicere non sustinerem, carissime VAN DER WILLIGEN, qui fucata quaevis et adulterata odisti, quem in dies magis diligo, et quocum si consentio, multum iam profecisse mihi videor; hoc enim quotidie magis intelligo, quantum ingenio valeas et tranquillo utilique vitae tuae cursu, neque omnia opinor perspecturi sumus et sensuri, qualem te habeamus, nisi cum aliquando te carendum erit.

Nos, optime VAN VLOTEN, eo oppido caremus, quod mihi saltem quasi altera patria fuit, et in cuius beneficiis semper recensui quod retinere licuit, ut te cognoverim tuaque uterer consuetudine. Tu mihi in posterum etiam serva, quam ostendis benevolentiam, frui pergam ingenii acumine quo splendes, et illa multiplici tua et eleganti eruditione quae probe tenet et iamdudum exercuit HESIODEUM illud, *γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.*

Clarissime Bosscha, cuius provinciae in illustri hac schola succedo, multa sunt dissociabilia, quae in medio posita te meque separant, quorum sufficiet si unum tantum nominaro, videlicet te per spatium multo longius hisce studiis praefuisse, quam parvulum hoc vitae meae curriculum extenditur. At te ideo non minus benevolum erga me cognovi, et aequissimo animo ferre intellexi, si quid *ὢν νέος νέα φρονῶ.*

His enim gaudemus et exsultamus, quod iuvenes sumus etiamnunc et iuvenili vigore, mi Mulder, celeberrimi patris coniunctissima progenies. Nos si qui alii hoc possumus gloriari, diem eundem fuisse primum et congressus et amicitiae nostrae, quae iam bene incepta, bona quaevis et laeta nobis portendit, quae ut cito orta est tamquam ex innata nobis animi et effectuum simulitudine et veluti ex scintilla quadam Promethea, ita valida iam et firma, nec cito peritura stat et quotidie magis utrumque complectitur; neque tu melius, opinor, intelliges quo te loco ego habeam, quam si te ipse interroges indagaturus, qualis ego vicissim tibi iam factus sim. Quod tamen ita demum verè sentiemus reputantes, quam mirificc casus et horum virorum suffragia nos coniunxerint, ut et quae communia habemus, iuvenilis vehementia et amor studiorum, amicos nos reddiderint, et varii ingenii studiorumque discrimen tuam mihi consuetudinem utilissimam simul et suavissimam faciant, nec meam tibi, quod indubitanter addo, omnino iniucundam. Illud etiam commune habemus, quod utrique domesticum sit exemplum doctrinae simul et indefessi laboris, nec si patris tui, summi viri, fama bene parta ad exteras nationes splendidissima pervenit, nil me etiam poeniteat sanum patris huius.

Gymnasiorum doctores, nuperrime collegae etiamnunc coniunctissimi, vos laetus adesse mihi hic video, eos praesertim, quotquot aliunde convenistis, e quibus tamen desidero haud ita multos, eos tamen, per quos dimidia mihi pars laetitiae hodiernae perit. Vobiscum magna, cum plerisque praesentibus recens scd iam firma, cum haud paucis diuturna mihi amicitia est, unum alterumque etiam adversarium cognovi, sed strenuos et quales mihi semper adversarios optarem, ni licuisset eosdem amicos videre. Ut autem hi quoque intelligant, quid velim, et quod probe perspicimus et vos et ego, verbo commemorare attinet unam de causis, quae nos coniungunt, et indicare palaestram certaminum, quae significavi. Iacet eheu

in patria nostra et languet, quam amamus et cui incumbimus, iuventutis institutio, neque nos adeo doctores culpandi sumus, sed ipsae leges et instituta, quorum tamen ut nil facilius est, quam innumeros indicare errores, ita remedia difficillima inventu difficilius etiam adhibebuntur. Hoc autem utinam tandem ab aliquo fiat! Utinam per nos, aliquatenus saltem, fieri possit!. Neque enim reticendum est, quo gloriari licet, nos pro tantilla virium potestate etiam atque etiam anniti, ut haec iuventus ea tandem ratione instituatur, quae nomine institutionis digna sit. Nunc pars seminis sentibus opprimitur, et pars altera cadit secundum viam et rapitur a praetervolantibus, et alia decidit in rupes et nascitur quidem, sed mox miserabiliter perit, exarefacta solis radiis. Nostrum est, ut hoc identidem repetamus, ut clamor denique penetret usque ad aures eorum, qui civitatem regunt, qui rupes quidem amoliri nequeunt, aut radios solares exstinguere, sed qui saxa amovere, et conflagrare sentes, et humum altricem multum adaugere valent, ut in dies maior et amplior fiat pars illa, quae bonum agrum invenit, feretque bonam frugem et multiplicabitur, alia pars tricies, et alia sexagies, alia denique centies. Quid autem, ut missa similitudine pergam, quid magis salubre et frugiferum huic iuventuti et bonis artibus et universae nostrae reipublicae, quam id quod strenue cupimus et expetimus, quod forte oratione dicere non est, at signis maxime miserandis perfacile noscitur. Fuit, cum sapientissima ratione ita erat institutum, ut publice haberetur disquisitio, qua tamquam ipsius civitatis examine planum fieret, quis dignus, quis utilis esset, quis non, cum quasi ipsa respublica eos curaret iisque prospiceret, qui mox ipsam essent ex magna parte curaturi. Sustulere saluberrimum hoc institutum iniquitates, temporum magis etiam quam hominum, et hi quoque magis universi perperam probarunt, quod iucundum esset, et mitia utilibus anteposuere, quam singuli culpandi sunt. Nec tamen aut hi culpa vacant, aut nos vacabimus, nisi coniuncti, donec deleatur Karthago, omni vi anniti pergamus, nisi quidquid in nobis sit, id omne adhibeatur ut servemus primoribus iuventutis in patria nostra integra ista quinquennia, quae nobis incassum contra luctantibus misere disperibunt, nisi hoc, importuni forsitan, sed boni cives, beneficium exoptatissimum tandem impetratum in hanc patriam contulerimus.

Ne tamen haec ideo dicta censeatis, quasi vos non satis probarem, op-

timi iuvenes, illustris huiusce scholae alumni, quos dulci commilitonum nomine alloqui et malo et soleo. Vos enim studiorum socios, vos egregios iam nunc discipulos cognovi, et id semper mihi proposui, ut quantum aetas et ectera sinerent, comitem potius quam moderatorem me habcretis. Quod quatenus utrisque profuerit et cesserit ex voto, diiudicare nostrum non est, neque dc hoc argumento nunc commode disseri potest. Neque id ipsum, ut universos vos alloquar, satis facile est, quoniam singulos cogito, et potius cuique vestrum factis, quam vestro corpori verbis ostendo, quo vos loco habeam. Vestrum autem si qui forte acutiores ad altiora pervenerint, lectiones nostras, multum vercor, sine memoria huius illiusve levioris errati non recordabuntur, et utinam graviora desint; sed recordabimini simul, quod spero glorioïque, neque ullum hominem erroribus prorsus vacare, eumque satis superque facere, qui quod possit errorum strenue et perpetuo tollat. At ea in re situm est, quod ad vestros usus conferre mihi proposui: ut ea vobis innotescant, quae nonnisi turpiter ignorabuntur, ut recte diiudicetis, ipsi, libereque et modeste simul, quaecumque ad vos pertinentia in hominum communione occurrant; pertinent autem humana quaevis, nempe nobis etiam scriptum est Menandreum illud: *ἀνὴρ ἐγὼ, καὶ πάντα μοι τἀνδρὸς μέλει.* Deinde contendo, ut ea vobis pro virili pate nota faciam, quae ad cuiusque vitam virilem proxime instantem necessaria sunt, ne sitis theologi in Libris Sacris hospites, vel iuriseonsulti Iustinianum ignorantes, in quorum recessus nemini patet aditus, nisi qui instructus clave sermonum utriusque linguae istuc penetrabit. Addatur, quod ut scribendi, sic vivendi recte est principium et fons, at sapere is demum dici potest, apud quem multa et varia doctrina feraci ingenio superstruitur: ut enim ex animis hominum proveniant utilia quaevis, necessarium est, ut in eosdem animos quam plurima sint instillata, et quo quis facilius et accuratius rerum notitiam in se recipit, eo et elegantius et verius exponet quae velit, et ex ingenio, quasi acceptorum officina, sua rursus expromet. Haec autem ut probe teneatis, inusitata me progredi via vos quidem scitis, faciam autem, ut hi quoque intelligant, quid voluerim. [Utor nempe tum peculiari ratione docendi, ita componens, quae dictando, quac orationi solutae, quae interrogando utilia videantur inesse, ut neque dormitantibus ingeniis solae manus fatigentur, et

scripta tamen manentia accipiatis, nec si verba volant eito peritura, eorum tamen vivax consuetudo vobis pereat, vosque semper intento animo esse possitis, neque ego ignorem, quatenus conveniat institutionis ratio eum profectibus vestris. Deinde adhibeo, quae aliqua ex parte vel prodest, ipsam nostram paucitatem, et quinam singuli sitis, mente agito, nec tam id ago, ut institutionem omni numero absolutam, sed ut vobis aptam a me accipiatis. Denique, ut illa omittam, quae vobis probe nota ipsa res prodet, sicubi nostris lectionibus aliquis interesse velit, utor in parte praelectionum sermone patrio, et ut vos ad disciplinae nostrae gravitatem extollam, ipse prior vos adeo, eaque ratione vobiscum ago, cui iam pares esse mihi videmini. Quod si qui minus probant, neque me tamen iure culpabunt, quod a vobis intelligi malim quam suspici, quod id cavere studeo, ne illa quam altiorem vocant institutionem nimis alta petens institutio esse desinat; aut vos arguent a quibus meliora non nisi iniquissima ratione exspectantur culpa non vestra, sed ipsius reipublicae, quae post atras illas Kalendas Iulias proximi quinquennii stationem deseruit, quam utinam tandem resumat. Nos interea dulcibus istis, neque ut confido inutilibus colloquiis nostris Latinis id etiam in posterum agamus, ne aemulis vestris cedatis in eleganti significatione eorum, quorum ipsam vim, quod ad sermonis selectionem attinet, illis haud paulo melius doceri potuistis]. Sic igitur *συμφιλολογοῦμεν*, optimi iuvenes, hilares simul et assidui, neque nostris enim Musis gaudia non iungantur. Non enim quo quis tristior, eo doctior est habendus, et stupendus quasi eruditus, si quis morosioris est ingenii, sed aequabilem servemus mentem, quae sperat adversis rebus, metuit secundis alteram sortem, sed neutram reformidat aut nimis de alterutra sollicitatur. Est enim hoc etiam in iis, quae ex litterarum studio lucramur, ne scilicet irretiamur phantasmatis, aut vulgi commentis moveamur, sed res humanas aliquatenus perspicientes, quieti nec territi cernamus, quaecumque circa nos agantur, quorum turpia nimis multa sunt et exsecranda, quorum plurima haud satis laudanda, si non vanam speciem intueamur sed rem ipsam, quorum tamen bona pars superest eiusmodi, ut multa inde discamus, ut utilissima dici possit vita nostra, dummodo vel unum horum ex aliqua parte promoverimus. Hoc autem et vos potestis, si hanc scholam, ut facitis, porro etiam condecoratis; sic enim

vere renovabitur, nec si Gronovii decus, et splendorem etiam Athenaei nostri, summo viro florente, revocare non licebit, habebitis tamen, quin immo habetis me amicum, et studiorum comitem simul et ducem, talem autem, qui quidquid volo, id valde volo, vix autem quidquam validius, quam ut annuente Deo Optimo Maximo magis magisque floreat et augeatur Athenaeum Daventriense nostrum, unde egregia proveniat iuventus, laus civitati et decus mox futurum.

WETENSCHAP EN LANDBOUW.

REDEVOERING

UITGESPROKEN

BIJ DE PLEGTIGE AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT IN DE BOTANIE, GEOGNOSIE, WARENKENNIS EN WETENSCHAPPELIJKEN LANDBOUW AAN HET ATHENAEUM ILLUSTRE TE DEVENTER,

OP MAANDAG DEN 14DEN MEI 1855,

DOOR

DR. LOUIS MULDER.

EDEL ACHTBARE HEEREN, LEDEN VAN HET DAGELIJKSCH BESTUUR EN VAN DEN RAAD DEZER GEMEENTE, CURATOREN VAN DEVENTER'S DOORLUCHTIGE SCHOOL!

WELEDEL GESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET GEMEENTEBESTUUR!

WELEERWAARDE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN EN BIBLIOTHECARIS!

HOOGGELEERDE HEEREN, RECTOR MAGNIFICUS EN OVERIGE HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE VAKKEN VAN WETENSCHAP, HOOGGEACHTE AMBTGENOOTEN!

ZEER GELEERDE HEER, LEERAAR IN DE NIEUWE TAAL- EN LETTERKUNDE!

EDEL ACHTBARE HEEREN, AAN WIE DE HANDHAVING VAN HET REGT EN DE VERDEDIGING DER ONSCHULD IS TOEVERTROUWD!

ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN IN DE VERSCHILLENDE WETENSCHAPPEN!

VOORGANGERS IN DE GODSDIENST, MANNEN REEDS DOOR STAND EN WERKKRING EERWAARDIG!

VOORTREFFELIJKE JONGELINGEN, BURGERS EN KWEEKELINGEN DEZER DOORLUCHTIGE SCHOOL, MIJNE VRIENDEN!

BEMINNELIJKE VROUWENSCHAAR, DIE DOOR UWE AANWEZIGHEID DEN LUISTER VAN ONS FEESTELIJK ZAMENZIJN IN NIET GERINGE MATE VERHOOGT!

GIJ ALLEN, DIE TE DEZER PLAATSE ZIJT ZAMENGEKOMEN EN DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT!

ZEER GEWENSCHTE HOORDERS EN HOORDERESSEN!

Nog eerst betrekkelijk korten tijd heeft een zeer gering gedeelte van het menschelijk geslacht zijne krachten aan de beoefening van wetenschappen gewijd — en reeds zijn ontelbare resultaten van die beoefening als even zoovele eerzuilen opgerigt voor den alles onderzoekenden menschelijken geest. En terwijl op sommig gebied nog slechts zóó weinig is door-

grond en nog zóó onnoembaar veel ter onderzoeking overblijft — toch is er reeds van die geringe wetenschappelijke kennis — gering in betrekking tot wat nog bekend zal worden — schier in elke zaak op het gebied van de behoeften des dagelijkschen levens meer of min doorgedrongen. Het gevondene wordt in onderling verband gebragt — en reuzenwerken — zoowel in uitgestrektheid als in diepte van vinding — verrijzen er voor den mensch, die het door hem zelf gewrochte somwijlen wel bewonderen, maar niet begrijpen kan. Toepassing verlangt men. Toepassing vooral van wat in de verschillende wetenschappen der natuur bruikbaars voor het praktische leven door het onderzoekend oog harer beoefenaars is aangetroffen. De studie van de natuurwetenschappen wordt voor elk, die zich beschaafd wenscht te kunnen noemen, hoe langer hoe meer noodzakelijk evenals de staathuishoudkunde, en de tijd is niet meer verre, dat zij reeds op onze scholen onder de vakken van onderwijs zullen behooren te worden opgenomen. En geen wonder! Alle bedrijven des gewonen levens, vooral die, welke den mensch met de voorwerpen der natuur in regtstreeksche aanraking brengen, zijn sinds eenige jaren door invoering van nieuwe zaken met reuzenschreden op de baan der ontwikkeling vooruitgegaan. Dat waarvoor men vroeger maanden behoefde, wordt u nu in even zoovele uren toebereid; wat vroeger door elkeen voor onmogelijk gehouden werd, is nu zelfs door den minst ontwikkelde onder ons geslacht uitvoerbaar. De werktuigkunde met natuurkunde verbonden, leverde stoomwerktuigen van allerlei aard, wier aantal met elken dag vermeerderd en verbeterd wordt; de scheikunde gaf aan de nijverheid onschatbare voordeelen aan de hand, die eveneens bij den dag in aantal en belangrijkheid toenemen.

Maar ook andere verschijnselen zijn het gevolg van de ontwikkeling der natuurwetenschappen.

De botanie vroeger bijna slechts tot het zoogenaamde beschrijvende gedeelte beperkt, is er geheel en al van karakter door veranderd, want zij is ingedrongen in de kennis van het leven en het maaksel der planten; de pharmacognosie, die zich tot voor korten tijd nog slechts bij zeer onvoldoende uitwendige kenmerken der pharmaceutische waren bepaalde en niet verdiende wetenschappelijk genoemd te worden, mag dat nu werkelijk voor een belangrijk deel heeten; de pharmacie, en als gevolg hiervan de

kunst om te genezen, is met ontelbare wetenschappelijke feiten verrijkt en wordt het nog dagelijks. De kennis van het leven der dieren is niet te vergelijken met wat zij tot voor nog korten tijd was, sints scheikunde en mikroskoop beide hunnen invloed op haar gebied krachtig hebben doen gevoelen. — En wat de staathuishoudkunde aanbelangt, om van andere wetenschappen niet te spreken, hare vorderingen in den laatsten tijd zijn u te voldoende bekend, dan dat het nog noodig wezen kan, dat ik er u op wijs.

Zoo vinden wij overal ontwikkeling. De menschelijke geest onderzoekt zonder ophouden en kent hierin geen rust, en het kan ons dan ook niet verwonderen, dat hij met de klimmende behoeften aan voedsel en wat daartoe behoort, vooral ook in verband met de voortdurende toeneming van het menschdom, naar middelen heeft uitgezien en deze ook op wetenschappelijk gebied heeft gezocht, om de stoffen, die het leven van den mensch onderhouden, zoo mogelijk naar willekeur te vermeerderen. Terwijl vroeger de bodem door zeer eenvoudige middelen vrij onvoldoende werd omgewoeld of eenvoudig losgemaakt, heeft men daarvoor nu werktuigen uitgedacht, die dat zelfde in veel korter tijd en veel beter verrigten. Terwijl men zich vroeger met één gewas per jaar te vreden stelde, dwingt men den grond nu in dien zelfden tijd meer en meerdere malen op te brengen — en men verliest daarbij geen oogenblik uit het oog met weinig middelen veel te verkrijgen, en ontleent veel aan de kennis omtrent arbeid en kapitaal.

Zoo is dan de zoogenaamde intensieve landbouw, d. i. de zoodanige, die met den tijd is meêgegaan en zich voegt naar de eischen, die hem door de wetenschappen van den staat en van de natuur worden gedaan, langzamerhand met noodzakelijkheid opgetreden. En waarin de grootste kracht van zijne ontwikkeling ligt, is ons geen raadsel meer — zij is aan niets anders dan aan wetenschappelijke toepassing te danken.

Onder de vakken, waarin aan deze inrigting van hooger onderwijs lessen moeten gegeven worden, is ook tot groote eer der instelling de toepassing van de wetenschappen der natuur op den landbouw opgenomen. Dat onderwijs is aan mij opgedragen. — Terwijl ik reeds bij de opening mijner lessen, in het laatst van het afgeloopen jaar, de gelegenheid te baat genomen heb, om den weg aan te wijzen, dien ik in de mij toevertrouwde

vakken mij heb voorgeschreven, en toen uitvoerig heb ontwikkeld, in welken zin ik aan deze inrigting botanie, warenkennis en pharmacognosie doeeren zou, heb ik het niet ongepast geoordeeld bij gelegenheid van de plegtige aanvaarding van het hoogleeraarsambt uiteen te zetten, waarom en hoe wetenschap voor den landbouw nuttig kan zijn. En des te gereeder heb ik dit onderwerp gekozen, omdat twee van de vakken, die ik hier, behalve meer, moet onderwijzen, uit den aard der zaak mij zeer veel met landbouw in aanraking doen komen. — Verleent mij uwe welwillende aandacht, die ik in hooge mate behoef, als ik ga spreken over *wetenschap en landbouw.*

In den laatsten tijd heeft men er steeds meer en meer naar getracht wetenschappelijke feiten op het gebied van den landbouw toe te passen. De praktijk is daar tegen meermalen opgekomen en heeft menige hinderpaal in den weg gesteld. De oorzaak van dit verschijnsel wijs ik aan met de woorden van Stöckhardt, als hij, sprekende over de bezwaren, die de praktijk heeft opgeworpen, zegt: „Zonder strijd en weerstand zijn nog „nooit nieuwe denkbeelden in de werkelijkheid overgaan, die eene veran„dering van het bestaande ten doel hadden. Buitendien is ook de weg, „welken de beoefenaars der wetenschap insloegen, om haar in het leven in „te voeren, niet steeds de goede. Het was voorbarig van de *wetenschap* „(theorie) hare wijzen van beschouwing, hare denkbeelden en aanmatigin„gen zonder voorafgaand praktisch onderzoek voor ontwijfelbare waarheden „uit te geven, en uit op zich zelve staande daadzaken op eenmaal alge„meene besluiten af te leiden; het was onbillijk van de wetenschap, der „praktijk aan te raden, dat zij aan de uitspraken der eerste onbepaald „geloof moest schenken en dat zij hare oude stokpaarden, die reeds zoo „dikwijls juist gebleken waren, eensklaps verlaten zou, om op eenmaal „met luide trom het nieuwe leger in te trekken; het was onverstandig van „de wetenschap, dat zij de praktische ondervinding gering achtte, ja zelfs „verachtte, in plaats van deze te gebruiken; dat zij in het algemeen eene „praktische wetenschap meende te kunnen worden zonder eene naauwkeu„rige kennis der noodige praktijk en zonder een naauwer aansluiten aan „die praktijk, dat op die wijze alleen mogelijk is.

„In hetzelfde gebrek is ook de *praktijk* vervallen, daar toch steeds het „eene uiterste het andere te voorschijn brengt. Het was voorbarig van de „praktijk, zonder proeven, of na eenige op zich zelve staande, gebrekkige „proeven, den staf over wetenschappelijke gevolgtrekkingen te breken; het „was onbillijk van de praktijk, wanneer zij van de nog jeugdige weten„schap verlangde, dat zij reeds in zulk een zekeren en vasten gang zou „voortgaan, als een volwassen mensch; wanneer zij in plaats van alge„meene grondslagen bepaalde daadzaken, in plaats van algemeenen raad, „wenken en aanduidingen, gereede recepten, voorschriften en ervaringen „van haar begeerde; het was onverstandig, meer van de wetenschap te „verlangen, dan deze volgens haar geheelen toestand geven kon."

In deze woorden is het juiste standpunt aangewezen, waaruit het pleit tusschen wetenschap en landbouw moet worden beslist.

Het kan mijne bedoeling niet wezen, u hier in bijzonderheden te wijzen op het groote nut van de toepassing van wetenschap op landbouw. Dat behoeft slechts in het algemeen te geschieden en te dezer plaatse heb ik reeds meermalen daarover gesproken. — Maar hoe verbindt men beide nu het best, en op welke wijze brengt men die toepassing meer in gebruik? Op welke wijze waart men zich vrij voor overdrijving van de wetenschap, en voor minachting van de praktijk? Dat ga ik in het volgende in vlugtige trekken met u na, en zal daarin de volgende verdeeling in het oog houden, dat ik u voorstel

ten eerste, den wetenschappelijken man en zijne geschriften in verhouding tot de praktijk;

ten tweede, den praktischen man in zijne verhouding tot de wetenschap; terwijl dan

ten derde kan worden overgegaan om de middelen te leeren kennen, waardoor men wetenschap en praktijk meer innig verbindt en ten nutte van het menschdom aanwendt.

I.

Hem, die geen vreemdeling is op het gebied der wetenschappen van den staat en van die der natuur, is het lang niet onbekend, dat er veel

meer kan worden geproduceerd, dat er nog oneindig meer geproduceerd worden moet, wanneer de steeds in aantal toenemende bevolking niet alleen voedsel, maar ook werk vinden zal. Verder verliest hij niet uit het oog, dat er nog vrij wat gewassen kunnen worden gekweekt, wier verdere verwerking en toebereiding tot verschillende levensbehoeften aan vele menschen arbeid en brood verschaffen kunnen, en zelfs de inkomsten van den staat vermeerderen en vergrooten. Hij weet zeer wel, dat er nog groote uitgestrektheden gronds in ons vaderland aanwezig zijn, die òf beter kunnen bebouwd worden dan geschiedt, òf waaraan nog geene menschenhand zich heeft gewaagd, met het doel om er van te trekken, wat er van te verkrijgen is.

De voortdurend toenemende armoede, die hij zich daarbij voor den geest roept, dwingt hem tot de uitspraak, dat het de wil van den wijzen Schepper niet wezen kan, dat zoovelen onzer natuurgenooten in kommer en druk leven, en dat eerst dan, zoo het ooit geoorloofd is te klagen, gejammerd zal mogen worden over gebrek aan voedsel, als er op onzen geheelen aardbol geen enkel plekje meer onbebouwd ligt, dat voor bebouwing vatbaar is.

In dit alles tracht de wetenschappelijk ontwikkelde te voorzien door zijne kennis toe te passen op den landbouw, en hij raadpleegt zijne kundigheden in de hoop en het vertrouwen, dat hij er baat bij vinden zal. Hij beproeft nieuwe zaken en raadt nieuwe, eerst kort geleden onderzochte en als deugdelijk geijkte stoffen ter verbetering van den grond aan. Hij voert eene nieuwe vruchtwisseling in en vreemde voedergewassen, niet omdat zij vreemd, maar omdat zij beter zijn. In één woord hij handelt op eigene wijze. Hij onderzoekt met geweten en beveelt het gevondene krachtig aan. Hij hoopt op die wijs den landbouw te verbeteren en hij verbetert dien ook werkelijk, maar slechts weinig. Want vele menschenlevens zijn er noodig, om slechts een gedeelte te verwezenlijken van zoo oneindig veel, dat dringend verbetering en voorziening vordert. Maar de wil, de ernstige wil om te verbeteren verdient reeds lof, en al brengen wij 't niet zoo ver in ons betrekkelijk korte leven, wat wij alles verwezenlijken kunnen — vangen wij toch in elk geval aan — dan zal ons nageslacht op de door ons gelegde grondslagen moedig kunnen voortwerken, en elke generatie zal zoo het groote doel nader komen.

Maar menigeen twijfelt aan de waarde van het beweerde. Waar wetenschappelijke mannen zich met landbouw hebben afgegeven, waren daar voor elk een, die een open oog en een helder verstand bezat, de uitkomsten niet ongunstig, zeer ongunstig zelfs? Gaan niet zij, die zich voor wetenschappelijk ontwikkelde landbouwers uitgeven, meestal te gronde? Dat gebeurt door den regel immers niet met landbouwers, die den gewonen slender volgen?

Neen! antwoord ik u op uwe beide eerste vragen. De schijn moge er in het algemeen voor zijn — in de werkelijkheid is het geheel anders. En ik zou u voorbeelden kunnen aanwijzen. Dat kan evenwel mijn doel hier niet zijn. Liever vraag ik u: heeft THAER den landbouw niet onuitsprekelijk bevorderd? Heeft BOUSSINGAULT niet duizende en duizende onschatbare feiten gevonden en aan den landbouw met goed gevolg ten beste gegeven? Heeft niet STÖCKHARDT, de ziel der landbouw-scheikunde, den landbouw van Saksen met verwonderlijke snelheid vooruit geholpen? Heeft WOLFF alleen door zijn werk, de *natuurkundige grondslagen van den akkerbouw*, waarin zoovele voorbeelden aangetroffen worden van praktische proeven, naar aanleiding van wetenschappelijk onderzoek in het werk gesteld, niet aan elk een, die er nog aan twijfelen mogt, zonneklaar bewezen, dat wetenschap de praktijk oneindig veel bevoordeelen kan?

En toch, en dit strijdt regtstreeks met uwe bewering, wordt mij welligt door menigeen geantwoord — en toch schrijft die zelfde WOLFF als motto voor zijn werk, en omschrijft daarmeê de zoogenaamde wetenschap van den landbouw, de volgende woorden, die SCHLEIDEN eens van een ander gedeelte van de wetenschappen der natuur heeft gebezigd: „Eene eigen„aardige wetenschap, nog jong en met alle gebreken van de jeugd be„hebt, vol levenslust, van een schoonen en krachtigen rijperen leeftijd „verzekerd, doch die thans nog niet geordend is en helderheid mist, veel „nog onverstaanbaars voor meer gevorderden ouderdom verzamelend en nu „nog meer droomend, dan denkend!"

Het kiezen van dit motto bewijst juist, zoo het nog bewijs behoefde, dat hij, die zoo over de wetenschap van den landbouw denkt, haar werkelijk zal vooruitbrengen, dat hij zich, in vergelijking met anderen, zeer weinig aan overdrijving zal schuldig maken.

